


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
30 G
24
ROMA

JOANNIS PAULI OLIVA

PRÆPOSITI GENERALIS
Societatis JESU

ALLOCUTIONES

Ad ſuos in Urbe.

SIVE


EXHORTATIONES DOMESTICÆ,

Interprete JACOBO BOSCHIO
Ejuſdem Societatis Sacerdote.

PARS III.



PRAGÆ, Typis Univer: Carolo-Ferdinandeæ,
in Colleg. Soc. JESU ad S. Clement. Anno 1678.



EXHORTATIO XXV.

REligioſa tria Vota, ſi cum fide perſolvantur, quemadmodum Ignatij Filios ampliſsimis præmijs or-nant; ità ſeu violata, ſeu non integrè ervata graviſsimis ſupplicijs reddunt bnoxios.

EXHORTATIO XXVI.

Piorum Librorum Lectio nos ex-urgat à vitijs, & exornat Virtutibus. Eam ad ſuum in Virtute profectum, & Doctor Angelicus, cùm è Cathedra Theologiam profiteretur, & Gregorius Nazianzenus inter graviſsimas Præ-

fecturæ ſuæ occupationes adhibuerunt. Parum tamen emolumenti affert, niſi eam preces anteverterint.

EXHORTATIO XXVII.

Ut Tentationes ſuperentur, diligenti cuſtodiâ ſenſus omnes obvallandi ſunt, & ab oculis, auribúſque excludendum, quidquid Animæ creare periculum poteſt. Quæ Circumſpectio, uti Junioribus pernecessaria, ſic Veteranis quoque convenientiſſima eſt. Pravi, tepidique Conſiliarij, qui, ut Religioſæ Diſciplinæ ſtudium remittamus, nobis auctores ſunt, magnâ conſtantiâ reiiciantur. Qui ex anguſtijs in læta Camporum ſpatia egreditur, vitam illic cum Abele amittet.

EX-

EXHORTATIO XXVIII.

Immota in ardenti Virtutis studio Constantia ad Sanctitatem Animos perducit. Miser est, qui eam deserit; multò verò miserior, & planè impius, quisquis eos, qui nuper admodùm Dei se obsequijs addixerunt, ab illa abducit. Id verò Tepidi Religiosi præstant, non modò cùm perniciosa consilia suggerunt, verùm etiam, multóque id magis, cùm in Virtutum exercitatione palàm languent, ac iacent.

EXHORTATIO XXIX.

Non modò non alienum à Religiosis hominibus est, ad Amicos, & ad Nobiles Viros Litteras dare, verùm idcum laude quoque præstare possunt.

Hæ porrò Pietatem spirent, & Virtutis amorem excitent; nunquam verò vel descriptis Rumusculis, vel expositis Politicis rationibus Nomini nostro labem imponant. Conformetur Stylus noster venerabilibus illis Commentarijs Octo Doctorum, quos è Latinis iuxta & Græcis Ecclesia numerat, quorum litteræ familiares grauissimis, & Apostolicis Monitis plenæ sunt.

EXHORTATIO XXX.

Charitas Religiosa non patiatur se Consanguineorum, & Gentilium suorum angustis limitibus includi; quin imò complectatur arctiùs eos, qui minùs secum aut sanguinis, aut Patriæ necessitudine coniuncti sunt. Sicubi verò Affectus Nationalis imperium in-

invasit, illic, tametsi austerissimum vitæ genus Cœtus ille profiteretur, impune vitijs, & nulla Virtuti merces est. Quantopere verò Deo placeat, Religiosos homines perinde erga exteros, ac populares suos affectos esse, id in Abrahamo è paternis sedibus extracto, & in Apostolis ad varias Regiones dimissis videre licuit.

EXHORTATIO XXXI.

Beatum Aloysium ad eximiam vitæ Sanctitatem provexit Minimarum rerum Cura. Atque istæ, uti vulgò nullo in pretio, & æstimatione habentur; ità ijs, quibus in constanti usu sunt, incredibilem difficultatem pariunt. Quapropter, & Virtutem in immensum augent, & amplissima Cælo præmia reservant.

EXHORTATIO XXXII.

Paupertatis, & Obedientiæ amor B. Aloyſium è paterna domo, in qua ſanctiſsimè vivebat, ad noſtras ædes traduxit. Ipſi quoque, ut ſanctè viveremus, relictis rebus humanis, ad Societatem nos contulimus. Accidit tamen interdum, ut in hoc Sanctitatis ſtudio tantopere quis intepeſcat, ut poſtquam aureos montes, quos Mundus promittebat, contempſit; alios deinceps, neſcio quos, ſomniet, umbras conſectetur, & ob res nihili, Perfectionis, & Sanctitatis, ad quam ſublime vitæ genus illum ducebat, iacturam faciat.

EXHORTATIO XXXIII.

Religioſum Præſidem hæc duo formant:

mant:

mant: paternus erga ſubditos amor, & ſanctum ſuiipſius odium. Si deinde violatæ Diſciplinæ reos caſtiget, & ſtudioſos legum dignis præmÿs afficiat, eundémque ſemper tenorem ſervet promptus ad audiendas, promptiórque ad ſublevandas ſuorum neceßitates: tametſi perperam geſta vindicet, vereri non debet, ne ſuorum invidiam incurrat.

EXHORTATIO XXXIV.

Religioſas Domus ad ſtudium Virtutis excitant pia inter Domeſticos de rebus divinis colloquia. Languent contrà, & iacent vel ipſæ Anachoretarum, & rigidißimæ Diſciplinæ Cultorum Solitudines, ſi quando in eas otioſi, curioſique ſermones de rebus, quæ in mundo geruntur, irrepſerint.

Iram

EXHORTATIONES DOMESTICÆ

Habitæ

In Collegio Romano.

EXHORTATIO XXV.

In Pervigilio B. Aloysij GONZAGÆ.

Ego VINCTUS in Domino. *Ephes. 4.*

SErvatæ Paupertatis amplissima præmia, violatæ horrenda supplicia esse, tum Petri corrogatâ stipe victitantis prodigiosa Virtus, tum Achani furtum flammis ultricibus expiatũ demonstrat. Quin vel solius panis, ac frigidæ cupiditas multa Hebræorum millia ignitorum serpentium morsu appetita de medio sustulit. Subinde nihil in sacris Cænobijs illustrius est Castitate, cujus uti summum pretium, sic natura fragilis est; jactura verò sacris Cœtibus vastitatem infert. Obedientia demum omnes reliquas virtu-

tes antecellit, ſiquidem ea in rebus difficillimis Deum in Præſide veneretur, ídque optimum ducat, quod imperatur. Dathani cum Sociis, terrâ dehiſcente, abſorpti, & Iſaaci ad ſummum gloriæ, felicitatíſque faſtigium evecti memoria corda noſtra Præſidum noſtrorum voluntati, ac conſtanti erga eos reverentiæ vinculis adamantinis adſtringat. Hæc porrò Obedientia numeris omnibus abſoluta erit, ſi Chriſti Crucifixi exemplo, eundem agendi morem in obſcuris, aſperíſque rebus retineat, quem in ſecundis, & ad famam illuſtribus antè tenuerat.

1. IMmortales B. Aloyſij Coronas, noſtráſque, quibus Deo nos olim devinximus, Catenas anniverſariâ celebritate proxima lux referet, RR. Patres, Fratréſque Cariſſimi; atque has quidem incruenti

xi Sacrificij tempore denuò nobis injiciemus, confirmabimúsque; illas verò festos inter cantus venerabimur. Nulla verò tam acuta vox, nullus adeò vastus Organorum ac Symphoniæ sonus erit, quem non vincat, opprimátque Aloysij Oratio, quâ eos, qui ipsum velut unum è præcipuis Cœli Civibus colunt, è Gloriæ suæ throno compellat: *Ego vinctus in Domino.* Nempe, nisi fallor; ità Nos cælesti diademate redimitus Juvenis alloquitur. Habet, inquit, me modò sancta Dei Civitas; cùm verò inter Vos agerem, nec chartæ folium, nec lanæ filum habui, quod meum esse dicere potuerim. Deum immenso lumine circumfusum, & Seraphinis stipatum intueor: sed dum apud Vos essem, nunquam aut viri, aut feminæ vultum curiosè aspexi. Elementis omnibus æternùm imperabo, & inter Angelos purpurâ, quam nullæ tineæ, nulla vetustas corrumpet, amictus residebo; verùm in Domibus vestris solemne mihi fuerat, subservire omnibus, nec majoribus modò, verùm etiam æqualibus, inferioribúsque obtemperare.

Quare si præsens Gloria, si Diadema, quo frons mea coruscat, vos movet, moveant pariter Compedes, quibus per omnem vitam illigatus vixi: ad hoc enim imperium, quo Cœlum possideo, & sidera pedibus premo, me servitus illa provexit, cùm omnium pedibus me supponerem, & conculcandum toti mundo præberem. Easdem itaque voces festâ suâ luce nobis Aloysius iterat, quibus Augustinus Aloysium, cùm primùm Cœlo receptus immortalis Regni insignibus ornaretur, salutavit. Cùm enim Deus, utì facturum Joannes prædixerat, ex Aloysij vultu lachrimas abstergeret, certatímque Angeli capiti ejus coronas, pectori torquem injicerent, sententiam illam, quam penultimum Davidis Psalmum exponens olim protulerat, Beato nostro audiente, Hipponensis Præsul repetijt. *Non tibi imponeret torquem aureum*, NISI PRIMUM IN COMPEDIBUS FERREIS TE ALLIGASSET. Omnis itaque gloria, regaléque illud fastigium, in quod sublatam admirabilis hujus Sancti Animam miramur, ab e-

In Psalm. 149. To. 12. 501.

jus

jus Demissione profecta sunt: & manicæ, quas illi religiosa Vota injecerant, tanti Imperij sceptrum ei promeruêre: & quoniam, cùm in hoc Collegio degeret, dicere potuit: *Ego vinctus in Domino*, translatus ad Superos nunquam non dicet: *Ego regnabo.* 3. Reg. 2. 5. Quod si ità se res habet, fatendum est, omnes nos in Academijs, & Domibus nostris veluti magno in carcere, sed ab eo, quo captivos suos Mundus attinet, longè diversissimo, conclusos habitare. Quippe civilis Carcer non ità Nobiles, ac Consulares Viros coërcet, ut non liceat ijs per solarium, impluviúmque nonnunquam inambulare: at verò de plebe hominibus nec passum proferre concessum est, ac sæpenumero manus pedésque numellis includuntur. In sacris contrà Cænobijs, qui virtute, rectéque factorum gloriâ cæteros antecedunt, tot vinculis irretiti jacent, ut nec intendere digitum, nec promovere pedem audeant, Votorum à se nuncupatorum reverentiâ deterriti: ijs interim, quos nulla Virtutis Nobilitas exornat, & supinæ mentis ignavia in turpissi-

 mam

mam egestatem adduxit, in liberiore laxioréque custodia penè pro arbitrio suo degentibus. Quam Justorum felicissimam calamitatem, utpote quos eorum, quæ Deo promiserunt, constans voluntas, & inconcussa fides, velut arctissima in custodia, vinculis catenísque implicitos tenet, Regius Propheta prædixit, cùm Aloysij, aliorúmque, qui paribus cum illo vinculis sese adstricturi quondam essent, egregia Virtus ejus mẽti obversaretur. *Ad alligandos* REGES EORUM IN COMPEDIBUS, & NOBILES EORUM *in manicis ferreis.* Ex hac nempe tam dura captivitate ad Regnum itur: hæc nimirum vincula cælestis Imperij Diademate Aloysium coronârunt, ejúsque Imitatores suo quemque tempore coronabunt. *Incipit à vinculis ferreis*, (inquit Augustinus, & nobilem, quam cœperat, Allegoriam absolvit) ET FINITUR IN TORQUEM AUREAM. Meæ igitur partes erunt, in hoc Pervigilio, quod instaurandis postridie Votis communiter indictum est, ad gravium quidem, sed quæ nobilissimas

Psal. 149.

In Psal. 149. *To.* 12. 105.

Co-

Coronas ordiantur, Catenarum patientiam universos adhortari.

2. Ab ea itaque initium sumat Oratio, quam nobis Evangelica Paupertas injicit, squalidam illam rubigine, & pondere gravem, & omnibus nostris membris circumductam. Hæc illa Catena est, sub qua omnes Filij Dei, & Cœnobiorum Alumni nullo non tempore ingemiscunt: nec ullam habent diei noctisve partem, sive somnum, sive cibum capiant; quo vel excutere, vel allevare onus possint. Hinc enim lectuli tum durities, tum brevitas; illinc verò tenuitas, parcitásque victûs; vestis ignobilitas, asperitásque; cubiculi egestas atque angustiæ; longè molestissimæ Catenæ pondus, ac dolorem quovis tempore ac loco ut sentiamus, efficiunt. Quò verò gravior ea, obscuriórque nobis videtur, eò nobilior, ornatiórque judice Cælo est. Ab hac enim omnem Novæ Legis felicitatem auspicium sumere Christus voluit; ab hac primùm Evangelij sui Sectatores Præconésque dici, & esse beatos jussit: BEATI PAUPERES *spiritu, quoniam*

am ipsorum est Regnum Cælorum. Enimverò tantos Paupertati honores haberi lætatur, ac miratur Ambrosius. INDE *incipit*, exclamat, *beatitudo judicio divino*, UBI ÆRUMNA ÆSTIMATUR HUMANO. Adeò illa Filio Dei placuit, ut non alibi, quàm in stabulo prodire in lucem, vitam verò non nisi in Cruce ponere in animum induceret; atque illic centonibus involvi, hîc nudus aspero in trunco efflare spiritum vellet. Huic pariter, quam primam Virtutum Christianarum dixit, amplissimum patrimonium, & in Naturam, ejúsque corruptiones omnes prærogativum jus, prodigiosámque vim attribuit. Eam ob rem cæteros Apostolos patrandorum miraculorum Virtute Petrus superavit, nempe qui primus omnium dixerat: *Reliquimus omnia.* Idque ipse in eo prodigio, quod primum omnium edidit, dilectam sibi paupertatem contestatus, publicè professus est, eo, ùt opinor, consilio, ut claudi in pedes erecti prodigium illi potissimùm virtuti tribueretur, quę, paternâ hæreditate abjectâ, nullâ opum cupi-

Lib. 1. in Offic. c. 16. To. 58. 6.

piditate tangeretur. *Argentum & au-* Act. 3. 5.
m NON EST MIHI, *quod autem ha-*
,hoc tibi do: SURGE; *& ambula.* Quod
verò mirationem alicui facit, tantam,
nq; prodigiosam vim Petri verbis inesse,
ut momento temporis membrorum u-
m, pristinámque sanitatem ægris restitu-
ret, is, si eundem navi, retibusque exu-
m, & malè tectum conspexerit, facilè
telliget, eam vocis efficaciam, & mira
uæque patrandi facultatem inde potissi-
ùm profecta fuisse; quòd &, quæ habe-
at, abjecerit, & ab ijs, quæ ad eum è di-
enditis agris redactæ opes deferebantur,
mmam semper abstinentiam retinuerit.
am ob rem Augustinus. *Ne mireris*, in- Serm. 26. de
uit, *possessorem virtutum; antè professus est* verb. Apost.
renunciatorem divitiarum. *Iustè namque* To. 26. 152.
quebatur, UT LARGIRETUR SI-
NA, QUI OPES CONTEMPSE-
AT. *Quid hac paupertate ditius? Argen-*
m & aurum non habeo. Sed quid habet, qui
gentum non habet? ELOQUIUM VE-
EMENS. *Qui aurum non habet, fidem*
bet. Ob hanc causam Deus ijs Religio-

ſorum Virorum Ordinibus, qui ſummam mendicitatem profitentur, majorem prodigiorum patrandorum virtutem, gloriámq; conceſſiſſe videtur. Certè tribus illis Franciſcis Aſſiſio, Paulino, & Noſtro tantum, támque inauditum in res creatas imperium collatum eſt, ut Apoſtolis propemodum pares, priſcis Vatibus ſuperiores vulgò ab omnibus haberentur. Et quoniam Indiarum Apoſtolo tum longæ navigationis moleſtiæ, tum ſoli, políque varietas, tum regionum barbaries, tum denique laborioſiſſima Evangelij diſſeminatio non omnia ſolùm commoda negaverant, ſed incredibiles, & humanâ imbecillitate majores ærumnas accerſebant, eáſque ille inſuper duriſſimâ victûs veſtitúſque ratione ſic aggravabat, ut pedibus nudis, intecto capite, incederet; præter pauxillum oryzæ aquâ maceratæ, crudáſque herbas nihil adhiberet; feſſa diurnis laboribus membra ſuper nudam humum, & aſpera ſaxa ad brevem quietem obijceret; veſte uteretur è rudi cannabe, cruciando, quàm tegendo corpori aptiore; infimo cuique ac miſerri-
mo

o famularem operam navaret; ægris &
oribundis præstò esset: ideò illi Deus o-
nes Miraculorum fontes reseravit, vi-
imque,ac mortuum tum incorrupti cor-
oris gloriâ, tum prodigiosæ in Naturam
otestatis famâ illustravit, ingentibus eum
uotidianísque prodigijs Christiani Orbis
Thaumaturgum prædicantibus. *Quid
abet, qui argentum non habet?* ELOQUI-
IM VEHEMENS.Ità nimirum de
Petro scripserat Augustinus. Xaverij verò
ostri vel ipsum silentium omnipotens
uodãmodo videri potest; tacet ille qui-
ém placidâ videlicet quiete compositus,
d interim imperat morti, animátque ca-
avera. Imperat aquis, &, quos hause-
ant, terræ restituunt: morbis imperat,
uos Adami culpa in genus humanum in-
exerat, & salvos liberósque, quos detine-
ant, dimittunt. *Qui aurum non habet, fi-
em habet.* Et adhuc ignorare possumus,
uanto in pretio Numini sit dura illa votæ
Paupertatis Catena, cùm ea captivos suos
am potentes efficiat, ut Dæmonem inje-
tis vinculis coërceant,& morborum,
tem-

tempeſtatum, mortis denique ipſius ineluctabiles nodos diſrumpant. Immotum itaque, fixúmque eſto: beatos eſſe Pauperes Spiritu adeò quidem, ut cùm ijs Chriſtus, quos, quia injurijs affecti, oppreſſi, contempti, ferro ignéque vexati fuiſſent, extremo loco beatos dixerat, haud amplius, quàm uberes in Cælo fructus, copioſámque olim ex injuriarum & tormentorum patientiâ referendam mercedem promiſiſſet: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in Cælo:* Voluntarijs Pauperibus Cælum ipſum, quantum quãtum eſt, eſſe præmium juſſerit. QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM.

3. Atque hæc ſunt Evangelicæ Paupertatis ſincerè dilectæ decora, præmiáque; quæ quò majora, illuſtrioráque ſunt, eò graviores pœnæ, atrocioréſque exitus ejus hoſtes & contemptores manent. Enimverò quotieſcunque ſeveritatem Petri mecùm ipſe retracto, toto corpore contremiſco. Primus ille, maximúſque Chriſtianorum omnium Pontifex in tres omninò

ò homines ſeveritatem ſuam exercuit, ac
ıortis ſententiam pronunciavit: fuerunt
, Magus Simoniacus, duóque conjuges
olatæ, quam Spiritui Sancto voverant,
aupertatis Rei. Et, quod animum me-
m magìs movet, ac frigidum ſudorem mi-
i exprimit, priùs ille in Ananiā & Saphi-
am juſtâ irâ detonuit, quàm Simonem
veneficum fulminaret. Adde, tametſi
Apoſtolus iſti vitam ademerit, pœnitendi
amen tempus indulſit; duos verò Fœdi-
ragos ſimul increpuit, & perfidiæ coargu-
t, ſimul exanimes ad pedes ſuos retracta-
æ donationis vindex abjecit. Ut adeò
nitiorem Malcho tum vel maximè cate-
nas Chriſto injicienti, & Præſtigiatori de-
errimo, & Inferorum conjurato ſe Petrus
ræbuerit, quàm ijs, qui pauxillum æris ex
gro Apoſtolorum uſui conſecrato reda-
cti ſibi privatim ſepoſuerant. Ea, ùt ar-
bitror, cauſa fuit, ut Concilia Oecumeni-
ca, Summi Pontifices Chriſti in terris Vi-
carij, & Sacrorum Ordinum Conditores,
ſepulchrum quoque damnatis illorum ca-
daveribus qui mortem inter Monachos
ob-

obijſſent uſurpatis contra fas nummis infamem, cum ingenti Religioſorum hominum terrore, immortalíque Reorum dedecore, latâ lege, negaverint. Ut adeò ijſdem Diris, quibus Simoniæ Spiritum Sanctũ ſacrilegæ nundinationi ſubhaſtantis temeritas in ortu ſuo perculſa fuit, ſubinde à Gregorio Magno Sanctiſſimo Præſule irâ implacabili læſæ Paupertatis Reos, eorúmque oſſa è Cæmiterijs refoſſa, & in proximum ſterquilinium abjecta, renovatâ imprecatione, devoverent.

4. Neque verò vel illorum repentina mors, vel iſtorum inhumata, Corvíſque relicta cadavera (ſit atrox licet utrumque ſupplicium) animum meum concutit, ſpiritúmque exhaurit: gemini enim Conjuges illi conceptis verbis palàm juraverant, ſe, quidquid haberent fortunarum, Deo conſecrâſſe; quare mirum non eſt, eos violatæ fidei, ac ſacrilegi furti crimen morte piâſſe. Illud enim verò me movet, horroréque perfundit, cùm lego Hebræorum acies non ſemel à Barbaris deletas, ipſúmque Joſuam, qui Solem imperio frenaverat,

:, turpiter in fugam actum haud aliam causam fuisse, quàm, quòd Achanus mo nullius famæ, & Lixa potiùs, quàm les, quíque ne Voti quidem nomen inlligeret, nescio quid è præda subtraxisc. At enim Electi Populi Ductori pam Deus denunciavit, nũquam se cum ils Exercitibus rediturum in gratiam, aut ugnantibus adfuturum, donec eum, qui e spolijs divino furori devotis, unum alrúmve in usus suos averterat, novo supplicij genere sustulissent. *Non ero*, inquit *ulà vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus eleris reus est*. Iof.7.12. Támque atrox prædatom pœna secuta est, ut saxis eum commiuerent, tabernaculum ejus, ac supellectilem omnem, parvósque liberos ob id som noxios, quòd scelesto, exitialíque pae nati essent, vorax flamma consumeret. *apidavitque eum omnis Israël*, ET CUNTA, *quæ illius erant*, IGNE CONSUMTA SUNT.

5. Sed ex hac quoque, quamvis funeissimâ, clade respirarem, nisi atrociùs lonè in eos quoque, qui Paupertatem non nisi

nisi verbo tenus, levitérq; læsissent, animadversum fuisse sacra Volumina testarentur. Rei seriem Numerorum Liber vicesimo primo capite percenset. Diuturno ac laborioso per vastas solitudines itinere fractæ Tribus Hebrææ Moysen interpellârunt, summâ se aquarum penuriâ laborare, nec aliud, quo famem pellant, habere præter pluviale Coriandrum, quo unicè vescerentur, omni subinde humani cibi, ac panis quoque usu se privatos esse, querentes, gementésque exponebant. *Et tædere cœpit Populum itineris ac laboris, locutúsque est: deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Vix illi querelas suas absolverant, cùm in eos Deus serpentes ignitos immisit, quorum morsibus laniarentur, toxico inficerentur, & geminâ peste interirent. *Quam ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Itaque ad vindicandam querimoniam, quam commeatûs inopia expresserat, haud satìs idonei Carnifices vel Dracones è proximis antris evocati, vel carbones è fornacibus rapti Deo visi sunt, quòd existimaret,

Num. 21. 4.

, homines Paupertatis pertæsos, nec so-
igne, licet in cinerem redigerentur, nec
o viperarum veneno in vitalia serpente
o sceleris gravitate castigari posse. Qua-
novo prorsùs, & inaudito portento,
mmas venenis, ac lanienam incendiis
ierulam gentem exstirpaturus commi-
uit. At isti neque Paupertatis sacramen-
o se addixerant, neque Phasidis aves, aut
retica vina postulaverant. Panem pe-
bant, & fluviatilem lympham require-
ant. *Deest panis, non sunt aquæ.* Quod
autem Deus qualemcumque cibi, po-
isque cupiditatem, licet in sitis remedi-
m nubes duntaxat, rupésque vocaren-
ir; populo nullis Votis adstricto, nullâ
erfectioris vitæ cognitione illustrato im-
inè abire non concessit; conjiciat unus-
uisque vestrûm quantò justiùs, atque se-
eriùs in Cœtus illos animadversurus sit,
ui Apostolicum vivendi genus professi,
Evangelicæ Paupertati mancipati, pa-
e, vino, victúque honesto de Christi pa-
imonio sustentati, omnem tamen seu ci-
i, seu potûs tenuitatem, incommoda


quælibet importunis queſtibus incuſant. Equidem ne hoc paſſim accidat, Dei Clementia prohibet; ſi quem tamen Paupertatis hoſtem ea labes aliquando corriperet; nemo eſt, qui non videat, alterutrum neceſſarium eſſe, vel ut Deus, qui tot Hebræorum millia, quòd diuturnam frumenti, aquarúmque penuriam impatientiùs tuliſſent, de medio ſuſtulit; pari quoque in eos, qui leviorem ob cauſam tumultuarentur, irâ deſæviat; vel, ſiquidem hinc fœdifragis parceret, eos verò, qui nullius injuriâ Voti peccaverant, malis omnibus mulctaret, hominibus potiùs quàm cauſæ favere, certè non ſatìs æquum ſe judicem præbere videretur. Fatendum igitur eſt, quòd idem Deus, qui populos famem, ſitímque ſub Moyſis auſpicijs queri auſos, nec quidquam ultra panem frigidámque requirentes, tam vaſtâ nihilominus ſtrage delevit, illos alios, qui, cùm rebus ad vitam honeſtè tolerandam abundè ſint inſtructi, hanc tamen ipſam copiam accuſant, inaſpectabili quidem, ſed eò diriore ſupplicio, quò gravior eſt animorum clades

, quàm corporum, vel in præsenti vita
ſcatur, vel decretas Hebræis agmini-
pœnas, quæ tamen ob egreſſum ex
;ypto ſacrorum Ordinum non niſi ob-
:æ umbræ, ac rudia quædam imita-
nta extiterant, in futuram reſervet.
n verò, cùm certò mihi perſvadeam ne-
nem eorum, qui in conſveta rerum ne-
ſariarum copia non acquieſcunt, deſti-
:is ſupplicijs ſeſe ſubtracturum, ex alte-
/erò parte dubitare meritò debeam, ne
m, me Præſide, contingere poſſit, quod
ductu Moyſis, cui quidem nulla ex
te comparandus ſum, olim accidiſſe
/imus, omnes Collegiorum noſtrorum
ctores per omnia Sacra obteſtor, diu
ctúque in id animum ut intendant, ne
:relis, nempe quas tam ſeverè Deus ca-
;at, locus apud nos ullus ſit. Imò quò
plicabiliùs adverſus eos, qui de fame ſi-
ue conqueruntur, ultio divina graſſa-
, tantò vigilantiore curâ omnem ijs in
Cęlo tam invisâ, delinquendi amputare
am Præſes debet. Quam ob rem diem
llum abire ſinat, quo non ſæpe diúque

cum rerum domesticarum Administris colloquatur, videátque, ne quid earum rerum, quas servandis eorum corporibus aut consvetudo præscripsit, aut Instituti nostri ratio indulget, subditis suis desit. Mementote, quemadmodum religiosam Disciplinam ab ijs, qui parent, ad unguem exigitis, sic eorum necessitatibus consulere vos debere, ut ijs ad obeundas muneris sui partes, exhauriendósque labores, animi corporísque vires suppetant. Quemadmodum igitur illi, si de qualicumque penuria conquerantur, haud leve piaculum admittunt, ità Nos cum ingenti quidem virtutis gloriæque incremento cum rei familiaris præfectis disquiremus, riténe ac fideliter victus, vestitúsque ijs præbeatur, qui se paternæ nostræ curæ charitatíque commiserunt. Qua in re si, more meo, planè, quid sentiam, dicendum est, ingenuè confitebor, longè magìs vereri me, ne Præsidum potiùs incuriam, quàm subditorum impatientiam accusare debeamus. Omnes proinde, quibus aliqua regendæ Societatis hujus Provincia comissa

est

t meminisse velim, nullū è nostris homi-
b⁹ non in multo labore, ac corporis atq;
nimi contentione vitæ suæ cursum tran-
gere: alius enim in officinis opus facit; a-
ius literas in Lycæis tradit; alius ad conci-
onem dicit in templis; alius lucubratur,
& philosophatur in Musæo; alius per fora
Christianæ Doctrinæ rudimenta exponit;
alius montes ac littora peragrát, & rudes
populos piè vivendi rationem edocet:
quare si quilibet Operarius mercede suâ
dignus est, quantò isti digniores sunt sim-
plici illo planéque necessario commeatu,
quem Filijs suis, quorum plerique in co-
piosis familijs nati, omnes verò universis se-
se fortunis, atque opulentis patrimonijs
exuerunt, nullo penitus asse privatis suis
necessitatibus, aut commodis reservato,
arctissimis limitibus Societas circumscri-
psit. Omnes itaque, qui Cætibus tam
egenis, tam laboriosis, tam religiosis, tam
bene de bono publico meritis præsumus,
illud Christi Turbas, à quibus audiebatur,
miserantis dictum in ore habeamus: *unde
ememus panem, ut manducent hi?* Quo lo- *Ioan. 6. 5.*
 co



co notari velim, Christum nullam planè vel minimam de se, suísque Apostolis, curam suscepisse, multò verò maximam gessisse, palámque demonstrâsse, quàm anxiè de Sectatorum suorum explenda fame laboraret. Nec enim dixit: *ut manducemus*, sed, *ut manducent hi.* Sed & illud solicitudinem nostram debet intendere, quòd videamus, homines ijs Natalium & Doctrinæ ornamentis præditos, nullam penitus sui, suarúmque necessitatum curam gerere, in complexu Apostolicæ paupertatis prorsus acquiescentes. Ego certè miratus haud rarò sum, cùm interdum alicujus utendæ rei potestatem sibi fieri à me postularent, singularem nostrorum hominum providentiam, quam in gravissima Catena, quâ singulas corporis nostri partes Paupertas Religiosâ circumdat, ferendâ universi adhibent. Hinc est, quòd haud pluribus agendum mihi ducam, ut primum hoc Vinculum Paupertatis, cui nos jurejurando adstrinximus, suò in robore conservetur, tum quòd arbitrer satìs fideliter sanctéque illud haberi; tum quòd

Evan-

Evangelica hæc Nuditas haud eodem modo in omnibus ſacris Ordinibus reperitur; longè enim illa tolerabilior mitiórque apud Ignatij Diſcipulos, ſi Miſſiones inter Catholicos, & expeditiones inter impias, Barbaráſq; Gentes excipias, quàm apud Franciſci Alumnos eſt. Ad ſecundam itaque Catenam, quam B. Aloyſius ex argento tam puro geſtavit, ut Angelicum propè candorem æquaret, ſeſe jam Oratio convertat.

6. *Ego vinctus in Domino.* Si primum illud, de quo diximus, Vinculum, veluti graviſſimo ferro propter eam, quam Paupertas Sectatoribus ſuis vitæ aſperitatem imponit, conflatum eſſe videri potuit, minùs profectò aſpera, ſed longè ſeveriora, & adſtricta magìs ſunt Vincula Caſtitatis: quippe quæ, cùm laxantur, rumpuntur, nec ullam, ſi conſenſus adſit, materiæ parvitatem, utì Scholæ loquuntur, indulgent. Hæc porrò ſecunda Catena illuſtri argento perfecta in Dei Filios Adami Nepotes transſcribit, cogítque corporum ſuorum oblitos tanquam extra terræ hujus lutum

positos purissimorũ instar Spirituum Stellas inhabitare. In hunc nempe modum S. Ambrosius sui temporis Virgines allo-

Exhort. ad Virg. To. 58. 99.

cutus est. *Hoc vobis suadeo, quo nihil pulchrius*, UT INTER HOMINES ANGELI SITIS. Adeò videlicet sublime hoc vitæ genus est, ut hominibus homines eximat, eósque in Cherubinos, Arcæ Custodes, Cælíque delicias convertat. Producant sanè cilicia sua, flagella, cæterúmque Pœnitentiæ apparatum ejus Professores, jactent speluncas suas Anachoretæ, sua Volumina eruditi Scriptores ostentent, Sacras Scripturas explicent Contemplationis Alumni, Martyres denique ferrum ac flammas exhibeant; ubi primùm in conspectum se dederint Angelica Vincula Castitatis, ipsius Dei oculos ad se rapient, ab eóque singulari tum amore, tum commendatione dignata, nisi fortè omnibus alijs præferentur, nulli certè postponentur. In hanc planè sententiam Gregorius Nyssenus ad Nanzianzenum Sanctitate vitæ

Orat. 1. ad Greg. To. 59. 78.

parem, sapientiæ famâ superiorem scripsit. *Neque enim* QUIDQUAM *apud Deum*,

qui

piurius est, PLURIS HABETUR, UAM PURITAS. Sanè Æterni Ver-Matrem nec aspera cilicia, nec inflicto-n vulnerum cicatrices, nec docta vo-nina, nec fusus pro Religione sanguis ornat: unus illam integerrimæ mentis ndor, & intaminatæ Virginitatis decor n mirabili Lilio donavit, ut illud ipsi vi-clavis; quâ, recluso Cælo, in sinum su-n devocaret immortalis gloriæ Regem, instar sceptri esset, cui omnes Marty-m palmæ, & Sapientum Laureæ, An-lorúmque Coronæ sese submitterent. ici non potest, quàm chari Deo sint Cœ-s illi, in quibus cœlestis hujus pudoris il-)atus candor effulget.

7. Eum verò, qui cælestem hunc ni-rem hebetari solùm, ne dicam infuscari, : fuligine tingi, passus sit, non modò è)mitatu suo; ad quem haud alios, quàm iâvis nive puriores admittit, procul A-ius ille Divinus arcebit, sed mutatus in eonem pedibus dentibúsque inexorabi-; vindex lacerabit. Subeat hîc animos astros Chaldæi Colossi depravatio, ac

degener exitus. Ex auro ſolaribus certante radijs illi caput ſurrexerat, ſubinde in argentum multò ignobilius, obſcuriúſque metallum brachia, pectúſque abiêre. Certè Chriſtum, quem imminens Simulachro Rupes referebat, mutatio illa offenderat, neque tamen ullum conceptæ indignationis ſignum prodidit. Paulò pòſt ab argento in humiliorem materiam deſcenſum eſt, ventre femoréque fuſco ære rigentibus. Et hîc quoque ſe continuit iratus ſcopulus. Ahenea deinde membra, quæ medium Gigantem componebant ferrum excepit infauſtum impij, & vindictam ſpirantis animi Symbolum, ídque tibias pedúmque partem inſederat. Et hactenus quidem immota rupes ſtetit, furorémque repreſſit. At verò cùm ferreæ plantæ in fictiles digitos deſiêre, tum enimvero ſpōte ſuâ mons crepuit, abruptúmque ſaxum per prona devolvens ſtatuæ impegit, quo icta gleba, tantula immenſi Gigantis pars Coloſſum deſtituit: atque ille tenuiſſimum in pulverem reſolutus ventorum ludus jacuit; nullo neque veſtigio, neque tan-

tantæ molis vel minimâ portione superstite. *Abscissus est lapis de Monte sinè manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis,* Daniel. 2. 34.
ET FICTILIBUS. *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, quæ rapta sunt vento.* Equidem dubitare non possumus, Patres, Fratrésque mei, quin vehementer admodum offendatur Deus, si quando Apostolicæ perfectionis Aurum in Christianæ probitatis Argentũ Cœnobiorum Alumni convertunt. Quod si deinde hoc ipsum Argentum in naturalis cujusdam vulgarísque pietatis Æs se demiserit, multò id molestius accidit Divinæ Majestati: dici verò non potest, quantas in iras Numen assurgat, cùm sonorum hoc æs profanæ philosophicæque sapientiæ intractabilis animi, & injuriæ omnis impatientis durities consequitur. Hactenus tamen tantam, támque fœdam rerum conversionem dissimulare Cælum, atque iræ suæ imperare, videtur. At verò si ruentium in pejus animorum calamitas hîc non sistat, sed ulterius in licentiam aliquam impetu sensuum abripi se permiserit, sic ut Fer-

Ferrum Cretæ miſceatur, tum enimvero ejus furor erumpit, & univerſam Molem diſſolvit. Quare ſupplicia, quæ primis illis converſionibus auri in argentum, argenti in æs, æris in chalybem dilata fuerant, univerſa denique infliguntur, cùm cretæ, licet excoctæ flammis, minimum apparere veſtigium cœperit. Animadvertite autem, à me neque luti ſordes, neque carbonum fuliginem nominari, quoniam neque Daniel inquinamentorum ejuſmodi meminit. De Samia vel murrhina teſta, nec illa impura intelligi volo, quæ tamen quia fragilis, adeóque à perfectiſſima Continentia abeſſe videtur, Deum movet, ut clariſſimas quondam Familias, rerúmque geſtarum gloriâ illuſtres, deſtituat, atque proſternat. Id porrò, quod Cœtibus integris, quos ideò Deus peſſumdedit, quòd Angelicæ Caſtitatis decus non ab omni prorſus intactum nævo conſervare ſtuduerint, evenit; multò id magis in ſingulorum animis eveniet, qui pro tuenda nobiliſſima virtute non omnes curas, vigiliáſque intenderint. Et profectò nemo

eſt

ſt noſtrûm, qui prima perfectioris vitæ
rincipia non auro illuſtraverit, ſpémque
ecerit, fore, ut primos naſcentis Eccleſiæ
Heroas virtutum prodigiorúmque magni-
udine æquaret. Subinde factum eſt, ut
oſtrûm aliqui argenti ſplendore contenti
llud modò perfectionis, ad quam conten-
dere nos oportet, ſtudium adhiberent,
quod ſatìs eſſet ad vitam ità tranſigendam,
ıt nihil haberent homines profani, quod
reprehenderent, multa verò, quæ com-
mendarent. Poſt hæc aliquis de magna
potiùs eruditione, quàm ſanctitate ſolici-
tus, argentum in æs traduxit. Pauciſſi-
mi deinde, ſed tamen inter tot perfectio-
nis ſtudioſiſſimos, & tenaciſſimos Diſci-
plinæ, fortè aliqui jugi Religioſi tædia in
ferri naturam abijſſe viſi ſunt; cavent illi
quidem, ne immorigeri, & legum incurij
habeantur, interim dignitatem ſuam acer-
rimè propugnant, atque eam imminutum
euntibus prompta arma oſtentant. Hos
ego primùm, tum alios omnes, qui ſimi-
lem vivendi modum tenent, moneo, at-
que hortor, caveant diligenter, ne ferrum
in

in cretam coëat; nempe ne quando hunc elati animi fastum ulla levitatis ac licentiæ species consequatur: manifesto enim divinæ ultionis argumento publicâ infamiâ notatus ijs ipsis, à quibus nuper observabatur, contemptui foret. TUNC CONTRITA SUNT PARITER *ferrum, testa, æs, argentum & aurum.* *Tunc*, puta, cùm in quopiam Religiosi Cœtûs à Sanctissimis Viris instituti Alumno intuendi, differendi, vel legendi qualiscumque libertas deprehendetur, tunc, inquam, omnes eum velut abortivum sanctitatis fœtum, & suspectæ licentiæ portentũ exhorrescent.

8. Tam absurda porrò non in coctiles modò lateres, condonandam videlicet alijs, quàm Religiosis, sensuum morúmque libertatem, sed in sordidissimum cœnum, sed in graveolentes lacunas, sed in Tartarea, picéque fluentia stagna abeuntis auri mutatio à tam modicis initijs, levissimáque incuria proficiscitur, ut quisquis secum perpenderit, quàm facilis sit in funestam adeò Catastrophen transitus, non possit non vehementissimè animo commoveri.

Agi-

gite enim, & Davidis fatum unà mecum cognoſcite. Pſalmos ille ſepties quoti- e decantabat; panem cinere conſper- m eſitabat; funibus renes adſtringebat; ctes precibus, ſvaviſſimíſque cum Deo lloquijs extrahebat; quidquid opum in rarium inferebatur, id Templi ſtructuræ ſervabat; vitæ ſuæ inſidiatoribus, & fa- æ ſuæ obtrectatoribus ignoſcebat. Hunc amen talem ac tantum Virum unus, i- émque fortuitus, & è longinquo aſpe- tus in vaſtum turpiſſimæ intemperantiæ arathrum præcipitem egit. *Vidítque mu- ierem ſe lavantem*: hoc ſatìs: nam quæ de- nde ſubſecuta ſunt, tum loci hujus religio, um aurium veſtrarum pudor prohibet re- enſere. Exigat nunc unuſquiſque ſecum, uàm planè neceſſe ſit hâc argenteâ Ca- titatis Catenâ ſenſus noſtros ambiri, ar- tiſſimóque nexu circumplicari: ſiquidem antæ virtutis, & auſteritatis Viro tantam ladem inconſulta curioſitas intulit. Re- tè nimirum Gregorius Religioſæ vitæ graviſſimus Auctor, Orbíſque Chriſtiani anctiſſimus Pontifex monuit. *Vt munda* mens

2. Reg. 11. 2.

Lib. 21. Mor. c. 2.

To.3.2.357. *mens in cogitatione ſervetur*, DEPRIMENDI SUNT OCULI, *quaſi quidam* RAPTORES AD CULPAM. Et quis eſt, qui Jobum ſeveriſſimas oculis ſuis leges ferentem, perpetuámque cæcitatem, ne quando ullam rerum non tutiſſimarum ſpeciem ad aſpectum admitterent, indicentem hîc non exaudiat? *Pepigi fœdus cum* Iob. 31. 1. *oculis meis*. Haud ſcilicet credidit afflictiſſimus, & innocentiſſimus Princeps, poſſe mentem ſuam in gradu conſiſtere, ac non in præceps ire, ſi frena oculis ad aſpiciendas res quidem minimè malas laxâſſet. *Ne priùs incautè aſpiceret*, QUOD POSTMODUM INVITUS AMARET. Unius enim ſententiæ lectio, aut pictæ tabellæ, aut dimidiæ faciei aſpectus, tam tenacibus vinculis ſeu formis, quas vidimus, ſeu illicijs, quæ nobis vel libri, vel ſcenæ repræſentârint, animos illigant, ut ad eos diſſolvendos ne fortiſſimi quidem Sampſonis robur ſufficiat. *Semel namque ſpecies formæ* CORDI PER OCULOS ALLIGATA, *vix magni luctaminis manu ſolvitur*. Quot heu lachrimis error iſte deflebitur!

nem-

nempe temeritatem ac vecordiam ſuam defixa Cælo lumina damnabunt, ſepulchra ſibi atque Inferos ingeret animus, ut impreſſam imaginem obliteret, admiſſúmque importuniſſimum adverſarium rejiciat; haud tamen efficiet, ut quas oculus ſcintillas accendit, eas deleant torrentes lachrymarum, & ſepulchralis opprimat cinis. Hoc ſcilicet eſt, quod Rex ac Vates in ipſo Pſalmorum ſuorum Exordio futurum prædixit. *Beatus Vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* Pſal. 1. 1. Atque hîc Baſilius, graviſſima, inquit, monita, innumeráque Myſteria vox una Prophetæ complectitur: illum quippe beatum, ac felicem appellat, non qui procul à perverſis ſemitis nunc quidem abeſt, ſed qui nunquam ad eas propiùs acceſſit. *Conſidera, quomodo unaquæque dictio dogmatibus repleta ſit! Non dixit, qui non abit,* SED QUI NON ABIIT. Hom. 1. in Pſal. To. 55. 48. Id nimirum, ut mihi videtur, ait Baſilius: Miſerum te! quiſquis in Animum tuum imaginem non optimæ rei recepiſti; tametſi enim ab Amphitheatris in ſilvas, ab hominum frequentia in loca ſola ſeceſ-

ſeris: licet convivalibus menſis inediam, fabulis Poëtarum lectionem Evangeliorum ſubrogâris, novos tamen identidem hoſtes nova prælia veteres illecebræ tibi ſuſcitabunt, & licet horridæ te rupes acceperint; licet ferarum belluarum fremitus circumſonent; licet ipſe pectus planctibus ferias; gemas; ejules; nihilominus ſudabis ſatìs, ut voluptatis cujuſpiam, quam tot ante annos non fortiter ab animo excluſiſti, lenocinijs non ſuccumbas. Ain' te vidiſſe quidpiam? Ego verò tibi denuncio, quamvis oculos Evangelico, ut ità dicam, pugione tibi erueris, licet ſulphureo Pentapolis ſtagno te vivum tumulaveris, futurum tamen, ut eodem puncto temporis ſimul impendentium metu ſuppliciorum obrigeſcas in glaciem, ſimul inardeſcas, viſæ quondam formæ imagine novam incendio materiam miniſtrante. SEMEL SPECIES FORMÆ CORDI PER OCULOS ILLIGATA VIX MAGNI LUCTAMINIS MANU SOLVITUR. Nullum ad conſervandam animo pacem in auſteritate vitæ præſidium eſt,

t, si quondam sensibus nostris libera, quò
ellent, excurrendi potestas facta est. Ar-
tia omnis, quam proferri audivimus; a-
umen, quod scriptum legimus; cincin-
us, quem calamistro vibratum vidimus,
cet modò nihil turbatum cieat, olim fœ-
as adeò inopinatásque tempestates exci-
abit, ut vel ipse Jonas mortem in exitium
nalit, ne vorticibus illis circumactus, nau-
ragij periculum adeat. Lolium quoque
mensibus aliquot nullum sui præbuit in-
icium, & videri deinceps omnino desijt,
ui bonæ illud frugi miscuerat. Subinde
amen in eam speciem ac magnitudinem
xcrevit, ut terrore, ac messis propè om-
nis desperatione repleret Agricolas. Quid
verò miramur, tantum periculum Tem-
perantiæ imminere ab re sponte potiùs suâ
n oculos incurrente, quàm studiosè ac-
cersitâ, cùm prima humani generis Mater
Divinæ amicitiæ, simul ac condita, parti-
ceps, & nativæ sanctitatis insignibus deco-
rata, è trunci aspectu in pomorum amo-
rem, quamvis in cortice scriptam mortis
sententiam legeret, tam impotenter exar-
C 2 serit?

ſerit? Heu me miſerum! vel inanimæ ſtir-pes, cùm temerè aſpiciuntur, perturbant animos,& corda rapiunt. *Neque enim Eva* (verba ſunt Gregorij) *lignum vetitum contigiſſet*, NISI HOC PRIUS INCAUTE CONSPICERET. Eam rem miratus, metuénſque Pontifex eruditus ſic ea, quæ dixerat, concludit. Si virtutis, inquit, primogenitis, licet ſua eos Innocentia defenderet, Gratiáq; obarmaret, tantum obfuit unius Arboris aſpectus, ut pulcherrima illa corporis animique cum virtute concordia diſſolveretur,plúſque apud eos pomi cupiditas, quàm Numinis reverentia poſſet, ſic ut frigido illo, & exſangui colore,quo extimam pomi pellem temporum maturitas inficit, illecti, non dubitarent immortalem beatámque vitam cum miſera & mortali commutare; quis deinde noſtrûm, quos naſcendi ſors in peccati ſervitutem tranſcripſit, adverſus vivas ſuóque ſanguine flagrantes formas, auſu temerario conſpectas, ſatis fortem ſe futurum putabit? *Hinc ergo penſandum eſt, quanto debeamus moderamine* ERGA ILLICITA

Loco ſup. indicato.

TA VISUM RESTRINGERE NOS, *qui mortaliter vivimus*, SI MATER VIVENTIUM PER OCULOS AD MORTEM VENIT.

9. Verùm age, Joannem Baptiſtam Evæ, atque hujus pernicioſæ curioſitati laudatiſſimam illius modeſtiam, circumſpectionémque, quam ne mortuus quidem omiſit, ſubſtituamus. Quippe cùm Magni illius Prodromi caput Herodis menſæ illatum eſſet, præter morem eorum, quibus cùm capite plectuntur, ictûs vehementia palpebras levat, nec deinde vel ſponte ſuâ, vel quæ Carnificum barbaries eſt, alienâ pietate premantur, clauſis oculis conſpectum eſt, manifeſto documento, mortuis quoq; cavendum eſſe, ne Herodiadis alicujus, aut Saltatriculæ aſpectu contaminentur; nempe quam vivus ore damnârat, cum hac ne aſpectu quidem redijſſe in gratiam videri voluit. *Clauduntur lumina* (inquit Ambroſius) *non tam mortis neceſſitate*, QUAM HORRORE LUXURIÆ. Quod ſi putas Ambroſium dulcedine Contemplationis abreptum piè

Lib. 3. de Virg. 10. 58. 80.

magìs, ut Baptiſtæ integritatem extolleret, quàm verè ſcripſiſſe, audi Hieronymum, qui non aliam ob cauſam illum etiãnum puerum paternâ domo profugiſſe, & vaſtum in nemus migrâſſe confirmat, quàm quòd timeret, ne domui ſuæ oculorum volubilitate ad contuendum quid, quod Angelicæ innocentiæ, quam impoſiti ſibi à Deo, Angelíque Oraculo antè, quàm naſceretur, parentibus denunciati muneris ratio ab ipſo requirebat, ulla ex parte adverſaretur. *Ioannes Baptiſta ſanctam Matrem habuit, Pontificiſque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum* CUM PERICULO VIVERET CASTITATIS. Jam verò ſi, qui materno ex utero ſanctus prodijt, id omne, quo vel procul impeti, perturbaríque innocentia ſua poſſet, ſtudioſiſſimè, tum in morte, tum in pueritia vitavit, poterimúſne nos, qui concepti, natíque in peccato fuimus, ſolâ, quam profitemur, Religioſæ vitæ probitate confiſi, tutò ſenſibus noſtris indulgere, quibus ſanctiſſimi viri omnem liber-

Ep. 4. ad Ruſtic.
Io. 17. 23.

libertatem penitus, ac ſeverè interdixerunt? Illud autem foret longè deterius, ſi ſecundùm eam in legendo, contuéndoque libertatem, inter eos, quos in literis, vel pietate inſtituimus, majorem quàm muneris noſtri partes ferunt, familiaritatem ac licentiam adhiberemus. Cedò mihi geminos Smaragdos colore, ac nativo frigore inſignes, eos tamen ſi inter ſe colliſeris, erumpere in ſcintillas, & incendia excitare conſpicies. *Si* LAPIDES *teras, nónne* IGNIS *erumpit?* Ità magnus Ecclesiæ Doctor Ambroſius teſtatum reliquit. *Lib. 1. Off. c. 21. To. 58. 11.* Ne multa, quiſquis ab omni puram rubigine pretioſiſſimam Caſtitatis Catenam conſervare, eámque in gemmatum torquem, cum Aloyſio triumphaturus, convertere cupit, cum eodem exclamabit, Numinis conſpectu æternùm ſe fruiturum, ſi laborioſæ hujus peregrinationis breviſſimo tempore in neminem oculos conjecerit. Quam circumſpectionem tametſi nonnunquam, licet raró, mihi viſus ſim, à quopiam noſtrorum Scholaſticorum jure deſiderare poſſe, eſſéque, qui

forſan in ipſo juventutis ſuæ flore majorem oculis ſuis libertatem indulgeat, quàm ego forſan in hac ruentis ætatis hyeme mihi auderem concedere: fateor tamen, conſtantem adeò communémque omnibus, qui hanc Societatem, quam adminiſtro, componunt, integritatem, candorémque à me ſuſpici, ut Angelis potiùs, aut fictis Pario de marmore ſimulachris, quàm hominibus carne ſanguinéque conſtantibus præeſſe mihi videar. Fortè autem hæc ipſa puriſſimæ vitæ integritas imminuere in nobis tertiæ illius, aureæq; Catenæ deſiderium poteſt; cujus cura tametſi Religioſis Ordinibus in univerſum commendata ſit, nobis tamen ſingularem, ac ſupra cæteros eximium cultum, ſatis ob eam rem proprijs legibus, S. Pater Ignatius præſcripſit. *Ego vinctus in Domino.*

10. Et verò Divinæ hujus Catenæ decus tanti fecit Societatis noſtræ Auctor, ut eam penè ſolam Alumnis ſuis commendârit. Paſſus eſt, ſuos tot alijs Cœtibus, quos veluti quoſdam veterum illorum Anachoretarum imagines, & Ægyptiarum

ſoli-

ſolitudinum inſtauratores Mundus adorat, tum veſtis, tum reliquæ vitæ aſperitate, concedere: ſuſtinuit, ut vitæ procul à turbis inter ſevera nemorum ſilentia, munitáque murorum clauſtra tranſactæ potior apud eos gloria eſſet. In obedientiæ verò laude Abrahamis pares, & Chriſto non diſſimiles eſſe juſſit: ſic ut nullum eſſe tam durum mandati genus, quod non perficeremus; nulla ignominiæ tormentíve ſpecies, quam ejus virtutis causâ non promptiſſimis animis ſubiremus. Et hanc quidem Aloyſius Divinâ quâdam, & incredibili fide ſic ſemper coluit, ut, cùm inter nos viveret, his ſe vinculis, juratæ ſcilicet Præpoſitis ſuis Obſervantiæ, tam arcto & inſolubili nexu conſtringeret, ut ne Deo quidem colloqui, niſi cùm illa permitterent, ſuſtineret; nec dubitaret ab ejus ſeſe conſvetudine proripere, cùm illa revocarent. Neque id modò factitare ſolitus erat, cùm ſummi Præſides, aut certè ij, qui ſplendore generis, doctrinæ, virtutíſque præſtantiâ quidam veluti Societatis Heroës, ac Patriarchæ videri poterant,

ità juberent. Enimvero multò libentiùs obtemperabat ijs, in quibus decora illa minùs essent illustria; ac tum denique sincerum sese obsequium deferre arbitrabatur, cùm vicariam Christi potestatem veneratus in Præside nihil pensi haberet, ecquis esset ille, cujus imperio motus, consiliáque sua omnia temperarentur. Tantumdem præstet, oportet, quisquis nostrûm excellētis adeò Voti, támq; Instituto nostro proprij, ut penè solum, certè præcipuum Societatis decus atque insigne habeatur, se studiosum profitetur. Et profectò res plena stultitiæ ac amentiæ foret, cùm imperia Dei nomine dispensentur, scrupulosè inquirere, cujus hominis manu conscriptæ leges, aut cujus Præconis ore rogatæ fuerint. Id quod Gregorius in Theologica Præfatione, quâ suos in Jobum Commentarios Posteris commendavit, acutè subnotavit. Erant videlicet, qui solicitè investigabant tristium illorum Oraculorum Auctorem: & licet librum illum Canonicum, & à Spiritu Sancto dictatum esse faterentur, longas tamen mo-

lestis-

lestissimásque quæstiones texebant, Samuelísne, an Moysis, an potiùs ipsius, cujus invicta patientia eo volumine describebatur, partus esset. Risum ea pugna Gregorio movit & admirationem, nec enim capere se agebat, quî fieret, ut, cùm faterentur lugubres illos Threnos instinctu Numinis compositos fuisse, tantopere subinde in Scriptore illorum investigando laborarent. Perinde acsi nos, cùm in manibus habeamus immortalia Doctoris Angelici Opera, & Cardinalis Bellarmini Controversias admirabiles, certi licet de Doctrinæ sanitate, præstantiáque Scriptorum, super eo demum pugnaremus, utrũ celeberrimi Doctores illi laudatissimas ac propè divinas illas Quæstiones nostratium Cycnorum, an peregrinarum Aquilarum pennis elucubraverint. *Si magni Viri susceptis epistolis, legeremus verba, ea* QUO CALAMO FUISSENT SCRIPTA *quæreremus, ridiculum profectò esset. Cùm ergò rem cognoscimus, ejúsque rei Spiritum Sanctum Auctorem tenemus, si Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras* *Præfat in Iob. To. 33. 3.*

DE CALAMO PERSCRUTAMUR? Ità Gregorius. Nec minùs absurdè faceret, qui cùm se Deo, utpote à quo imperium omne, velut à suo fonte derivari, nulla non pagina testatur: *Qui vos audit, me audit*, morem gerere certus sit, fastidiosè tricetur nihilominus probúsne sit, an improbus edicti Cælestis Præco? num sincero studio Disciplinam urgeat? num cupiditati potiùs suæ eâ in re obsequatur? utrùm denique subditorum potiùs perfectioni, quàm suomet genio, ac cupiditati cuipiam consultum velit? Deus itaque, qui linguis illorum loquitur, menti oculísque obversetur, oportet, haud secùs ac Salustium & Juvenalem miramur, nihil porrò soliciti, quo chalybe sua sensa ceræ impresserint, aut cujus volucris pennâ usi sint, siquidem folijs, aut papyro ea consignârunt. *Legentes litteras* DE CALAMO PERSCRUTAMUR.

Luc. 10. 16.

11. Quod si verò tanti Pontificis doctrinam calculo nostro comprobamus, par est, ut in obeundis, quæ imponuntur, mandatis alteri cuipiam ejusdem sapientissi-

tiſſimo ſanctiſſimóque conſilio accedamus. Nempe, ſi quando voluntatem ſuam Deus Præſidum noſtrorum ore nobis manifeſtat, ſic eorum imperijs obtemperare debemus, ut Hebrææ Gentis conſvetudinem, quam in Paſchalis Cænæ Myſterio uſurpavit, ipſi quoque imitemur. Eam victimam tam cupidè devorari ab Hæredibus Abrahami Deus voluit, ut officium dentium gulâ prævertente ſolidum Agnũ haurire potiùs, quàm cænare viderentur. *Caput cum pedibus ejus, & inteſtinis* VORABITIS. Ac, ſi fortè coſtarum, crurúmque durities ingluviem fruſtraretur, frangere oſſa, aut quoquo modo comminuere convivas Religio prohibebat: ſed integra ùt erant, igne, vero Sancti Spiritûs ſymbolo, jubebantur abſumere. Sic agat neceſſe eſt, qui Præſidum ſuorum juſſa capeſſit: ea veluti ſtillativum liquorem glutiat: Si verò præcepti difficultas ingenij noſtri modum excedat, sic à ſubditis accipiatur, quâ ratione Iſraëlitæ partes Agni, quæ comedi non poterant, habuêre. Non oſſa ſaxo frangantur, non in fimetum aut

Exod. 12.9.

aut rodenda canibus, aut putredine resolvenda jactentur. Quod subditi non intelligunt, veluti quoddam Divinitatis ænigma demisso capite venerabundi excipiãt, Deóque ipsi ejus intellectus, approbatióque remittatur. *Restant*, inquit idem Gregorius, *quæ intelligi nequaquam possunt. Quæ tamen igne comburenda sunt: quia ea, quæ capere non possumus*, HUMILITER SANCTO SPIRITUI RESERVEMUS. Non semper Rectoribus nostris inflare tubam licet, atque omnibus palàm facere, quàm potentibus rationibus inducti sint ad decernenda, quæ jubent, aut vetanda, quæ prohibent. Nec enim interdum aut prudentia civilis, aut secreti fides, aut Caritas Christiana permittit, ut gravissimæ, justissimæque latarum legum causæ publicentur. Quæ nisi obstarent, contingeret enimvero sæpe, ut, qui modò consvetudini alicui seu instauratæ, seu sancitæ Molossi instar oblatrat, ac genuinum infigit, consilium illud non probaret modò, verùm etiam magnopere veneraretur; si quidem quàm ille facilis est ad damnandum,

Lib. 20. Moral. c. 10. To. 32. 338.

dum, quod non intelligit, tam promptum esset Præsidi mali fontem ac remedij necessitatem aperire. Sed enim, ne aliorum vulnera detegat, imprudentium Judicum oratione se vulnerandum, ac morsibus lacerandum offert; fructum interim exhibet, ramum verò multóque magìs radicem oculis subducit, injectáque veluti terrâ superobruit. Quare quemadmodum nubilo cælo circumagi solem, stellásque lucere credimus, tametsi maximorum illorum siderum aspectum densi vapores oculis nostris subtrahant: ità, qui cervicem Apostolico jugo, quod ijs Obedientia imponit, subdidêre, in Præsidum suorum imperijs & æquitatem judicij, & rectissimæ voluntatis sanctitatem venerentur, quamvis inter eos, qui parent, & qui jubent, sacrum illud velum intersit, quo populus interiora Sacrarij, Aram, ac focum, quo Thymiama illud sanctissimum cremabatur, contueri vetabatur. *Quæ capere non possumus*, SPIRITUI SANCTO RESERVEMUS.

12. Neque id in rebus duntaxat levibus,

bus, & cùm imperia nec valetudini obſunt, nec famæ, ſervandum à nobis eſt; cùm in ijs quoque veneranda Ducum noſtorum conſilia eſſe, quibus tam nulla ſubeſſe ratio, quàm manifeſtum vitæ periculum & ineluctabiles difficultates implicari videntur, Sanctorum Virorum exemplis doceamur. Hîc ego vos non tam Hiſtoriæ, utpote perſpectæ omnibus, quàm animadverſioni, quæ mihi quidem pietatis ac novitatis habere plurimum videtur, adeſſe animis velim. Iſaacus Patrem ad Montem ſequebatur, intellexerátque per viam, ferro ſe flammíſque Hoſtiam deſtinari: ſcandebat ille nihilominus monſtratæ Rupis jugum, neque verbulo Patriarcham adoleſcens miſerrimus interpellabat. Certè quærere poterat, quo indicio conſtaret placere Cælo tam immanis Sacrificij ritum? quî ſciret Dei potiùs, quàm Dæmonis vocem fuiſſe, quæ, ut id faceret, imperâſſet? cauſari poterat, ſimile vero haud videri, Deum humani generis amantiſſimum, & à cædibus abhorrentem Filium à parente in victimam ſibi depoſce-

poſcere: ſuſpicari forſan licebat Senem aut intemperijs agi, aut à malo Genio poſſideri, qui Sacrilegium ac Parricidium Religionis & Holocauſti nomine prætexeret. Denique extorquere properanti Sacerdoti gladium, & fugâ ſe cædi ſubducere poterat: Nihil horum tamen ille aut fecit, aut dixit: ſed patris voluntati mentem ac cervicem inflexit, pyram, in qua jugulandus arſurúſque erat, ſibi compoſuit, denique nihil de Oraculi veritate ſuáque calamitate ſolicitus, nudato collo ictum expectavit. *Erat Iſaac honorem deferens Patri, uſque eò, ut adverſus paternam voluntatem, nec mortem recuſaret.* Age modò, ſi tantæ nobilitatis, tantarúmque opum Hæres, qui obedientiam nullo Sacramento Deo ſpoponderat, tantâ veneratione Patrem, quem ei Natura dederat, proſecutus eſt, ut morti ſe ſubtrahere, ne ſe illius imperio ſubtraheret, non auderet; quid illo futurum cenſes, qui Patris, quem Divino munere Gratiáque nactus eſt, cuíque Dei vicem inter nos obtinenti non ſemel iteratis Votis, penitus ſe ſuáq; omnia tranſcripſit,

Lib. 1. Offic. c. 17. To. 58. 7.

imperijs incruentis illis, leviſſimis, quæſtuoſiſſimis morem gerere detrectaret? Nempe inter Hebræos erit Paterfamilias, cui Filium primo nobiliſſimóq; loco natũ ad mortem urgere, eámque illi proprijs manibus inferre fas erit, quin alter fortunam ſuam incuſet, quin tam atrox Tragicúmque fatum expaveſcat, atque defugiat: Præſidi verò Religioſo non licebit, ſubditorum ſuorum quemquam vel leviter attingere, aut à voluptate commodóve ſuo ullo avocare, quominus ille lamentis & querelis omnia compleat, palámque in fugam ſe conjiciat? Vos ego, vos alloquor, Ignatij Filij, qui ſingulis menſibus Parentis veſtri divinam illam Epiſtolam ad menſam de ſuggeſtu recitari auditis, quâ ille vos, quidquid citra manifeſtum peccati periculum Obedientia imponit, venerari, atque obſeratis ad alia omnia oculis, tametſi Præpoſitus imprudenter, inutiliter, atque animo perturbato quidpiam imperâſſet, exequi voluit, immo qui nec executione neque hâc cæcitate contentus eos ex Alumnorum ſuorum numero ex-

expungit, qui, cùm imperata faciunt, non insuper eidem operi submissæ voluntatis assensum, & Rationis approbationem adjungunt: quânam, obsecro, ratione demandatum opus aut contemnere animo, aut voluntate aversari, aut abjicere manibus, imperfectúmq; relinquere potestis? Et fortè nos Præsides nostri aridos stipites diù multúmque irrigare, ingentia saxa loco dimovere, ac manibus transferre, sævas cruentásque de feris Belluis prædas agere jubebunt? Et ad hæc tamen exempla obedientiam ille nostram exigit, eos Viros proponit, qui animo imperterrito accensas fornaces subierunt, siccísque pedibus undas calcârunt. Verumenimvero non ego ista Sancti Parentis monitis stimulatus veris Aloysij sectatoribus imitanda proposui. Adolescentem exhibui, qui nè paterno edicto ullo genere observantiæ deesset, Aram conscendit, & ferrum, quod in ejus jugulum intentabatur, venerabundus expectat. *Honorem deferens Patri usque eò, ut adversus paternam voluntatem, nec mortem recusaret.* Ex hac tam generosa

submissione animi (repetam enim, quod dicebam) colligere quivis potest, quàm Religioso homine prorsus indignum, pudendúmque facinus illud futurum esset, si dum Princeps nullis, utì nos, illigatus Votis, vitam potiùs, quàm Patris imperium omittere mavult, ipse Vicarijs Christi nihil ultra pauculas sudoris sanguinísque genis fortè suffusi guttas ab eo poscentibus, refractarium se præberet, ac contumacē.

13. Quod si verò dubitare possem, huic nobilissimo exemplo tantam vim non esse, ut gravi quidem, sed gemmis pretiosissimis distinctæ Catenæ, quam Obedientia nobis injecit, cervicem submittamus, enimvero commutandum necessariò mihi orationis genus foret, & Isaaco Dathanem, illiúsque Monti trophæis exornato, coronatóque stellis, hujus voraginem sulphur, ac flammas vomentem subrogare deberem. Quare si amplissima præmia Obedientiæ persoluta, concessúsque Isaaci stirpi Christus nos haud movent, ut corpora, voluntatésque nostras Præpositorum nostrorum nutibus vocibúsque immolemus, ad

ad eorum certè pedes nos abjiciet horrendus contumacium exitus, novissimâque supplicia. Rem, utì gesta est, Numerorum liber recenset. Moysis, & Aaronis consilijs nonnulli è Synagoga repugnare ausi querebantur, contemni se ab ijs opprimíque. Quorum criminationes, advocatâ concione, Moyses castigavit, palámque calumniam redarguit; subinde ijs, quibus obsequium duraverat, à seditiosis Civibus secedere jussis, ità porrò universam multitudinem allocutus: Nisi, inquit, tumultuosas istorum voces inauditâ strage, novóque mortis genere Cælum vindicârit, nemo vestrûm me aut Antistitem suum, aut Dei Oratorem deinceps appellet. Vix hæc ille gravissimè denunciârat, cùm hiscere terra, patêre Orcus, ruere seditiosorum tentoria, ipsíque vivi videntésque cum liberis, cum domesticis, omníque supellectile mergi, hauriríque cœperunt. *Descenderúntque vivi in infernum, & perierunt de medio multitudinis.* Quod supplicij genus, tametsi per se sit longè gravissimum, longè tamen horribilius videbi-

Num. 16, 33.

 tur,

tur, si cum Ambrosio animadverterimus, in contumacium illorum ruinam omnia pariter Elementa conjurâsse, atque universa, quibus eorum pœna sublevari poterat, præsidia subtraxisse: quæ sanè res & ipsum movit, & nos in terrorem meritò dare debet. Nempe adeò in eos ira divina desævijt, ut in Barathrum præcipites acti, neque Cælum intueri, neque aërem haurire, aquâ simul ac terrâ exclusi, ne sepulchrum quidem possent invenire. *Abripiuntur noxij*, *& ità* AB OMNIBUS MUNDI HUJUS ABLEGANTUR ELEMENTIS, *ut nec* AEREM *haustu*, *nec* CÆLUM *visu*, *nec* MARE *tactu*, *nec* TERRAM *contaminarent sepulchro.* Atq; hic eorum exitus est, qui summis Ducibus obloquuntur, & Rectorum suorum imperia criminantur. Hîc ego continere me haud possum, cùm hinc laxata profundi claustra, hinc perduelles absorptos horrens ac tremens intueor, quin exclamem: O quot quot estis, Præpositis vestris duri, *Nolîte tangere Christos meos*, *& in Prophetis nolite malignari*, nã qui obtrectavit, interijt.

Epist. 82. ad Vercel. To. 40. 109.

14. Ab-

14. Abſit verò, ut cujuſquam veſtrûm oculos ad hæc adeò funeſta feraliáq; ſpectacula deducam: quamobrem è planitie, quæ perduellium pedibus ſe ſubduxerat, viámque ad Inferos patefecerat, in beatos Obedientiæ montes poſtliminio regrediamur. Iſaaci Collem relinquo, quoniam ille apparatum duntaxat Mortis, non ipſam exhibet. Illum ex omnibus Montem deligo, in quo Vitæ Auctor Obedientiæ causâ mortem oppetijt. En tibi Golgotham! En tibi Filium Dei, qui, ut nos exemplo ſuo provocaret, ac ſervitutis Religioſæ hoſtibus pudorem imponeret, in duro Crucis ſtipite cum morte luctatur. Huc oculos, huc animos advertite, quicumque imperia ſacra contemnitis, & Antiſtitum veſtrorum mandata oppugnatum itis. Hîc adeſto, ſi quidem, quod ſanè crediderim, vel unus eſt inter nos, qui nobiliſſimæ Catenæ anulos, quâ in officio continemur, malis artibus aut laxas, aut abrumpis. Ades, inquam, & Deum intuere, qui, prô quantum à te diverſus! mavult è vita, quàm vel latum unguem à

Patris imperio discedere. *Redimunt se, ne obediant* (verba sunt Bernardi) *Non ità Christus. Ille siquidem* DEDIT VITAM, NE PERDERET OBEDIENTIAM. Neq; verò hæc admirandæ illius virtutis, quæ in Christo singulariter effulsit, absolutissima perfectio, ac summa laus est. Equidem, quis enim dubitat? immortale facinus illud fuit, cùm Cæli, terræq; Rex, ut Patris voluntati obsequeretur, geminos inter Latrones infami de trabe suspensus occumberet: at enim Philippus, Andreas, Petrus, totúsque ille Martyrum Exercitus, qui ad decies millenos eodem die, eâdémque in silva Crucibus affixi sunt, magnis illum passibus insecuti fuêre. Proprium nempe, verúmque Christi morientis ornamentum ac decus Joannes Chrysostomus nobis demonstrat, fatetúrque se non tam mortem ab illo toleratam, quàm modum, quem in obeunda servavit, mirari, atque suspicere. Illud nimirum attonitum reddit Chrysostomum, quòd clavis transfixus Servator, &,toto corpore in stipitem elatus, incredibili tamen animi

Epist. 42.
To. 3. 27.

nimi

nimi quiete, attentionéque ità res suas inter acerbissimos cruciatus accuraverit, quâ nemo nostrûm suas in Canæ Nuptijs. Matrem Joanni, & Joannem Matri commendavit: Aurem Latroni adhibuit, & veniam peccatorum clementissimè indulsit: Sacrorum Vatum Oraculis fidem adstruxit: &, quod omnem admirationem superat, tum maximè Patrem suppliciterque imploravit, spiritúmque illi suum corporis vinculis exsolutum commisit, cùm ab eo se derelictum, tormentísq; suis permissum vidit. *Tu autem considera, quomodo* CRUCIFIXUS OMNIA SINE ALIQUA PERTURBATIONE TRANSEGIT. *Discipulo Matrem commendavit, Prophetias implevit, Latroni spem dedit.* Enimvero cùm Obedientiæ Catenæ hoc pondus, hoc pretium accesserit, omnes illa Salomonis, & Assveri Thesauros longissimo post se intervallo relinquit. Hæc illa Coronis, ac summum denique fastigium est, quod Religiosæ Vitæ imponunt, qui in Cænobijs Deo famulantur: nempe non perturbari animo, cùm

Hom. 84. in Ioan. To. 34. 246.

premuntur, neque de ſuo erga Præpoſitos amore quidquam remittere, ſi quando ab his duriùs habentur. Divino enim ſimile quidpiam habet ſubditus ille, qui neglectus licèt, abjectus, ſtimulatus, vulneratus, haud aliter tamen bonorum Ordinis ſui ſatagit, quàm ſi ambroſiâ potus, Angelorum pane nutritus, ad illuſtria munia ſubvectus, gloriâ, plauſúque exornatus ab eo fuiſſet. De tali profectò ac tanto Viro Chryſoſtomus ſcriberet, diceréttque Societas: *Tu autem conſidera, quomodo* CRUCIFIXUS OMNIA *ſine aliqua perturbatione tranſigat.* Quàm verò procul à laudibus iſtis abeſſet, qui verbo quolibet perſtrictus, aut obſcuriore præfecturâ offenſus, fiduciam pariter & amorem erga eum, qui Virtutis materiam illi miniſtrat, deponeret. Quod ſi Jeſu in ferenda Cruce, ùt in Nominis gloria, comites ſumus, par eſt, ut eundem prorſus vitæ tenorem ſervemus, nec minùs diligamus, cùm affligimur, quàm cùm ſublevamur; nec ſegniùs in obſcuris, quàm in ſplendidis officijs obſequium noſtrum Societati ap-

approbemus. Quod utì ſemper Aloyſius præſtitit, ità de Filijs ſuis ſemper Ignatius ſperavit. Et ego, qui ex altiori, ſed itidem magìs arduo, periculíſque magìs expoſito loco egregios ad virtutis perfectionem tendentium conatus deſpicio, idem me in omnibus Societatis noſtræ toto terrarum orbe diſperſis, & hujus maximè Romanæ Academiæ Filijs manifeſtò deprehendere gloriari meritò poſſum. Quod Collegium quemadmodum à cæteris omnibus dignitate ortúq; primum ſuſpicitur, ità Sanctitatis à Conditore ſuo relictæ, ac ſubinde ex immenſo patrimonio Paupertatis Apoſtolicæ, Angelicæ Caſtitatis, perfectæq; Obedientiæ, quod illi vivus mortuúſque Aloyſius Gonzaga tranſcripſit, vehementer auctæ, primus Hæres extitit, & in hodiernum uſq; diem exiſtit.



EX-

EXHORTATIO XXVI.

In Pervigilio B. Aloysij GONZAGÆ.

Os Justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judiciū. *Ps. 36.*

PIorum Librorum LECTIO animos nostros expurgat à vitijs, & ornat Virtutibus. Id verò non eâdem facilitate præstant publicæ Præsidum ad suos, acres licèt & vehementes Dissertationes, nempe quia pungi se Auditor vel sentit, vel putat. At ab hac suspicione invidiæ tum vetustas, tum absentia Scriptores eorúmque lucubrationes absolvit. Quare pagina quælibet maculas nostras quodam veluti speculo nobis exhibet, &, quod speculo concessum non est, eas in nobis de-

delet; utpote quos ad deteſtandos errores, & Virtutem proſequendam accendit. Quam ob rem nulla nos occupatio ab utiliſſima exercitatione ſacras paginas volvendi unquam avocet, utique cùm Angelicus quoque Doctor vel in ipſa Theologiæ profeſſione à Caſſiano nuſquam oculos averterit, & Gregorius Nazianzenus, tantus Virtutis Magiſter, è Baſilij libris novos ardores conceperit. Quod ſi verò Divinarum Litterarum, piorúmque voluminum lectio eas in nobis ſacri amoris flammas non excitat, id non aliunde proficiſcitur, quàm quòd antequam legamus, ad precandum nos non conferimus, nec animos noſtros ad concipienda Evangelici ardoris beatiſſima incendia, profuſis antè copioſis lachrimarum imbribus, præparamus.

15. Cùm

15. ùm anno ſuperiore eandem, quam modò produximus, ſententiam recitaremus, oblata nobis occaſio eſt, inquirendi, quibus artibus Aloyſius ad ſummam vitæ perfectionem contenderit: deprehensúmque à nobis eſt, eam magna ex parte colloquijs, quæ de Deo, rebúſque divinis familiariter adhibebat, adſcribendam eſſe. Quæ res nobis ſtimulos ſubdidit, ut vellemus, has cæleſtium colloquiorum flam̃as latè per Domos noſtras ſpargere, ſanctis eâ ratione inquilinis implendas. Memini quoque, me ſub orationis illius finem diſertis verbis edicere, fieri prorſus non poſſe, ut tam ſalutaris, támque neceſſariæ Virtutis uſum nobis comparemus, niſi linguis noſtris ad ea de Deo ſerenda colloquia ſacrorum voluminum lectio, & Oraculorum, Perfectionúmque Divinarum accurata Meditatio, ſilvam quodammodo, argumentúmque ſubminiſtrent. Et quoniam de Contemplatione in alia Votorum inſtauratione verba feci, reliquum eſt, ut ſub hu-

hujus diei occaſum, emolumenta fructúſque uberrimos expendam, qui è ſpiritualium librorum piâ lectione percipiuntur. Quod ut faciam, movet me primùm vehemens illud ſtudium, quo Angelicus noſter Juvenis in pios libros ferebatur: nihil enim illi, dum inter nos vixit, antiquius, atque jucundius erat, quàm Sanctorum geſta evolvere; Bernardi Homilias; & Commentarios Auguſtini aſſiduâ quotidianáque lectione recolere. Accedit ſubinde, Societatis noſtræ ortum, ſumptáque à Beato Parente noſtro vitæ melioris auſpicia paucis illis paginis deberi, quarum ille lectione animum ſuum à grabato, in quo jacebat, rebúſque humanis omnibus ad cæleſtia divináque ſubvexit. Ad extremum, cùm piè, ardentérque de Deo diſſerendi ratio, & uſus conſtare ſibi ſine ſacra lectione non poſſit, neceſſe eſt, ut, niſi beatorum colloquiorum flammis deſtituti algere, torperéque volumus, Libros Dei digito exaratos Ezechielis inſtar devoremus. Et ut in hoc graviſſimo argumento pertractando certum aliquem ordi-

ordinem ſervemus, curabimus ſcilicet, ut, quanta vis, efficacitáſque ad animum emaculandum à vitijs, ornandúmque virtutibus, in piorum lectione Librorum poſita ſit, demonſtremus.

16. Ne verò, ut Evangelicum hunc Perfectionis Theſaurum compares, vitam tibi omnem in evolvendis, ſive nobilium Academiarum, ſive celebrium Cænobiorum vaſtiſſimis bibliothecis tranſigendam exiſtimes, Ambroſium aſpice, qui Pſalmorum libellum manu comprehendens, affirmare non dubitat, ad purgandos animos plus illum ſolum valere, quàm ad emundandum Naamanum omnes olim Jordanis aquæ valuerint: aítque, paucis illis Carminibus haud aliter in Deum nos abripi poſſe, quàm ſi Eliæ curru igneo ad tertium Cælum cum Paulo habitandum ſublevaremur. *Quid enim eſt, quod non tibi occurrat Pſalmos legenti?* IN HIS DISCO VITARE PECCATUM, DEDISCO ERUBESCERE POENITENTIAM. Quis enim ſuccumbere culpæ poteſt, qui cum Davide expendit,

Præfat. in Pſal. To. 37. 81.

quot

quot fulminibus improborum hominum impietatem Dei Omnipotentis ira percutiat? Quâ verò ratione non ſponte ſe affligat; non Virtutem in pretio, & in amoribus habeat, qui mentis integritatem, manuúmque innocentiam, & venerabilem Angelis, & cariſſimam Deo, docentibus Pſalmis, intelligit? *Diſco vitare peccatum, dediſco erubeſcere pœnitentiam.* Age verò, ſi tantam, támq; miram utilitatem animis præſtat exigua Veteris Teſtamenti pars, quæq; tam ſæpe in Templis & auditur, & canitur, ut moleſtiam potiùs auribus parere, quàm robur addere mentibus poſſe videatur: quid demum præſtabunt volumina cætera, vel à divino Spiritu, vel à ſanctis Doctoribus conſcripta, quorum ſententiæ, uti ſunt cognitioni noſtræ minùs obviæ, ità multò acriùs conſcientiam noſtram ad corrigendos errores extimulant, quippe non ad Cytharæ modulos, velut illæ Davidis Odæ, compoſitæ, ſed tonantis inter Numinis Iras conceptæ, & medios inter Æternitatis animo conceptæ horrores effuſæ. Hos enim verò

verò libros qui eâ, quâ par est, veneratione percurret, exclamabit & ipse: *Disco vitare peccatum, dedisco erubescere pœnitentiam.*

17. At, inquies, puros à labe multò magìs nos præstant privatæ Præsidum admonitiones, allocutionésque publicæ, quarum in Religiosis familijs frequens admodum copia est. Eadem olim Gilberto Claræ-Vallis Abbati, quem S. Bernardus Discipulum primò, tum ab Epistolis, denique in Monachorum præfectura, & sacrorum explanatione Canticorum successorem habuit, objecta fuêre: ea verò ille gravissimis verbis, maximóque argumentorum pondere confutavit. Equidem, inquiebat eruditus Antistes, fallitur, qui putat, perinde privatam admonitionem, aut cohortationem publicam ad emundandos animos valere, ac libri piè, doctéque conscripti lectionem. Et primùm quidem omnis objurgatio suapte naturâ insvavis est, & infrequens ejus usus: quia Præsides subditorum suorum, quibus plerumq; ingrata ejusmodi remedia

dia ſunt, dolorem non ferentes, ea non niſi ægrè admovent; aut quia, ſi fortè adhibeant, ſic ea temperant, condiúntque, ut omne propemodum eorum robur ac virtutem, quam ad ſanandos animi morbos cæteroquin obtinent, elidant. Jejuna enim timidáque objurgantis oratio eſt, & plerumque veluti de alieno vitio verba fiunt. Maculam ori potiùs invidiosè affictam, quàm impreſſam demonſtrant; quam ſubinde tam prolixâ egregiorum aliorum decorum commemoratione obruunt, adductíſque in medium rationibus ſic elevant, ut placere magìs ſibi, quàm erubeſcere Reus poſſit, majorémque, quà ire cœpit, porrò eundi, quàm ab errore, in quem ſe induit, ſeſe extricandi cauſam habere ſibi videatur. Quod ſi vitium ſine ambagibus, planéque Præpoſiti perſequantur, adeò ea narratio ejus, qui monetur, animum perturbat, ut, quo Monitori ſuo ægrè faciat, ſuúmque dolorem ulciſcatur, errori contumaciam addat, altiúſque etiam in pernicioſi Teporis ignavia obdormiat. Haud multò melior ea-

rum Dissertationum, quæ in publico ad omnes habentur, fortuna est. Nonnunquam enim earum quædam non sunt Exhortationes Domesticæ, quarum nempe argumenta, stylúsque Templis ac turbæ, quam illi loco, illísque Auditoribus, qui Crucis Vexillo Sacramentum dixêre, accomodatiora sunt, & interdum plus lucis, quàm ardoris; plus ingenij, quàm virtutis habent. Quod si tamen seriò quis, gravitérque super Instituto nostro disputat, ejúsque rationes efficaciter defendit, monet, increpat: tum enimverò suspicionem non vitat apud eos, qui putant ipsos potissimùm ab Oratore perstringi, & in se omnem orationis procellam effundi. Quo fit, ut, qui læsum se arbitratur, non modò rerum in commune dictarum veritati manus non det, verùm etiam dicentis imprudentiam damnet, qui non vereatur ipsum pro concione traducere, & in omnium oculis fœdo inusto stigmate notare. Stomachatur proinde, qui se petí autumat, nec jam emendationem quæri, sed contumeliam intorqueri dictitat, atque eò

qui-

quidem atrociorem, quòd & publica ſit, & ſub illis verborum involucris, quæ verſutia, odiúmque excogitârit, eò etiam magìs noceat, quòd malignis & invidioſis interpretationibus anſam præbeat ampliorem. Quâ in re quamvìs multò frequentiùs ab Auditore, quàm ab Oratore peccetur; fatendum tamen eſt, illud ipſum, quod ad inſtruendos potiùs univerſos, quàm quoſdam caſtigandos ex more inſtiſtutóque noſtro dici ſolet, iræ datum videri, quæ plurium ſpatio menſium collecta, tum denique in vitium, quod in paucos admodum cadat, ſemel omnis effundatur. At verò has turbas nequaquam ciet ſacrorum Scriptorum lectio. Nemini quippe venire in mentem poteſt acribus ejuſmodi Philippicis, quæ multò antè, quàm nati eſſemus, typis excuſæ ſunt, vitia perſtringi Scriptoris ætate longè poſteriora. Atque ea, quæ à me hactenus dicta ſunt, accomodatiores videlicet ad ſanandos animi morbos, Scriptorum monimenta quàm vocem dicentium eſſe, id totum Gilbertus Monachis ſuis expoſuit, fo-

re nimirum, ut multò minus utilitatis ex ijs, quæ ipse dicturus esset, quàm è veterum Auctorum scriptis perciperent: illos enim Hierosolymæ Christianæ veros Custodes esse, in quos si quando Animæ Deo desponsæ incidant, citra ullam vel invidiæ, vel odij suspicionem dimittere, quidquid Paupertatis, quam profitentur, modum excedit; sustinere quin etiam, ut salutarium objurgationum ferro recidatur, quidquid vitij sive animo, sive sensibus adhæsit. *Invenerunt me Custodes, qui circumeunt Civitatem: percusserunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Sanè tantùm abfuit, ut Anima illa, quamvìs hinc cultu suo spoliata, hinc vulneribus affecta esset, aut calamitatem suam, aut Percussorum sævitiem detestaretur, ut cruenta licèt ac nuda, majore puriorèque in Deum amore raperetur, eum ubique locorum vestigaret, ejúsque pulchritudinem ac dignitatem rebus formísque omnibus anteferret: *Amore langueo.* Sed Gilberti glossema recitemus. *Tunc me inveniunt Custodes Civitatis*, DOCTORES SANCTI, CUM ME-

Cant. 5. 7.

Serm. 45. in Cant. Tom. 109. 218.

MEOS IN EORUM SCRIPTIS MORES INVENIO. *Quoties illa lego, quasi inventum me, & deprehensum puto. Illa me feriunt, dum, quod integrum arbitrabar,* SAUCIUM ESSE CONVINCUNT. En! ut nullo doloris ſenſu cor legentis vulneretur, quippe cui certò conſtet, ejus Operis Auctorem nihil minùs in animo habuiſſe, quàm ut orationis ſuæ telis, quibus vitia configit, in ipſum intortis, doloris aut ruboris ei cauſa ſit. Ex alia verò parte manifeſtè cognoſcit, eadem vitia, quæ ille proſcindit, impudenter à ſe committi. Quare poſitâ lectoris perſonâ, Judicis partes ſibi ſumit, ſuámque Conſcientiam criminum illorum ream agit, quæ videt à ſcriptore ſummâ æquitate, ac ſoli⁹ aſſerendæ Virtutis causâ condemnari. *Tunc me inveniunt*, QUUM MEOS MORES, ET VITIA DEPINGUNT.

18. Pro cujus ſaluberrimi Moniti confirmatione, commiſſos ſibi populos Joannes Chryſoſtomus multis antè ſeculis obſecrabat, obteſtabatúrque religiosâ ut at-

tentione Sacrorum Vatum Oracula, & Apoſtolorum Edicta perlegerent. Illic voſmetipſos, inquiebat, velut in puriſſimo ſpeculo contemplabimini, quod placidè, ac remotâ omni ſeu verborum, ſeu factorum injuriâ, mentium veſtrarum vulnera oculis veſtris ſubjiciet, retegétque fideliter, quod hactenus Amor proprius celaverat: ídque, cui peſtiferæ aſſentantium artes vitam inſpirare ſe poſſe jactaverant, abſterſo fuco, ac reductâ pelle non exanime ſolùm, ſed & fœdâ putredine reſolutum cadaver eſſe oſtendit. *Certè hîc quoque* SPECULUM *eſt paratum.* HOC EST *enim memoria Sanctorum*, ET DIVINARUM LECTIO SCRIPTURARUM. *Cúmque iſtud agnoveris*, NULLIUS PROFECTO ALTERIUS REI INDIGEBIS, *per quam ab hujuſmodi turpitudine libereris.* Ità ſapienter planè Chryſoſtomus: eâdem enim quiete, ſilentio, ſvavitate, fidelitatéque quælibet pagina, quæ ad mores pertinet, animi noſtri labes, & Conſcientiæ maculas nobis repræſentat. Nam qui docente libro, quem

Hom. 4. in Matth. To. 2 5. 151.

quem volvit, intelligit, quàm ſublime ſit vitæ ſuæ genus; quàm grande ſalutis noſtræ negotium; quàm vicina mors; quàm ardentibus flammis omnis rubigo noſtræ mentis exuratur; quàm diris pœnis ea commiſſa plectantur, quæ non ipſi aut lachrimis delevimus, aut voluntarijs cruciatibus vindicavimus: enimverò inter legendum horrore perfunditur, gemit, illachrimatur, veniam orat, firmitérque ſecum ſtatuit, aliam deinceps vivendi rationem ſe initurum, eúmque ſe quem profeſſionis ſuæ dignitas exigit, impoſterum præſtaturum. Quod ſi verò divini hujus ſpéculi omnipotens quodammodo robur expendas, nulla Cryſtallus eſt, quæ ſi illi componatur, non continuò fracta diſſiliat, ob eam nimirum infelicitatem, quâ oſtendere ſolùm, non item tollere novit, ſi qua togam macula, vel faciem nævus infecerit. Feliciter longè piorum Voluminum ſors eſt: non enim vitia ſua peccantibus objiciunt modò, verùm ea tam deformi ſpecie referunt, ut intuentibus horrorem incutiant, neceſſitatémque imponant, ea

lachrimis, fusóque etiam sanguine delendi. Nec adeò gravem noxam, adeò inveteratum malum, adeò sacrilegam impietatem est reperire, quam sancti cujusdam libri lectio aut toto lachrimarum mari non obruat, aut ardentissimi doloris incendio non absumat.

19. Eam ob rem Isidorus Pelusiota Nemesij desperationem risit, qui de Christiani cujusdam, quem omne genus vitiorum infecerat, variæq; gravissimorum scelerum pestes invaserant, salute jam conclamârat. Equidem tametsi non negaret Isidorus, haud falsò ea illi crimina objici, licet Lupis avaritiâ, Scorpijs invidiâ, irâ Tigribus, Hydræ denique multiplici fœdissimorum scelerum, libidinum, sacrilegiorúmque illuvie, cujus graveolentiâ non vicinæ modò, verùm etiam remotæ regiones laborarent, parem esse fateretur. *Vt Leo*, inquiens, *irascitur, ùt Lupus rapit, ùt Scorpio ferit, Chimæræ atque Hydræ fœtorem cernas:* sperare tamen se ajebat, si modò ab ejusmodi Monstro hominis impetrari queat, ut diem unum sacrorum Voluminum

Lib. 2. Epist. 185. ad Nemes. To.40.154

num

num lectioni donet, in iisque, veluti in pellucido Adamante, turpitudinem agnoscat suam, fore, ut priùs se Columbâ puriorem, candidiorémque Cycno miretur, quàm Sol radios suos condiderit. Quod genus mutationum nulla unquam specularia, sive illa in laminas fusa ignis excoxerit, sive multo usu artificum poliverit industria, nec effecerunt, nec efficere omnino possunt. Hoc decus doctis piisque chartis servatum est, datúmque solis, ut peccanti errores suos ità in oculos ingerant, ut animum pariter immortali odio adversus sua commissa séq; ipsum accendant, adeóque in alium à priore hominem convertant, qui Christi Judicis officium occupans severum sibi jus dicat, pœnásq;, à seipso magno animo, & implacabili, sed justissimâ vindictâ reposcat. Eam ob rem, quod dicere instituerat, prosequens Pelusiota. *Quidnam igitur*, inquit, *faciendum est? Illud respondeo, spirituale* SPECILLUM, *hoc est* SACRAS SCRIPTURAS, PERPETUO IN MANIBUS HABENDUM ESSE. *Hoc enim Speculum*

lum non modò deformitatem oſtendit, SED ETIAM IN INCREDIBILEM QUANDAM PULCHRITUDINEM IMMUTAT. Quam igitur emendationem vitæ raró admodum viva Præſidis vox obtinet, ſive ille privatim ſuis turpiſſimam defectionem, quâ ſe ultrò à Crucis complexu abripuerant, ob oculos ponat, ſive pro concione inſectetur per abrupta deerrantium temeritatem; eam ijs feliciter vel Sancti Viri Hiſtoria, vel religioſi Voluminis inſtitutio, piè attentéque perlecta perſvadet. *Hoc enim Speculum in incredibilem pulchritudinem immutat.* Atque iſta quidem Cœnobiarcha optimus Monachos ſuos docuit, ſed ipſe à S. Joanne Chryſoſtomo edidicit, cujus verba, quoniam prudens truncavi, nunc integra reddo, & monitum, quod audîſtis, à capite repeto. *Hîc quoque ſpeculum eſt paratum. Hoc eſt enim memoria Sanctorum, & divinarum lectio Scripturarum. Cúmque iſtud agnoveris, nullius profectò alterius rei indigebis, per quam ab hujuſmodi turpitudine libereris: tam nobis utile eſt iſtud ſpeculum*, TAM-

TAMQUE NOS FACILI TRANSFORMATIONE CONVERTIT.

20. Et eſt profectò iſta ferarum in homines, monſtrorúmque in Angelos Converſio prorſus admirabilis, dignáque, ut ejus conſequendæ causâ plures per diem horas ſacrorum Annalium, & piorum voluminum lectioni impendamus. Sed id ad neceſſitates noſtras parum eſſet, ſi à bonis libris non alium fructum præter admiſſorum errorum emendationem perciperemus. At enim Theriacâ contra venena muniendi, & Hyacinthinâ compoſitione corroborandi ſumus, ut à triſtitia, quam Evangelici jugi pondus plerumque ſolet accerſere, deductos animos hilaritati reſtituamus. Adde: quòd victûs veſtitúſque paupertas, anguſtiæ cubiculi, Legum rigor, Religioſæ vitæ aſperitas, Apoſtolici muneris labores, ærumnæ, atque pericula ità corpus animúmque premant, ut in tot malorum remedium ipſi quoque cum Paulo mortem optemus: *Vt tæderet* 2. Cor. 1. 8. *Nos etiam vivere.* Ad has porrò difficultates, atque moleſtias, quotidiana ſcilicet

ſub

ſub Cruce militantium ſtipendia, Cacodæmonis accedunt inſidiæ, qui quemadmodum Solitariorum olim ſpeluncas apertâ vi oppugnavit, ità Cœnobiorum quietem callidis artibus, occultíſque inſidijs hodiéque intervertit, ſemper in exitium & ruinam noſtram intentus. Sed enim non afflictæ adeò ſunt res noſtræ, inquit Ambroſius, cùm ſola Chriſti de Cruce pendentis imago, & quælibet ſeu veteris ſeu novæ Legis pagina, & contra mœrorem invictos, & adverſus inſidias tutos
In Pſal. 41. præſtet. *Remedium* TÆDIORUM O-
To. 37. 133. MNIUM *Chriſtus*, ET SCRIPTURA DIVINA, *atque in tentationibus unum refugium.* Et quis eſt, qui, cùm in Chriſtum inter pecudes in ſtabulo natum, in officina materiaria educatum, in navi plerumque & inter Piſcatores hoſpitatum, calumnijs oppreſſum; ab urbibus, ab ædibus excluſum, pane, lecto, tecto alieno ac precario utentem; à Lictoribus comprehenſum, damnatum à Scribis, à milite flagris cæſum, à Carnificum turba in Crucem ſublatum oculos defixerit, non pudo-

dore suffundatur, & paupertatem suam, quantacumque ea demum esse potest, non delicias ac luxum putet, si se cum Cæli terræq; Rege ac Conditore comparaverit? Age porrò: quis non pectore marmor induet, atque omnes sensuum illecebras, omnes ambitionis impetus, omnes iræ furores, immotus veluti scopulus, retundet, cùm in Evangelistarum & Prophetarum scriptis, hinc Pentapolim ob intemperantiam flammis primùm in cineres redactam, tum superfuso mari obrutam; hinc Sacerdotij Raptores dehiscente terrâ in Orcum præcipitatos; hinc fraterna odia pendentem è quercu, tribúsq; transfossum lanceis expiantem Absalomum recognoscet. Universa, singuláque sive à Divino Spiritu dictata, sive à Sanctis Doctoribus conscripta volumina horrendorum suppliciorum theatra pandunt, ac minas intentant ijs, qui cupiditatibus suis obsequuntur; contrà verò immortales ijs coronas nectunt, qui se adversus sensuum lenocinia invictos, & puros servant à sordibus. Sed si lubet, experimentum in uno

eo-

eodémque homines capiamus, & tum mœroris absterſi, tum profligatæ impudicitiæ geminam victoriam ſacræ præſidio Lectionis obtentam celebremus.

21. Certamina Joſephi, calamitatéſque; quæ invictiſſimum Juvenem exceperunt, adeò vobis exploratæ, perſpectæq; ſunt, ut malè collocare tempus mihi videar, ſi vel in compendium eam Hiſtoriam mitterem. Quî verò factum putatis, ut adoleſcentulus patriâ extorris, tot hinc præmijs, inde propoſitis pœnis ſolicitatus blandientem, terrentémque dominam rejecerit, & intactum Virginitatis Lilium Tartareas inter impudentiſſimæ nequitiæ flammas conſervârit? Dicite, quibus deinde artibus, cùm Principis ac Domini ſui juſſu conjectus fuiſſet in carcerem, in eo ergaſtuli ſqualore, ac ſitu tam jucundè, hilaritérque degere ſuſtinuit, ut & alijs abſtergere lachrimas; & clariſſimis rerum futurarum cognitionibus medias inter obſcuriſſimæ ſpecûs tenebras, ac ſonantium tractus catenarum aptare mentem potuerit? At nimirum Gentis ſuæ Hiſto-

riæ,

riæ, quas, cùm apud Patrem versaretur, assiduè volutabat, id illi robur, eámque constantiam indiderant, ut se Sirenis illius unguibus explicuerit, & fœdissimi loci pædorem placidè tulerit. Revocabat in memoriam Abrahami atavi sui sacrificium, peregrinationes & exilia Jacobi Parentis sui secum retractabat; objiciebat animo Scalam illam ab Angelis frequentatã: videre sibi videbatur sulphureum imbrem cælo demitti, ardere primùm infames, nefariásque urbes, tum sidere, salsísque demum fluctibus absorberi: atque harum rerum memoriâ confirmatus, amplexus refugiebat, compedes amplexabatur. Quæ omnia S. Ambrosius Simpliciano perscribit ea Psalmi verba illi exponens: *Eloquium Domini inflammavit eum*: subjungítque: QUO RESTINXIT IGNITAS DIABOLI SAGITTAS. Quòd si ergò nobilissimus ille Bellator à lectione solarum illarum paginarum, quas ætas illa paucas admodum habebat, nec sat scio, quàm cõcinnè Veterum illorum Patrum simplicitas eas descripserit, tantum animo ardorẽ

Psal. 104. Epist. 7. ad Simplic. To. 40. 46.

tuendæ Virginitatis, ac dura quæq; perferendi concepit, quibus inflammandum fuisse studijs existimamus, si tot divinorum juxtà, humanorúmque scriptorum, quot hâc nostrâ tempestate, Vaticanas Regiásque Bibliothecas implent, medullis pastus, & enutritus fuisset. Foret autem longè turpissimum, si innumerabilium, divinóq; Spiritu plenissimorum voluminum magisterio excultos quælibet mēti objecta species in præceps traheret, & violis, rosísque contexta vincula ad suspiria desperationémque abjicerent. Nempe Josephus sese adversus gravissimas ærumnas, assultúsque importunissimos paucis, iísq; rudibus Commentarij unius characteribus comunierit, & nos robur destituet, quo vel ad umbratilem pugnam, ludicrúmque certamen cum fugitiva cogitatione, & panico terrore conferendum duremur, quamvìs volumina suppetant numero infinita, eruditione multiplici, admirabili eloquentiâ, sapientiâ incredibili à doctissimis Sanctissimísque Viris elaborata, quæ nos cælestibus armis, & impenetrabili loricâ defendant?

dant? Et profectò nisi per summam stultitiam eas Quæstiones, quæ de componendis moribus, vitáque instituenda copiosissimè agunt, vel claudamus, vel è manibus dimittamus, nullum erit tam asperum, tam cruentum cum hostibus nostris certamen, è quo non victoriam reportemus, adversus omnes perturbationum nostrarum impetus securi: subinde & sua menti nostræ trãquillitas, lætitiáq; constabit, quamvìs eam serenitatem nimbis, procellis, turbinibus, quotquot omnes per aërem dæmones in orbis exitium aut olim concitârunt, aut concitare unquam possunt, eripere totis viribus adnitantur, & injectis montibus corporum nostrorum ossa comminuant.

22. Enimverò sacrarum Paginarum virtus nullis limitib⁹ circũscribitur. Quanta verò sit earum vis, quantáq; nostra necessitas, unà mecum expendite. Religiosis Cœtibus tam sublimis vitæ perfectio proposita est, ut ad eam nemo, quin sancto quodam furore, ac divinâ quâdam ebrietate percitus sit, pertingere ullâ ratione possit. Hoc paradigmate usus est Au-

gustinus, cùm inæstimabilem sanctitatem primorum Christianorũ admirabili quâdam amoris amentiâ in mortem ruentium Hipponensi Clero describeret. *Dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur.* Mustum videlicet de Vineis Engaddinis liberali⁹ haustum omnem ijs sensum ademerat. Quo fiebat, ut, furentium instar, Synagogæ minas, & Neronis edicta contemnerent, ferarum rabiem incitarent, Carnificum barbariem provocarent, medios inter cruciatus, & vulnera riderent, verbo: Spiritu Sancto vel temulenti, vel amentes vitam aversarentur, mortem votis omnibus advocarent. *Inter hæc calefacti &* ACCENSI MERO DOMINICÆ CHARITATIS *exclamant: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hæc verò divini amoris beata prorsus ebrietas non unà cum primis illis nascentis Evangelij seculis sublata fuisse credenda est: hâc enim nostrâ quoque tempestate in Cœnobijs ac solitarijs secessibus insanientium illorum sanctissimi furores hæredes suos habent.

Serm. 185. de Temp. To. 43. 186.

bent. HOC MUSTO (prosequitur Augustinus) *inflammantur etiam corda Fidelium.* Id nempe tum videre licet, cùm illustri ortu Juvenes magnifica palatia, opulenta prædia, Magistratuum, honorúmq; spes omnes deserunt: cùm furentium ritu aurum abjiciunt, gemmas proculcant, attalicas vestes lacerant, è Curuli sella descendunt, è convivijs sese proripiunt, libertatem, principatus, diademata aversantur, & voluntariæ servituti se mancipant, adversus temporum injurias malè muniti, vel lanâ simplici, vel hirtis asperísque Cilicijs tecti, coturnicibus legumina, herbas favis, exquisitísq; delicijs Indicorũ aromatum, ac Falerni Massicíq; plebejos liquores, & insulsas escas substituunt. *Hoc musto inflammantur etiam corda Fidelium. Quod fieri videmus*, QUANDO PARENTES, ET PATRIAM FUGIUNT. *Exeunt, nullo compellente, de cognatione sua*, ET MORTUI HUIC MUNDO, *alios animarum inquirunt parentes*, ET LIBERI SUB JUGUM VENIUNT, *& paulò antè elati, humilia affectant, superba fastidiunt*, ET

CUPIUNT ESSE, QUOD ANTE DESPEXERANT, *& odisse incipiunt, quod fuerant.* PRÆSENTIUM HOSPITES, FUTURORUM APPETITORES, *æternam illam patriam, contemptâ temporalium falsitate, suspirant.* HOC *itaq;* MUSTO *spirituales animæ inebriatæ, & penitus commutatæ, abstinentiam delicijs, paupertatem divitijs anteponunt.* Quodsi felicissimę hujus maximéq; necessariæ ebrietatis desiderio incensus, ejus acquirendæ modum discere cupis, docebit is, cui Augustinum debemus, Ambrosius. BIBITUR, inquit, SCRIPTURA DIVINA. *Vtrũque poculum bibe veteris & novi Testamenti, quia in utroque* CHRISTUM BIBIS. BONA EBRIETAS, *quæ sobriè* STABILIRET MENTIS INCESSUM. Quisquis igitur generosos ejusmodi liquores doctrinam videlicet, ac vivendi disciplinam Cælo Magistro traditam è sacris paginis avidè haurit, is libero pede proteret omnia, quæ stolidæ hominum admirationi seu vanâ majestate tumentia, seu fallaci gloriâ blandientia insidiator Mundus expo-

Præfat. in Psalm. To. 37. 87.

onit. Fumoſas Nobilitatis imagines,utì
aſſam nucem; opes ut lutum; honores
cu vitrum; dominationes veluti ſpinas;
voluptates tanquam picem ac ſulphur peſ-
ſundabit. Quem hæc ebrietas capit,non is
unquam in virtutis conſtantia, nobiliſque
contemptu tum carnis, & ſanguinis, tum
commodorum ac famæ, tum denique fa-
ſtûs,atque potentiæ vacillabit.BONA E-
BRIETAS, *quæ ſobriè ſtabiliret mentis in-
ceſſum.* Ille per calcatum patrem, per cal-
catam matrem ad Crucis complexum e-
volabit, neq; ullis precibus, aut lachrimis
perſvaderi ſe patietur, ut cognato ſanguini
Chriſtum poſtponat. Quin ire perget,
quà cœpit,& in ijſdem veſtigijs, in quibus,
cùm honores, voluptatéſque ad pedes ab-
jecit, poſtremùm conſtiterat, immobilis
ſemper hærebit. *Poculum bibe veteris,& no-
vi Teſtamenti*, QUIA IN UTROQUE
CHRISTUM BIBIS. Quis autem eſt
noſtrûm, qui poſtquam divinis oraculis e-
doctus eſt, hinc quidem riſum in perpetu-
os luctus damnandum,ſuperbiam de faſti-
gio ſuo præcipitandam, choreis vaſtas vo-

ragines pandendas: ex alia verò parte paratas esurientibus epulas, nuditati purpuram destinatam; captivitati libertatem ac regnum promissum; lachrimis gaudia, contemptui atq; infamiæ honores, & immortales triumphos decretos; inter Filios Dei recensitos, quos ne in hominum quidem numero vulgus habebat: quódq; caput est, ipsum Dei Filium vixisse mortalium omnium miserrimum, turpissimóque post omnes, qui carnificum manu necati sunt, supplicij genere è vivis sublatū, quis inquam deinde, aut ad dignitates aspirabit, aut non lætitijs omnibus res inter adversas incedet? *In utroque Christum bibis.* Fieri sanè nequit, ut paginæ volvantur ejusmodi, quæ Seculi superbiæ, luxuíq; penitus adversantur, quin adversus voluptates illas, ac splendidas imagines, quæ nos à veris Christi servis diversissimos efficiunt, & à sectandis ejusdem Reparatoris consilijs, exemplis, imperijs, voluntates nostras avertunt, implacabile in nobis odium exardescat. *Bibe ergo*, UT LUX TIBI EFFULGEAT MAGNA: cujus videlicet

ope

›e abſconditos ærumnarum theſauros, & æſtimabile abjectionis, ac contemptûs :etium perſpicias, & altiſſimâ prudentiâ ,llacium illecebrarum technas, & mollis tq; umbratilis vitæ peſtiferum otium ef- ugias; nempe qui ſacrorum Librorum di- ·inis Diſciplinis inſtitutus probè nôris,]uàm ſapienti conſilio, dum præſentis vi- tæ brevem curſum abſolvimus, roſis ſpinæ præferantur: quàm juſtum ſit nos interim algere, ac ſudare, ut Ver illud æternum, quod nec æſtate, nec brumâ corrumpitur, aliquando nobis obtingat. *Bona, bona e- brietas.*

23. Non deerunt, opinor, qui dubitent, poſſitne Libri cujuſdã lectio imbecillita- tem noſtram adeò confirmare, ut fel, atq; abſynthium præ Nectare, Ambroſiáq; di- ligamus. Verùm enimverò inſignem ille injuriam infert Divinorum Oraculorum efficacitati, potentiſſimæq́; ſacrarũ vocum virtuti, qui ſacrarum præceptionum lecti- one, ſive illas Deus proximè, ac per ſe no- bis tradiderit; ſive aliorum hominum in- duſtriâ, ſcientiáq;, quam è ſacris volumi-

nibus hauſerunt, tranſmiſerit, animos noſtros negat è mollibus, ac terrenis in viriles, cæleſtéſque commutari poſſe. Quid ſi ex Ethnicorum Bibliotheca libellum produxero tantâ virtute, ut ſolo penè aſpectu ſuo in animis hominum de immortalitate ſua incertis, & fœdo Idolorũ cultu faſcinatis tantum erga divitias & honores faſtidiũ ingenerârit, ut, inſpectante Româ, Tortorum barbariem laceſſierint, & ſæva queq; perpetiendi copiam ſibi fieri magnis vocibus flagitârint? Certè Seneca Lucilio fateri non dubitat, ſe, quàm primùm in manus ſumpſiſſet Sextij Philoſophi librũ, eos ſpiritus animóſq; concipere, ut non modò aurea Neronis domus, congeſtæq; in eam omnes toto terrarum orbe divitiæ faſtidio ſint, verùm etiã cum fortuna ſceptro furiiſq; ſuis armata cõferre pedẽ libeat. Sed ipsũ audiam⁹. *In quacũq;* inquit *mẽtis poſitione ſim*, CUM LEGO HUNC *(fatebor tibi) libet omnes caſus provocare*; LIBET EXCLAMARE: QUID CESSAS, FORTUNA? CONGREDERE: *paratum vides. Libet aliquid habere*, QUOD

Epiſt. 64. ad Lucil. To. 29. 196.

UOD VINCAM, *cujus patientiâ exer-*
r. Paucis: *Dimittit me plenum* INGEN-
IS FIDUCIÆ. Amari ergò calamitas,
gligi gratia, bonorum optari proſcriptio,
ɔudiari Conſulatus ab homine Idolo-
m cultore, ſuperſtitioni Palatiniſq; arti-
s ac turbis innutrito poteſt, ſi modò exi-
ıam diei partem Stoici cujuſdam fictam
onſtantiam, fucatámq; Apathiam oſten-
tione vaniſſimâ jactantis lectioni cōmo-
ıverit? Et Prophetæ divinarum rerum
ɔgnitione clariſſimi, Apoſtoli ſuomet
nguine purpurati, tótq; alij eruditiſſimi,
pientiſſimíq; Scriptores eam vim habere
ɔn videbuntur, ut, quod Chriſtiana fi-
:s docet, quod ipſi, cùm Baptiſmo luſtra-
:mur, profeſſi ſumus, perſvadeant, ea ni-
ıirum omnia, quæ Mundus vel palato il-
cebroſa, vel ambitioni noſtræ honorifica
fert, tanquam Inferorum pompas ac
:æſtigias æſtimanda eſſe? Utinam verò
tentione tantâ ſacra Volumina legere-
.us, quantâ Sextij Quæſtiones laudatus
ıodò Philoſophus lectitavit, nemo pro-
ctò eſſet noſtrûm, qui non totius orbis
im-

imperium, atq; opes Christianâ prorsus animi magnitudine contemneret atq; rejiceret.

24. Quam meam sententiam calculo suo S. Paulinus confirmat, cùm Amando scribens, illi auctor est, ut Poëtarum fabulis, profanísq; Historicis, quorum alteri fluxis, impurísq; cupiditatibus alimenta ministrant, alteri propositis ob oculos militum Laureis, Arcubúsq; triumphalibus Imperatorum, Cultores Crucis ad defectionem solicitant, in ignem abjectis, Jeremiæ Threnos, Jobi Oracula, Narrationes Mosis, Pauli ac Petri præceptiones volvat, ac revolvat: sic enim futurum, ut Curules Sellas, & Regales mensas impacto pede proterat, atq; evertat. Enimverò si tu apud Danielem legeris regalium triũ puerorum mirabilem abstinentiam, si Balthassarẽ inter Regni sui Principes Viros, feminásq; convivantem ab epulis, à solio, repentinâ miserrimáq; rerum conversione ad vincula mortémq; abreptum videris, deosculaberis funem, quo cingeris; saccũ, quo tegeris; specum, quo clauderis; fontem,

rem, atq; hortulum, qui famem tibi, ſitímq; reſtinguit. *Aſcendamus excelſa virtutum per doctrinas Prophetarum & Apoſtolorum, qui ſunt montes Dei.* TUNC, VELUT DE RUPE PRÆCELSA, DESPICIENTES VANAS PRÆTEREUNTIS MUNDI FIGURAS, *in exultationis voce cantabimus: Exaltabo te Domine, quoniam ab inſurgentibus in me exaltâſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.* O quàm grata nobis conditionis noſtræ tenuitas foret, quantas ob eam rem Deo grates perſolveremus, ſi ſacris monimentis eruditi, verum, immensúmq; pretium octonis illis Beatitudinibus imponere diſceremus, quas tantâ verborum majeſtate Chriſtus expoſuit in eo, quem in Monte ad Sectatores ſuos ſermonem habuit! Quis enim, qui Magdalenam in convivio, & Arſenium in nemore lachrimantes legerit, indulgere jocis, & riſu diſſolvi poterit? Quis ad ſublimes Cathedras, honoréſq; non noſtros aſpirare auſit, qui viderit, hinc Alexãdrum Theologum Carbonariam factitãtem, ut Thiaræ caput ſubducat; illinc Petrum

Epiſt. 3. ad Amand. To. 2. 100.

trum Damiani fundere ſanguinem, ac ferro ſua membra lacerare,ut Purpuram exuat, ſuæq́; ſe ſpeluncæ reſtituat? Eccui ſordere paupertas, conclavis anguſtiæ, menſæ frugalitas creare faſtidium poſſint, qui habitantem in tugurio Hilarionem,mucido lapideóq; pane veſcentem Franciſcum, & dirum ſui Tyrannum Bernardum intuetur? Defige Cælo lumina; præmiáq;,quę tormentorum patientiâ, & voluptatũ fugâ hinc Martyres occupaverũt, hinc Monachi reportârunt, mentis tuæ oculis ſubjice, & tum mellifluos Babylonis torrẽtes, mortiferóſq; Sirenum cantus conſectare, ſi potes. Enimverò ſua Dynaſtis faſtigia, ſpes ſuas neceſſarijs noſtris,Sodalibus olim noſtris vitæ licentiam nequaquam invidebimus, ſi Divinorum Oraculorum pelagus ingreſſi ad gemmarum illarum piſcatũ incumbemus, quas ij demũ copioſiſſimas referunt, qui auratis de puppibus Prætoriarum navium aut ſponte deſiliunt, aut cũ Jona vi excuſſi fluctibus, vel Balænis hauriendi crudeliter ejiciuntur. Omnes,quotquot ſumus, periculorum, quæ vitavim⁹, & glo-

æ gloriæ, quæ nos expectat, magnitudine
ttoniti exclamabimus: *Exaltabo te, Domi-* *Psal. 29. 2.*
ne, quoniam suscepisti me. Sed hos tam subli-
mes animos, quibus omnia peritura vile-
scunt, haud aliunde, quàm ab indefesso sa-
cræ Lectionis studio sumi posse persvasum
habeamus. *Ascendamus excelsa virtutum*
PER DOCTRINAS PROPHETA-
RUM. Ea nimirum res grandes illas Um-
bras, quas multi Christianorum, veluti
præstigijs capti, consectantur, in angustũ,
& Orbem universum in punctum nobis
contrahet. *Tunc velut* DE RUPE PRÆ-
CELSA, *despicientes* VANAS *prætereuntis*
Mundi FIGURAS *in exultationis voce can-*
tabimus. Sanè, qui celso Apennini vertice
resîdet, haud dispicit, auróne ac gemmis
ornati, an Bardocucullo catenísq; onerati
incedant, qui ad radicem homines agunt.
Illinc despicientium oculos fugiunt ma-
gnarum ædium marmora, statuarum li-
neamenta, pictarum Tabularum colores,
salientium fontium lusus, ludorum festo-
rúmq; dierum apparatus, maleferiatorum
tibiæ, præliantium classica, triumphantiũ
ma-

manubiæ, Laureæ, Coronæ. Nulla res oculos tam altè positos movet. Ille verò celsorum juga montium colit, qui sacris Scriptoribus erudiendum se committit: quò fit, ut homines nostri, quorum videlicet animos divinarum paginarum lectio supra nubes evexit, ac cælo intulit, Regũ sceptra, & militum trophæa pedibus suis subjecta despiciant.

25. Neq; jam miror, quid causæ sit, quòd humani generis hosti tam invisi sint ij omnes, qui vel Religiosam, vel etiam Christianam vitam agentes, salutares libros, & doctrinas Apostolicas crebrâ lectione recolunt. Minùs videlicet illum aut liquefactum plumbum, aut Tartareus ignis urit, quàm paginæ illæ sacræ, quas volvim⁹, & meditamur. Insultat ob eam rem dæmonibus Origenes, & amaro cum risu exprobat, multò eos acerbiùs libris nostris, quàm flammis suis cruciari. *Super omnia verò eis est tormentorũ genera, & super omnes pœnas,* SI QUEM VIDEANT VERBO DEI OPERAM DARE, *scientiam divinæ Legis*, *&* MYSTERIA SCRIPTU-

Hom. 27. c. 33. Num. To. 39. 186.

PTURARUM INTENTIS STUDIIS PERQUIRENTEM. Quapropter ut aliquod ſupplicijs ſuis diriſſimis lenimentū afferrent nefarij Spiritus, haud multum in eo laborârunt, ut Societatem à frequenti complurium virtutum exercitatione abducerent, quas illi vel leges dictârunt, vel conſvetudo tradidit. Ferunt, ut quotidie per horam orationi vacemus: bis de die Mentis noſtræ latebras perquirentes non interpellant. Diſſimulant ictus ſonitúmq; flagrorum, quibus, quin ſæpiùs per hebdomadem aut ſanguinem ſibi eliciat, aut dolorem inurat, noſtrûm eſt nemo: ut nihil dicam de ijs, quibus ſolemne eſt, carnificinâ ejuſmodi ſomnum excutere, ac conciliare. Non cilicia nobis retexūt; non Catenas diſſolvunt; non prolixas octo dierum ſub Autumnales ferias commentationes obturbant. Pati poſſunt, ut refectionis tempore veterum Anachoretarū auſteritatē triclinia noſtra repræſentent. Nō itineribus, non expeditionibus, quas paganorum hominum, rudiſq; ætatulæ inſtituendæ causâ ſuſcipimus, obicem ponun t

non ad Indos navigantes fluctib⁹ mergũt; non vastas Intemperantiæ voragines laxãt doctrinâ ac pietate juventutem formantibus. In sola piorum libellorũ lectione videtur Dæmon vigilantiam nostrã insidiarum suarum calliditate circumvenisse. Equidem Patres, si per vos mihi licet, dicam, in hoc Ordine nostro in tanta virtutum omnium copia rem unam desiderari posse; nempe ut sacræ Lectionis studium, latâ lege, vehementius incitetur. Fortè enim (sed enim fallor cùm hæc dico) reperias aliquẽ, qui à Præside suo rogatus, cujus libri lectioni potissimam operam det, eum exhibere nequeat. Sed ut id nemini verè objici possit, graviter nihilominus erraremus, si studio tam necessario solum illum horæ quadrantem impenderemus, quem à nobis secundùm cœnam disertis verbis Leges reposcunt. Multò verò minus ei, quæ super mensam adhibetur, Lectioni auscultâsse sufficere nobis debet; quippe cujus potissimam partem importuna Tricliniorũ amplitudo suffurari consveverit. Serò enim, nempe, cùm Anagnostæ vox desijt exaudiri,

diri, didicimus, quantum animorum profectui ſpatioſior architectura incom̃odet. Quale verò illud eſſet, ſi quis eo loco curioſos, quàm ſalutiferos Auctores recitari mallet, frontémq; contraheret, ſi quando vel ſimplices rerum noſtrarum Hiſtoriæ, vel errorum noſtrorum Indices Judicéſq; prælegunt. In ſumma: nihil intentatum Cacodæmon omittit, quo nobis eam ſanctitatem, quam in religioſis argumentis repoſitã vovit, intervertat. Diù multúmq; propterea in Congregatione Undecima, quæ me ſacræ hujus militiæ Imperatorem dixit, inter Patres Conſcriptos diſputatum fuit, certáne temporum ac locorum ſpatia huic tam neceſſariæ piorum voluminum lectioni præfigi placeret: & quamvìs perlata Lex tum haud fuerit, mihi tamen graviſſimi illi ac com̃unis profectûs ſtudioſiſſimi Patres demandârunt, ut Encyclicis litteris ad Societatem univerſam datis auctor omnibus eſſem, ut dimidiam minimùm horam quotidiè legendis Sanctorũ aut geſtis, aut ſcriptis ſeponere vellent. Id quidem licet hactenus diſtulerim, exequar

tamen quàm primùm. Jam nūc verò Auditoribus meis futurum denuncio, ut nisi divinarum litterarum studio eorúmq; Auctorum, qui ad virtutem nos exhortantur, lectioni se penitus, utì nostrûm plurimi, addixerint, in ferenda Christi Cruce lætitiam alacritatémq; deperdant.

26. Neq; verò audiendi sunt, qui lectioni, quam cōmendamus, Lycæorum ac Templorum nostrorum sum̄as, atq; incredibiles occupationes opponunt, caussantúrq; ad tradendas bonas Artes, & instruendos Animos tantū temporis requiri, ut illis laboribus vix omnes diei horæ sufficiant. Hunc ego aggerem, quē Apostolicis cælestium doctrinarum fluentis objiciunt, rescindo, atq; convello. Quem enim mihi vel studijs addictiorem, vel editis voluminibus clariorem Thomâ dabis Aquinate? Sed hic in ea mensula, quæ Divinæ pariter humanæq; Sapientiæ Sacrariū quoddam, & Arca fuerat, apertas semper Cassiani Collationes habere consvevit. Enim verò Doctor Angelicus non sustinebat extremos occidentis Solis radios de Cella

sua

ſua intueri, niſi priùs mentẽ repetitâ Monaſticarum Inſtitutionum memoriâ colluſtrâſſet. Age porrò: quem tu Gregorio Nazianzeno æquabis, aut præferes, aut quem illo meliùs de Sacroſanctæ Triados arcanis myſterijs ſcripſiſſe,& potentiùs Arij errores confutâſſe, inſaniámq; caſtigâſſe putas? Neminẽ opinor. Hic tamẽ talis, ac tantus Scriptor omnes virtutis ardores & interiorem animi cultum Menologio, Hexameróq; Baſilij ſe debere profitebatur. Id manifeſtè teſtantur ejus Opera, quæ Poſteritati reliquit. Nunquam, inquiebat, Baſilij Annotationes in Geneſim inſpicio, quin ad Cælum efferri,& in Conditoris ſinũ evehi me ſentiam. Cùm Martyrum luctas apud eum recognoſco, incredibili mei ipſius odio inardeſco, & in corporis mei membra deſævio. Non poſſum non in vivum Dei Templum, ac verum Jeſu Chriſti Servum mirabili, ac divinâ prorſus mutatione tranſire, cùm ea, quæ ille de Virtutis honeſtate, vitiorúmq; turpitudine conſcripſit, mente retracto. Ne quis verò exiſtimet, hæc à me dicendo ex-

aggerata fuisse, ipsum miras adeò Metamorphoses recensentem audiamus. *Cùm* HEXAMERON ILLIUS *in ore habeo*, CREATORI CONJUNGOR. *Cùm Martyrũ encomia lego*, CORPUS CONTEMNO. *Cùm Orationes, quas de moribus scripsit, in manus accipio*, ANIMO ET CORPORE PURGOR, TEMPLUM DEI EFFICIOR, ATQUE DIVINA QUADAM IMMUTATIONE ALIUS EX ALIO EFFICIOR. Quodsi ergò Litterarum omnium sui seculi facilè Princeps; si profundissimarum Quæstionum intelligentissimus Scriptor; si Patriarcha Constantinopolitanus; si Oraculũ Orientis universi Collegæ cujusdã ac Condiscipuli sui Libros Asceticos legit, & incredibilem inde utilitatem percipit: quis deinde nostrûm vel occupatũ adeò, vel tam eruditum se sibi fingere potest, ut vel deesse sibi legendi tempora, vel operæ pretium se non referre queri possit? Itáne autem? Gregorius Theologus è Familiaris sui chirographis Sancti Spiritûs flañas concipiat, & in confertissima subditorum suo-

Orat. in Basil. To. 115. 207.

ſuorum turba,& mole negotiorum im̃enſâ tempus captet, quod relegendis ejus viri Com̃entarijs,cui fortè ipſe nec vitæ ſanctitate, nec eruditione concedebat,traducat: Et erit quiſpiam, qui, cùm neq; occupatiſſimus,& fortè neq; doctiſſimus ſit, ſe nec ad virtutem ſtimulis opus, nec ad eos in aliorum ſcriptis veſtigandos otium habere glorietur? Caveamus ſanè, ne idem nobis,quod ab eodem Nazianzeno quondam Gregorio eâ tempeſtate Juveni, ac ſubinde Nyſſæ Antiſtiti objectum eſt, crimini detur. Objurgavit ille hominẽ,quòd omiſſis voluminibus ſacris totum ſe Rhetoribus atq; Philoſophis Ethnicis tradidiſſet. Et, tu fortaſſis, inquit,eruditus eris ac ſciens, ſed neq; probus, neq; Sanctus eris: elegantiam ſermonis,non item vitæ perfectionẽ addiſces:ſtylũ ad omnem venuſtatẽ expolies, & artificioſos ſophiſmatũ nodos implicabis; at verò neq; mores referes probè inſtituti Clerici,nec Chriſtiani hominis pietatem conſequêris. *Quid tibi in teipſo diſplicuit*, UT, SACRIS LIBRIS PROJECTIS, FALSOS IN MANUS *Epiſt. 43. Greg. Nyſſ. To.115.392.*

SUMPSERIS, AC RHETOR VOCARI, QUAM CHRISTIANUS MALUERIS? *Nos contrà, hoc potiùs, quàm illud.* Deum immortalem precor, ut inter juvenes noſtros pauci admodũ ſint Nyſſeni, Nazianzeni verò inter ſenes ſint longè plurimi. Per nos ſtat, utrùm in Religiſæ Diſciplinæ ſtudio torpere, vel zeli ardoribus æſtuare malimus. Certè ſi libros Vitæ reſignaverimus, efficiemus, ut omnes noſtræ Domus, veluti totidem Sinai montes, ſint cæleſtibus coronatæ flammis, & Legiferis Tabulis ditatæ. Eos verò ſi de manib⁹ deponamus, duriore glacie, quàm Scythiæ flumina, ſubjectáq; Polo maria quodlibet Collegium noſtrum obrigeſcet.

27. Sed Orationi finem, & ijs, qui ſe quamvis quotidianam divinarum ſcriptionum cognitioni operam navent, robur tamen, quo ſuos Evangelium Gigantes induit, haud capere, ſed ſine viribus, & velut exanimes jacere falsò queruntur, ſilentium imponamus. Lego, inquis, nec tamen ardeo. Tuâ nimirum, reponam ego, culpâ id accidit, quia vel invitus, vel

ſomni-

ſomniculosè ac negligentert legis. Animis adeſte. Siti contabeſcebat Iſmaël, atque eâdem Agar ejus mater conficiebatur. Cùm Angelus mulieri ſe videndum præbuit, causámq; tantæ conſternationis, ac gemitûs requiſivit. Aquarum penuriâ, excepit illa, tum filius meus, tum ipſa conficimur; & mirum tibi videtur, quòd exilij mei calamitati illachrimor. Ad has feminæ querelas ſubridens Nuncius cæleſtis, Túne autem, inquit, mente pariter atque oculis capta es? Túne deeſſe huic nemori fontes quereris, cujus medias inter arbores ingens ſcaturigo erumpit? Verte huc ad puteum oculos largas tibi aquas propinantem. APERUITQUE OCULOS EJUS DEUS: *quæ videns puteum aquæ, implevit utrem, deditque puero bibere.* Gen. 21. 19. In hujus prodigij ſpectaculo vocem non tenet infelix ille quidem Origenes; & Fontes, exclamat, ſolitudini non deerant; ſed eos, licet eſſent Filio ſuo vicini, Ancilla non viderat. Divinus Orator ſcatebram non produxit, ſed oſtendit.

dit. Ità nos pariter miranda virtutum documenta legimus, nec intelligimus: & veluti profugi Ismaëles siti emorimur in largissimorum fontium præsentia. Quod genus infelicitatis proprium olim Judæis fuit, qui cùm sacrorum Vatum Oraculis, & Psalmis pascerentur, nihil è manifestissimis illis præceptionibus percipiebant. Verùm hodiéque innumerabiles Christiani (prosequitur cum lachrimis idem Auctor) licet præ oculis habeant Evangelia, ne prima quidem perfectionis Elementa nôrunt. *Nunc jacent Iudæi circa ipsum puteum, sed oculi eorum clausi sunt*, ET NON POSSUNT BIBERE DE PUTEO LEGIS, ET PROPHETARUM. SED ET NOS CAVEAMUS; *quia frequenter & nos* CIRCA PUTEUM JACEMUS AQUÆ VIVÆ, *id est circa scripturas divinas, & erramus in ipsis.* TENEMUS LIBROS ET LEGIMUS, *sed spiritalem sensum* NON ATTINGIMUS. Quâ igitur ratione, inquis, sacris Silunthis aquis è librorum lectione pro-

Homil. 8. in c. 21. Genes. Io. 39. 13

profluentibus sitim restinguemus? Antequam te ad legendum conferas, preces, & inter legendum lachrimas funde. IDEO (subjungit Origenes) OPUS EST LACHRIMIS, ET ORATIONIBUS INDESINENTIBVS. Nec aliter sensit Joannes Chrysostomus, confirmátque, si quando lectioni cætera fecundissimæ fructus non respondeat, id inde provenire, quòd eam nec precum aura foverit, nec lachrimæ rigârint, temerè festinatáque legentium incuriâ. *Remedia Scripturarum negligimus*; NEQUE CVM CONTRITIONE ET PLANCTV EIS ATTENDIMVS. Nam si priùs, quàm vel Sacros Annales, vel egregias morum præceptiones volvere aggrediamur, in genua provoluti supplices Deum precaremur, ut abditos eorum sensus introspicere nobis liceat, nulla foret syllaba, quæ nos non pasceret; nulla sententia, quæ pares Angelis non præstaret. Insatiabilis cupiditas intimè pernoscendi ea, quæ traduntur, submissáque eorundem ve-

Hom. 42. in c. 8. Ioan. To. 38. 1556

veneratio è cæno in Cælum, & ex humilitate caducarum terrenarúmque cupiditatum ad æternorum collium desideria nos attollunt: &, ut paucis dicam, Sanctorum Scriptorum Doctrina HAMVS quidam est, qui felici gulâ voratus turbido hujus seculi mari nos extrahit, & in pacatissimæ vitæ littore collocat. Sed Augustinum audiamus Theologicè juxta ac piè demonstrantem, quo studio in divinarum litterarum lectionem ferri nos oporteat. SIC ENIM EST SERMO DEI, *& sic esse debet* FIDELIBVS, TANQVAM PISCI HAMVS. TVNC CAPIT, QVANDO CAPITVR, *nec fit injuria illis, qui capiuntur.* AD SALVTEM QVIPPE, *non ad perniciem capiuntur.* Quot enim è tempestatibus illis exirent, quæ indignis curis Vocationis suæ constantiam solicitant, si sacrorum voluminum præda facti, eorum ductum sequerentur, séque de mari ad littus, & ex humanarum cupiditatum profundo, ad

Tract. 42. in c. 8. Ioann. To. 38. 155.

ad continentem, & amœna divinæ voluntatis prata transferri paterentur! AD SALVTEM, NON AD PERNICIEM CAPIVNTVR. Quare, si nos Ignatij Filios, & germanos Aloysij fratres frequens religiosáque lectio comprobârit, non minùs beatè vivemus, nec minùs sanctâ morte vitam claudemus. Id quod mihi, vobis, atque omnibus ex animo precor.



EX-

EXHORTATIO XXVII.

Pridie Lucis B. Aloysio sacræ.

Dixit Jesus Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti. *Luc 12.*

QUi Corporis, animique munditiem intactam conservare, Dæmonémque eius hostem dejicere volet, in ipsis Provinciæ suæ finibus bellum gerat; & vigilantissimâ custodiâ pro Sensuum suorum portis excubans procul ab Animo incursus hostiles submoveat. Eius rei negligentia Evam perdidit: ùt enim vidit, comedit; cecidit. Res quælibet ubi semel ad oculos, vel ad aures admissa fuerit, absens quoque mentes nostras exagitat, & in

& in ruinam impellit. Hoc verò genere pugnæ omnem illecebrosæ Imaginis assultum occupantis longè magìs Tirones, quam Veteranos milites uti necessum est. Hi enim, utpote confirmatæ, adultæq; virtutis viri, vanitatis & voluptatis impetus constantiùs retundunt, quibus interim inexperti noviq; facilè cedunt. Quare idem, quod illis palmas parit, & triumphos adornat, cladem his infert, & servitutem imponit. Nempe quàntumlibet vastus ignis marmora non dissolvit, ac metalla insuper emaculat; ità succendendis horreis, & Cedris in cinerem redigendis scintilla satis est. Nemo nostrum Abelem imitetur, quem nimia credulitas atque facilitas Cainum ad plana deducentem sequendi decepit. Quod semel Religiosæ Disciplinæ fastigium

con-

conscendimus, constanter teneamus, de quo, si quis nos deducere allaboraverit, id ille à nobis responsum ferat: non posse nos, licet vellemus; nolle verò, tametsi fortè possemus.

28. LAudatâ modò sententiâ Christ[9] Apostolos format, & instituit, nec tamen de primaria dote, imò, ut planiùs dicam, de ipsa substantia, naturáq; Apostolatûs quidquam addit, qui Evangelij prædicatione, & rerum credendarum expositione absolvitur. Quam ob rem David, cùm in egregios Ecclesiæ Ministros alienatam à sensibus mentem defigeret, lætus exclamavit. *In omnẽ terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. 5. Hæc nihilominus dissimulans Servator, cùm videretur Apostolis suis consecrare linguam, eámq; circumcisâ penitus omni Vanitatis redundantiâ, armare zelo debuisse, renes eorum adstringit, & animi perturbationes, cupiditatésq; refrenat. Non enim tum eos, id quod deinceps præstitit, hor-

hortatus eſt: *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium.* Sed nec illud addit, quod ſuo nomine publicare Paulum juſſit. *Argue, obſecra, increpa:* verùm id duntaxat imperavit. *Sint lumbi veſtri præcincti:* & niſi fallor, geminam ob cauſam Servator Apoſtolis ſuis auſteritatem vitæ potiùs ſeveritatémq;,quâ corpus ſuum caſtigarent, quàm gravitatem, quam in docendo adhiberent, injunxit; tum quia humanum agendi modum ſecutus, nunquam futurũ exiſtimavit, ut Evangelij ſui Miniſtri de ſupplicijs æternis, de Deo propter hominum ſcelera in Crucem acto, de immortalibus Virtutum præmijs verba facturi, dignitati ſuæ,muneríq; tam fœdam maculam aſpergerent, ut, neglectâ proximorũ æternâ ſalute, propriáq; in diſcrimen datâ, tum maximè jocis, deliciíſq; Academicis indulgere liberet, cùm argumenti gravitas, momentáq; cauſæ tonare illos potiùs, ac de Cathedris fulmina mittere, & verſatilem Cherubini gladium quaquaversũ vibrare jubent: tum quia, niſi terrenæ cupiditates, affectionéſq; ab ultimis fibris re- Marc.16.15. 2.Tim.4.2.

vellentur, Apoſtolica Evangelicáq; fulmina nullam nec impreſſionem factura, nec vim habitura prævidebat: quòd ſi verò pravi affectus edomiti eſſent, nullam fore vocem profligandis erroribus, & aſſerendæ Religioni non opportunam, aut imparem. Monet ergò. *Sint lumbi veſtri præcincti:* perinde ac ſi diceret: quòd ſi vos ab omni rerum humanarum deſiderio, amoréq; liberi in publicum proceſſeritis, quælibet ſententia veſtra ſuperbiſſimis quibuſque regnis, ac Provincijs maximè barbaris pietatis ſenſus, ac Numinis reverentiam inſpirabit. His porrò Servatoris verbis notant divinorum voluminum Interpretes, nec Eliæ zonam, nec ſetoſum Joannis Cilicium nudis Apoſtolorum corporibus applicari, verùm ità illis veſtes Apoſtolicas aptari, ut quondam ijs in more poſitum erat, qui diſcumbentibus epulas, ac vina miniſtrabant: quâ re docemur, Chriſti Præconibus ſatis eſſe non debere, ut res terrenas tum fugiant, cùm eorum luto propiùs continguntur, niſi procul inſuper arceant remotiſſima quæque qualiſcumq; in-

inquinamenti pericula. Non ſancta duntaxat oſſa, purúſq; eorum ſanguis eſſe debet, qui Succeſſores Apoſtolis deſtinantur, verùm ipſæ quoq; togæ ac pallia Eccleſiaſticorum Cenſorum omni maculâ, quam illinire illis cupiditas, aut perturbatio poſſit, vacare debent. Et ſanè Circūſpectionis hujus Evangelicæ diligens cautio in commune omnibus neceſſaria eſt, tum quia homines ſumus, tum quia vitia, niſi, cùm etiamnum procul abſunt, & in regni noſtri extremis limitibus conſiſtunt, oppugnentur, ſuperari deinceps haud poſſunt. De ijs verò niſi manifeſtam victoriā reportemus, Evangelium ipſum, ſanctiſſimámq; ejus doctrinam populorum ludibrijs, noſtrámq; famam criminationibus exponamus neceſſe eſt. Eapropter *Sint lumbi veſtri præcincti*; & eo modo cincti, quo ſuos B. Aloyſius adſtrinxit, qui neutiquam expectavit, dum animo ſuo recept' hoſtis pugnam cieret, ſed impetus omnes, ac rerum illarum illecebras, quarum cognitione aſpectúque mentes turbantur humanæ, ab ipſis ſenſibus ſanctiſſimo

consilio semper propulsavit. Videamus igitur, quam nobis necessitatem ejus Cinguli, quod Christus nobis commendavit, providentiæq;, quam Aloysius adhibuit, tum naturæ nostræ imbecillitas, tum reru objectarum vehementia imponat, quæ quidem tanta est, ut animum, à quo non confestim exclusæ, sed quoquo modo admissæ fuerunt, opprimant, atque pessumdent.

29. Nullum est in rebus humanis, sed nec in ipsa Ecclesia illustrius, mirabiliúsq; spectaculum, quàm videre in Mundo homines Mundi rerúmq; omnium expertes, qui non modò, quod habebant, sed quod erant ipsi relinquentes, cũ B. Aloysio fortunas, voluptates, voluntatémq; omnem Deo Apostolicis Fascijs, Paupertatis videlicet, Castitatis & Obedientiæ, illigatam consecraverunt. Et harum Virtutum quælibet Ecclesiam veluti odoratam quandã Nubem ad cælum subvehit, terrísq; omnibus cælestem fragrantiam spargit. Quare cùm Animam luteo isto carcere conclusã integritatis atq; innocentiæ svavissimum odo-

odorem exhalātem Angeli cōſpicantur, exclamant attoniti: *Quæ eſt iſta, quæ* A- *Cant. 3. 6.* SCENDIT DE DESERTO, *ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij?* At verò dum ego hanc ejus Animæ gloriam feſto cantu cum Seraphinis celebro, Gilbertus Abbas ingemiſcit, ac miris ſe curis excruciās Næ tu, inquit, præpropero gaudio exultas, cùm Religioſum quempiam, calcato mundo, ſublimem ex hac humanæ cōditionis humilitate, ad altiſſimum divinæ ſimilitudinis verticem veluti triumphali curru ſubvehi cernis: & ſanè plauſum illi ego quoq; darem, niſi ſvaveolentem illam Nubeculam pluribus alijs fluxarum cupiditatum Nubibus, Nebulíſq; impeti viderem, è quibus olim turbines ventíq; coorti, omnē thuris fragrantiam corrumpent, atq; disjicient. *Ego* VIRGULÆ ISTI *te-* *Serm. 15. in Cant. 10. 109. 60.* *neræ, & delicatæ* TURBINES METUO, *ne illam ventorum flabra diverberent, ne circumferat procella curarum, & tentationis cura illam diſſolvat, & cedat omni vento.* Audîſtis: timet, tremítq; prudentiſſimus Anti-

ſtes, non naturâ, ſed experientiâ timorem faciente, ùt ex eo, quod ſubjungit, apparet: *Exempla nobis metum ſvadent.* Quod verò animum meum quatit, eſt, quòd intelligo, pulcherrimos colores, fragrantiſſimæ illius Iridis non ab Aquilonum modò furijs dilui, verùm à qualibet objectæ ſpeciei larva, quæ fortè in eam incurrat, penitus deleri. *Ne tentationis aura illam diſſolvat.* Equidem ſi hoc loco malum ſiſteret, nec ulla præterea in Cælum euntibus pericula imminerent, commoverer profectò animo, haud tamen penitus conciderem. Verùm quod quieſcere me non ſinit, vaſtóq; horrore mentem perfundit, funeſtum illud omen eſt, quod Gilberto frequens experientia dictavit, imperavítq;, ut ſcriberet: *Et cedat omni vento.* OMNI VENTO? Itáne verò contingere aliquando poteſt, ut Anima quæpiam, quæ ſe Deo ſacramento dicto dedicârat, juratam Paupertatem violet? Sanè inquit Gilbertus. Quid? Potéſtne is, qui ſuam Deo voluntatem irrevocabili promiſſo tradidit, eam è Dei manibus per ſacrilegam perfidiã denuò

nuò extorquere? Quid nî possit? Igitur is quoq; qui intactum pudoris Lilium Lucis æternæ Candori sacravit, idem deinde cõtaminare sulphure,ac tetrâ fuligine inquinare potest, haud minore illius injuriâ, quàm infamiâ suâ? Id quoq; fieri potest. Verum enimverò, si fœdis adeò mutationibus purissimas quoq; mentes obnoxias esse fatemur, metuendum & illud esse video, ne palàm abjectis Religiosæ vitæ insignibus, manifestâ perduellione à Cruce deficiant. Imò nulla est tã alta præcépsq; vorago in quam ruere non possit, qui paulò antè in Carmeli vertice stetit,& per Libani nives inoffenso pede cucurrit. Nam qui monet: *Ne cedat omni vento*,nullũ quãtumvis grande planè, flagitium excludit, eúmq;, qui Apostolico vivendi genere, ac pulcherrimarum virtutum exemplis, velùti sanctissimis odoribus, orbem Christianum repleverat, ne Sacrorum ac Religionum omnium hostis supremum Numen ejuret, funestissimo periculo subjacere testatur.

30. Eam ob rem S. Hieronymus dicere

non dubitavit, ne illos quidem, quibus Apoſtolica Virtus id robur contulerat, ut totam penè rerum univerſitatem Chriſto ſubjugare poſſe viderentur, à noviſſimis Perfidiæ, atq; Impietatis exemplis ſecuros agere. Tantam verò morum cõverſionem fieri poſſe Romanæ Urbis exemplo confirmat. Illa, poſtquam Orienti atq; Occidenti jugum impoſuerat, demum à Gothis ſubacta Barbaris Gentibus ſervitutem ſervijt. *Hæret vox, & ſingultus intercipiunt* verba dictantis. CAPITUR URBS, QUÆ TOTUM CEPIT ORBEM. Quod verò Regiarum Urbiũ mœnibus ac propugnaculis uſu venit, multò id magìs humanis mentibus, tantò victricibus illis arcibus de robore concedentibus, metuendum eſt. Quare ſi Roma, quã aggeres muniebant, ambiebant foſſæ, militum præſidia defendebant, tot illuſtria trophæa coronabant ac palmæ, nihilominus in vinculis gemit, credemúſne Animã quibuſcumq; demum victorijs claram ijſdem perturbationibus, quas domuit, & Mundi fallacijs, quas eluſit, non aliquando

Epiſt. 16. ad Princ. Virg. To. 1. 7. 95.

do ſervire, meritóq;, ne id accidat, timere poſſe? *Quorſum iſta?* UT HOMINEM TE ESSE NOVERIS, ET PASSIONIBUS *humanis*, *niſi caveris*, SUBJACERE. *De eodem cuncti facti ſumus luto.* Sanè ſi omnes unâ eâdémq; glebâ conſtam[9], nulla totius iſtius maſſæ pars, utcumq; robuſta, ſcitéq; conformata ſit, non ſe quoq; inquinari, diffringíq;, id quod alteri eveniſſe deplorat, olim poſſe, perſvadere ſibi debet. Cedò enim, quis Jacobo Anachoretâ, qui tricenos annos in ſpecu delituerat, nec minùs ipsâ ſanctiſſimæ vitæ ratione, quàm patratis prodigijs inclaruerat, magìs graphicè fictus fuiſſe tibi videtur? Sed hic ipſe cùm conſvetæ circumſpectionis cinctum non voluptas illi, ſed caritas, aliquantulum laxâſſet, qui ſub occaſum Solis ſanctitatis, & abſolutiſſimæ virtutis Forma quædam ſolitarijs ſuis Sodalibus erat, priùs, quàm ille denuò naſceretur, periſſe, ac duorum animorum ac corporis unius latronem ac parricidam ſe cognovit: utpote qui ſibi Virginitatem cæleſtémq; Gratiam, infelici verò hoſpiti Gratiam pa-

Epiſt. 9. ad Salu.

0.17.54.

riter, ac cum vita ſalutem æternam ademerat. Nota errantis Virginis hiſtoria eſt, ut hoſpitio eã malè cautus Solitarius haud alio quidem conſilio acceperit, quàm ut eam latronum petulantiæ, ac Leonum rictibus illâ nocte ſubduceret. Sed nempe utroſq; illa reperit in Jacobo, à quo pudor illi primùm, tũ ne flagitij fama erumperet, vita extorta eſt. Itáne autem, cùm ſpelũcam tantæ ſanctitatis veſtigijs conſecratã Chriſto in minimis ſuis recipiendo Caritas reſeravit, impurus pariter Spiritus irrupit, & ad Inferos Hoſpitam detraxit, & à Deo retraxit Hoſpitem? Cujus unquã animum ea ſuſpicio pulsâſſet, fore, ut ſub ejuſmodi ſacrificio, quod hinc Evangelium imperabat, hinc erga puellam omni auxilio deſtitutam, & in ſummis periculis conſtitutam pietas poſtulabat, fœdiſſimæ nequitiæ, & inhumanæ crudelitatis inſidiæ tegerentur? Cogimur, heu cogimur cum Hieronymo exclamare, & ejulare cum Jacobo: *De eodem cuncti facti ſumus luto!*

31. Ne verò dicas, eos qui ſacris Ordinibus nomen dant, novo quodam Baptiſmo

ini-

initiari per quem vinculis peccatorum ex-
ſoluti, in Filios & Hæredes Juſtitiæ ado-
ptentur. Opponet enim Auguſtinus, vel
in ipſo Baptiſmo Sacramentali, qui tamen
tum virtutis efficacitate, tum cæleſtiũ do-
norum copiâ figuram ſimilitudinémq; illã
iam longiſſimè ſuperet, tametſi peccati
ordes eluantur, ac vulnera coëant, rema-
ıere tamen ſemina vitiorum, quibus faci-
è renovari vulnera, & redire maculæ que-
nt, utiq; cùm in nobis malarum frugum
ıdix, & inimica virtuti Lolia perſeverent.
Nimirum Erythræo mari ſubmerſus eſt
harao, ſed neq; Senacherib, neq; Na-
ıchodonoſor, quorũ alter Solymas obſi-
et, alter expugnat, pariter illo naufragio
riêre. Ægyptios illæ undæ hauſerunt,
q; tamen nullos præterea hoſtes habuit
oyſes, quibuſcum conſereret manus
ùs, quàm promiſſas ſedes intraret; Ger-
ſæorum, Hethæorum, Amorrhæorum,
adianitarum, Arabum, totiúſq; illius ſa-
legæ Gentis ſanguine, quæ tot retrò ſe-
lis Palæſtinã obtinuerat imbuenda Iſra-
arma, erigendáque, trophæa fuerunt.
Ecce

Serm. 16. de verb. Apost. To. 26. 132. *Ecce omnia illis peccata dimissa sunt; justificati sunt à peccatis, negare non possumus.* RESTAT TAMEN LUCTA CUM CARNE, RESTAT LUCTA CUM MUNDO, RESTAT LUCTA CVM DIABOLO. *Qui autem luctatur*, ALIQUANDO FERIT, ALIQUANDO PERCUTITUR, *aliquando vincit, aliquando perimitur.* Quòd si ergo thura in graveolentem Mephitim degenerant; si triumphales animæ in ordinem & servitutē redigūtur; si post confractas Mempheos catenas Jerichuntis expugnanda mœnia, barbarorúmq; acinaces retundendi supersunt, si deniq; post Baptismum Chrismate consecratum neq; Dæmon absistit, neq; Mundus cedit, neq; sensuum illecebræ tumultuari desinunt, quis non dicto Christi audiens erit, adversus tot hostium implacabili odio ardentiū Exercit⁹ Evangelicis cinctibus sanctissimorū Votorū nos obarmantis: *Sint lumbi vestri præcincti.*

32. At ne his quidem armis instructos esse satis est, nisi eadem, cùm etiamnum procul, & in confinibus hostem habemus,

exe-

exeramus, ſeu, ut meliùs dicam, niſi memoratis armis ità ſemper ſtemus accincti, ut confligere, pugnæq; aleam ſubire neceſſe non ſit. Atq; huc, ùt ego quidē exiſtimo, Philo reſpexit, cùm eos qui Gratiæ libertatem amarent, & peccati jugum, ſervileſq; catenas execrarentur, abſtinere prælio, nec pedē cum hoſte propiùs conferre juſſit. NE QUIDEM DESCENDAT *in certaminis aleam.* Conſilij verò hujus rationem exponit, eò quòd, qui pugnam committit, quamvìs ſæpe victoriā reportet, aliquando deniq; vincatur, atq; ſuccumbat. *Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur*; ALIQUANDO VINCIT, *aliquando perimitur.* Quæ omnia breviſſimè complexus Senec̄a quatuor verbis, veluti totidem tonitruis, à prælio ac lucta unumquemq; noſtrûm abſterret. EXITUS PUGNANTIUM MORS EST. Num compendioſius, ampliúſq; dici quidpiam poteſt? Quiſquis nimirum cum Integritatis ac Virtutis hoſtibus manus conſerit, quantumcumq; ſæpe victor è pugna diſcedat, ad extremum tamen

Lib. de Abr. To.107.208.

men

men, aut præda hostibus, aut trophæum erit.

33. Et quoniam hujus Scriptoris meminimus, continere me non possum, quin similitudinem ejus quampiam afferam, quæ mirum in modum eam doctrinam, cui explicandæ frustra verba requiro, exponit pariter, atq; confirmat. Ne in colloquium, inquit, disputationémq; cum cupiditatib' tuis venias, nisi fortè subire illarũ Tyrannidem, omnémq; tibi fugæ spẽ præcludere voles. Quippe qui cum re aliqua transigere sustinet, eo tamen consilio, ut omne illius desiderium à se rejiciat, poterat ille quidem cavere, ne vel ad oculos, vel ad aures eam admitteret; sed postquam & admisit, & mente secum retractavit, non poterit non itidem concupiscere; imò explere se eousq; volet, ut non solùm in ejus servitutem, verùm etiam naturam concedat. Quemadmodum super ipsum montis verticem nobilem ex Alabastro sphæram cõtinere à lapsu nullo negotio possumus, & verò cùm deorsum ruere cœpit, cursũ revocare aut sistere, nullâ ratione jam licet,

nec

nec prohibere, quin illiſa rupibus in mille priùs fruſta, tenuémq; pulverem diſſolvatur, quàm ad montis radicẽ pervenerit: ità poſſumus quidem ab oculis noſtris lenocinia voluptatum arcere: poſtquã verò illæ ſenſibus ſeſe noſtris inſinuârunt, & cũ Phantaſia ſermocinari cœperunt, nihil intentatum relinquunt, donec occupatis Animi facultatibus, veluti proprio in Regno ſine æmulo ſe regnare conſpexerint nunquam porrò exturbandas. *Vt in præceps datis corporibus* NULLUM SUI ARBITRIUM EST, *nec reſiſtere, morarive dejecta potuerũt, ſed conſilium omne,* ET POENITENTIAM IRREVOCABILIS PRÆCIPITATIO ABSCIDIT, *&* *non licet eò non pervenire,* QUO NON IRE LICUISSET. *Ità Animus, ſi in iram, amorem, alióſque ſe projecit affectus.* Fallitur quoq;, qui cùm Principatus, atq; Imperia nunquam non in ore habeat, mentémq; ac intelligentiam ſuam in tam magnificas imagines defixam gerat, à ſe deinceps Paupertatem Matris habendam loco, & inſtar valli propugnandam ſperat. Sic hallucina-

Lib. 1. de Ira. *To. 2 9. 2 9 9.*

tur deniq;, qui oculis in profana, curiosáq; ſpectacula paſſim errantibus, procul nihilominus ab ijs rebus, ad quas tam propè acceſſit, & in quas ſenſus ſuos penitus immerſit, mentem ſe avocaturum vaniſſimâ confidentiâ ſibi perſvadet. Vin' ſcire, quid Animus averſetur, quid non diligat? nempe, ſi Ambroſio credimus, id quod non videt. *Quod non videris, non amaveris.*

34. Cui Philoſophiæ, ſi cætera omnia deeſſent, quæ fidem illi, auctoritatémq; conciliarent, vel unus Evæ lapſus eam ſatis, atq; abundè comprobaret, funeſtum ruinarum noſtrarum omen ſententiâ ſuâ, & obſignatis Pomo Tabulis firmantis. De Arbore vetita diſſerüit mulier infelix; imò non quidē ipſa diſſerüit, ſed ſuper ea diſputantem audivit: víxque unam alterámve ſententiam audierat, cùm animam ſuam quinq;, iíſque peſtiferis vomicis deformavit: quas tertio Geneſis capite deſcriptas leges. Vix itaq; illa recenſeri Arboris decora inaudijt, cùm ad eā progreſſa, ac deſiderio capta pomorum, primùm quidem ea intuita eſt, tum manu carpſit, deniq; ad

os

os admovit, & in ventrem trajecit, nec in proprio delicto acquiescens sacrilegio comitem maritum adscivit. VIDIT *igitur Mulier*, & TULIT *de fructu illius*, & COMEDIT, DEDITQUE *viro suo, qui comedit*. Heu! quàm multiplicis ruinæ caussa extitit, narratiunculam, brevissimámq; rei, quæ videri, quæ attrectari sinè piaculo posset, descriptionẽ curiosiùs auscultâsse! quantulum id erat, quod oculos infecit, manus ad rapinam extendit, gulam proritavit, offendiculũ conjunctissimo capiti præbuit, à Deo demum defectionem persvasit! Quâ in expositione non modò Veritatis limites transgressus non sum, sed pessimam flagitij partem ne attigi quidem. Etenim Eva solo aspectu nõ contenta objecti fructûs speciem ab oculis ad mentem transmisit, &, simplici obtutu in ratiocinationem mutato, quàm priùs in videndo curiosam, tã deinde in pronunciando temerariam se præstitit. *Vidit igitur Mulier* QUOD BONUM ESSET LIGNUM *ad vescendum*, & *pulchrum oculis*. Credidit illa, se in solo pomi à Serpente dilaudati a- Genes. 3. 6.

ſpectu, & contemplatione acquieturam, nec ultra quidquã deſignaturã eſſe. Quàm primùm verò miſera obtutum in illud defixit, continuò præclarè de illo ſentire, ac magnificè ſecum loqui cœpit, tantáq; deinde cupiditate illi⁹ exarſit, ut vitâ, Deóq;, quàm illius eſu, deſtitui mallet. Ea nimirum vis, ac vehementia eſt voluptatis ad confinia ſenſuum ſemel admiſſæ, ut pomũ quoq;, quo quid eſſe vulgarius poteſt? plus in animum illius, à quo conſpectum erat, quàm Arboris, totiúſq; Terrarum Orbis Conditor, quem adorabat, valuerit.

35. Et profectò minor foret noſtra calamitas, ſi tum ſolùm, cùm res ipſæ vel oculos, vel aures occupant, detrimentum acciperetur: at verò illud planè miſerrimum eſt, quòd abſentes etiam, atq; à ſenſibus remotæ in vincula, & ſervitutem conjiciant, quem ſemel ad familiarem conſvetudinẽ pertraxerunt. Perinde videlicet nobis ac Piſci, quem Gladium vocant, uſuvenit. Quemadmodum enim hic miſſili Tridente ictus fugã aliquamdiu intendit, verùm quocumq; ſe recipiat, ferrum ſecum ac mor-

mortem trahit: ſic animus, quem per oculos adacto telo Vanitas ſauciavit, tum quoq; cùm, poſitis in penetrali genibus, aut ſacra volumina luſtrat, aut Pſalmos legit, aut ſuos Deo amores addicit, recrudeſcẽte, quod in præterito prælio acceperat, vulnere diſcruciatur. Quid ajo? Non in cella modò degentes olim viſa excruciant, ſed ad Aram facientes, ſed hoſpitiũ Christo cum unguentis Magdalenæ, ac irrequietâ Marthæ ſedulitate parantes quatriduanæ illius IMAGINIS, qua cum fortè nimis familiariter verſati ſumus, fœd⁹ ac peſtilens odor inficit atq; perturbat. Extat apud Ambroſium in eo libro, quem de Tobia conſcripſit, illuſtre hujus rei documentum. *Quaſi Piſcis*, QUI FUSCINA FUERIT INFIXUS, QUOCUMQUE *fugerit, vulnus vehit.* Quem autem locum excipit, qui QUOCUMQUE vehere vulnus dicit? *cap. 6. To. 10. 242.*

36. Quam doctrinam Aloyſius noſter adeò mordicus tenuit, ut in eo genere rerum, quæ ſuâ fœditate horrorem omnib⁹, niſi planè perditis, movent, tam ſeveram

circumſpectionem adhiberet, & in hoſtē ejuſmodi procul adeò poſitum tela dirigeret, ut cùm Auguſtam ex Italia in media Hiſpaniæ Regna comitatus fuiſſet, ac pro muneris ſui ratione adire illā quotidie deberet, nunquam illius vultum inſpexerit. Dicere quin etiam religiosâ fide potuit, ſi Matrem in aliarum Matronarum comitatu obviam fortè habuiſſet, nullum ſe inter ipſam, aliáſq; diſcrimen facturum, ac ne Matrem quidem inter paucas agniturum fuiſſe. Hoc enim verò, hoc eſt, Lumbos præcingere, ac victoriam in manibus habere. DOCET VITIA NESCIRE (Sancti Ambroſij ſententia eſt) *qui docet cauſas neſcire vitiorum.* Ad id nempe Monachos ſuos Gilbertus Abbas exhortatur, cùm pro finibus ſuis eos pugnare, hoſtém- procul à limitibus arcere jubet, ſiquidem vellent invicti ætatem omnem vivere, ac palmas ſepulchro inferre optarent. *Veni de Libano, veni coronaberis* DE CAPITE *Amana, de vertice Sanir, & Hermon.* Non niſi de montium culminibus, & Monſtrorum capitibus corona texitur: ut Chriſti-

Lib. 1. de Virg. To. 58. 61.

Cant. 4. 8.

ani

ani Bellatores intelligāt, illis duntaxat triumphum decerni, qui Evangelicâ Providentiâ subnixi primos noxiarum imaginū impetus frangere consveverunt. *Iure ergò Caput ipsum triumphās* CORONATUR DE CAPITE, *quia tentationum* INITIUM *conterit.* Serm. 29. in Cant. To.10 p.146.

37. Quod consilium adeò non impunè negligitur, ut qui primos vitiorum motus non repressit, non solùm ijs succumbat, verùm etiam, cùm fastidio esse servit⁹ cœpit, excutere jugum, ac virtutis studio se reddere, Deo id æquissimè permittente, non possit. Et quamvis ille, quod ad agendum satis est Gratiæ, nemini neget, efficacia tamen ijs auxilia subtrahit, qui pericula ultrò advocant, cúmq; Hostibus in colloquium (ut ità dicam) descendunt, ac, demisso veluti ponte, res vanas, noxiásq; in Arcis vestibulum recipiunt, propiúsq; venire sub aspectum sinunt, licet eas ab animo excludere ratū fixúmq; habeāt. Quisquis igitur id genus hostes temerè lacessit, etsi victor is possit evadere, quoniā si vincere non posset, ne vinci quidem ab illis re-

vera posset; nunquam tamen vincet, nec proinde temeritatis suæ culpam subsequēti victoriâ pensabit, sed novâ insuper culpâ cumulabit. *Et hoc fit justo Dei judicio, ut qui cupiditati resistere noluimus* INGRESSURÆ, *jam* RESISTERE NEQUEAMUS INGRESSÆ. Quæ S. Prosperi denunciatio quælibet genera vitiorū complectitur, puta, vel superbiæ; cùm de Dignitatibus atq; honoribus magnificè quis, & ambitiosè disserit: seu curiositatis; cùm spectaculis otiosísq; oblectamentis oculos indulget: seu contentionum ac rixarum; cùm diem profanorum bellorum narratione consumit: seu Fastidij, quâ Religiosā Modestiam & Jugum Evangelicum aversatur, dum secularem fastum extollit, & nil nisi Coronas, sceptra, & purpuras loquitur.

Lib. 2. de vita Contemplat. To. 34. 94.

38. At fortè credent aliqui, denunciatis à Prospero periculis se neutiquam patere: quod primi illius sacrificij flammis, quo se Deo è paterna domo digressi consecrârūt, & repetiti subinde per iterata vota non semel Holocausti fragrantiâ muniti adeò con-

confirmatíq; ſibi videantur, ut, quem erga ſeculi voluptates horrorẽ profeſſi ſunt, nullæ earum blanditiæ expugnare poſſint. Et ego, reponit Tertullianus, vos extra periculũ damnatos honores reſpiciendi poſitos exiſtimarem, niſi viderem, & in Cælo ſidera, quæ Solis claritas oppreſſerat, rurſus effulgere, & in terra flores, quos hyemis rigor decuſſerat, renaſci. Ad hunc ſcilicet modum ſeu gloriæ, ſeu opum cupiditates, quas Numinis timor, & Virtutis ardor in animis noſtris extinxerat, ſenſim ſine ſenſu reviviſcunt, & à divino ſqualore, ac quadam veluti aſperæ caſtigatæq; vitæ bruma, ad execrabile Ver grad⁹ fit, in quo vetera ſtudia refloreſcant, adeò quidem, ut in ipſo Modeſtiæ regno non pudeat honores emendicare, & cōmoda per ſūmam indignitatem, publicámq; offenſionem ab ipſa velle Cruce decerpere. Heu Montes Gelboë, quos ver⁹ ille David Chriſtus Jeſus in Evangelio ſuo perpetuâ ſterilitate damnavit, vetuítq; ullum poſthac rerum præſentium aut florem, aut fructum proferre, vos, inquam, qui, ut horrorem Gol-

gothæ referretis, Clavos exhibere pro pomis, ſpinas pro roſis germinare debueratis, Carmelum interdum quæſitarum cōmoditatū fertiltate ſuperatis, & nec ipſi quoq; Thabori nominis ſplendore conceditis! REACCENDUNTUR ENIM ET STELLARUM RADII, *quos matutina ſucceſſio extinxerat, etiam terræ de Cælo diſciplina eſt*, ARBORES VESTIRE POST SPOLIA, *flores denuò colorare, herbas rurſus impònere.* Non eſt igitur, quod quiſpiã præteriti fervoris fiduciâ elatus, à futura teporis ignavia tutum ſe arbitretur: quam ob rem *Sint lumbi veſtri præcincti.*

De Reſurr. car. To.58.297

39. Quòd ſi quis eſt ex ijs, qui nuper Religioſam vivendi rationem auſpicati ſunt, qui dicat, non omnium Veteranorum pectora hoc, quem deſcribimus Evangelico Baltheo tam arctè conſtricta videri, ut nō interdum laxior alicubi cinctus appareat. Illum ego meminiſſe velim, huic qualicũque Conſiderationis ac Circumſpectionis remiſſioni, quam fortè in aliquo Sacerdotum noſtrorum rerum geſtarũ gloriâ conſpicuo deſideramus, ſubſtitui in edomandis

dis cupiditatibus, castigandóq; corpore multâ exercitatione paratum usum, mentem sacrâ eruditione cognitionéq; rerum æternarum collustratam, corp⁹ inediâ exhaustum, pectus poto quotidie Christi Sanguine inflammatum, ætatem deniq; in complexu Crucis transactam. Hoc genus præsidijs atq; remedijs destituti Tirones in manifestum periculum Integritatem suã conjiciunt, si vel transversum digitum custodiæ hujus limites excesserint, aut nonnihil vincula, quibus sensus suos continẽt, laxaverint. Equidem radios suos, licet in lutum demergat, nullas sordes Sol contrahit, in quod si Liliũ cadat, næ illud colorem ac fragrantiam eodẽ temporis puncto deperdat. Quare ubi alter, qui de Cælo plurimum habet, nullum adit periculũ, alter qui terrenam fæcem nondum totam deposuit, non periculum modò sibi, sed interitum accersit. Synesius audiatur: SOLARIS RADIUS, inquit, QUAMVIS COENUM CONTINGAT, PURUS, *nec inquinatus* MANET. EGO, *si* *Epist. 57. advers. Andronic. To. 55. 46.*

idèm fecero, FONTIBUS AC MARI OPUS HABEBO.

40. Huc facit, quod à Quintiliano exquirebant aliqui, ecquid de Senecæ ſtylo ipſe ſentiret, laudéne an reprehenſione dignum judicaret? Equidem, reſpondit ille, ſi magni hujus Scriptoris elegantiam, & acumen ſpectes, nullam in ejus Voluminibus facilè ſententiã reperies, quæ non admirationem ac laudem mereatur. Cæterum ab ejus lectione abſtinendũ Diſcipulis cenſuit, imitationem verò longè magìs cavendã eſſe graviſſimis verbis edixit. Cùm enim ea ſcribendi, paſsímq; oracula, quibus plenæ ſunt omnes celebratiſſimi Stoici paginæ, fundendi felicitas pauciſſimis obtingat, eâ ſolùm parte, quâ ille peccaverat, puta hiulco ac diſſoluto dicẽdi genere, ſtylo fracto atq; degeneri, & argumentationis incuriâ pleriq; illum imitabantur. Quo fiebat, ut illi pro gem̃is, quas Philoſophus colligebat, arenarum cumulos, ac fractorum veluti vitrorum inconditam molem coacervarent. *Foret enim* O-

Lib. 10. *c.* 1. 10. 56. 101.

PTAN-

PTANDUM *pares, aut ſaltem proximos* ILLI VIRO *fieri.* Sed AMABANT EUM MAGIS, QUAM IMITABANTUR: *tantúmque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis deſcenderat.* Itáne autẽ conciſum orationis genus, quod Præceptori Neronis immortalem gloriam, Principatúmq; inter Ethicos Philoſophos pepererat, æternum dedecus toti illi Declamatorum turbæ inuſſit, quæ temerè auſa erat, illius ſtylum, ac ſcribendi formã exprimere? Sic eſt profectò, non enim, quod alicui neq; damnoſum eſt, & forſan plurimum utilitatis ac commodi confert, id cõtinuò ab alijs aut honeſtè aut tutò peragitur. Quam rem idem Scriptor ingenioſiſſimâ quâdam animadverſione luculentiùs, copioſiúſq; confirmat.

41. Certè Mauſolæa Ægyptia nullâ ſui parte quantũ libet vaſtis incendijs corrumpi potuiſſent: cùm interim ad redigẽdam in cineres Davidis Regiam Tabulis Cedrinis conſtructam paucæ ſcintillæ ſatis futuræ fuiſſent. Ità quæ plurimorũ Veteranorũ Virtutem, licet impetu facto in eam

eam incurrant, minimè commovent, vel ſolâ ſuâ umbrâ pleroſq; è novis Christi militibus penitus evertunt. *Nec intereſt, ex quàm magna cauſa naſcatur*, SED IN QUALEM PERVENIAT. *Sic ignis non refert*, QUAM MAGNUS, SED QUO INCIDAT. *Nam etiam maximum ſolida non receperunt, rurſus arida, & corripi facilia ſcintillam quoque fovent uſque in incendium.* Ergo verbulum quodpiam non uſquequaque pudicum, ac probũ infirmos animos Ætnæis ignibus ſuccendit, & in cinerem reſolvit. *Scintillã uſque in incendium fovent.* Igitur Juvenis non confirmatæ virtutis ſolo ſeu Palatij magnificè adornati, ſeu Equeſtris Pompæ, ſeu bellici ſimulachri aſpectu tantum de ſuo in obſcuritatem Religioſam amore remittere poteſt, ut quam Sponſæ, Matris, ac Reginæ loco ſe habiturum jure jurando profeſſus eſt, eam à ſe abjiciat, atq; repudiet. *Sic ignis non refert, quàm magnus*, SED QUO *incidat*. En igitur, ut earumdem rerum aſpect⁹ provectæ virtutis, ac ætatis Religioſo in Crucis amplexu tenaciùs hærendi, & mundi crepun-

Epiſt. ad Lucil.
To. 9. 26.

pundia ſalsè deridendi cauſam præbet, is Juniores, teneráſq; mentes vanis illis ſplẽdoribus adeò percellit, ut, deſertâ Chriſti militiâ, totũ cum Cruce Calvarium montem ejurent. Quamobrem à ſpectaculis oculos, animúmq; avertat oportet, qui pietatis ac Religioſæ vitæ fundamenta, quas res ampliſſimis opibus antepoſuit, ſalva & inconcuſſa cupit perſiſtere.

42. Hinc eſt, quod Philo, licet Abelis mentem à crimine abſolvat, ejus tamen nimiam facilitatem vehementer reprehẽdat, quòd ſe fratris precibus flecti paſſus ſit ad latã campi planitiem ipſum invitantis. *Egrediamur foras*: ſeu ùt habent Septuaginta Interpretes: *Tranſeamus in campum*. Oportuerat Abelem, Philonis judicio, ipſum campi, ac latitudinis nomen expaveſcere: potiúſq;, quàm ut paternæ Domûs limites egrederetur, in ipſum Patris tentorium ſe recipere, magnóq; animo illum à ſe repellere, à quo à Patre divellebatur, & ad luſtrandas Regiones ignotas ſolicitabatur. Ejuſcemodi enim precib⁹ aſſentiri, & adulantiũ offenſam timere, quẽadmodum

Geneſ. 4. 8.

dum ſimplici Paſtori mortalem vitam ademit, ità cæteris omnibus haud minoris, quàm immortalis vitæ ac Virtutis jacturâ ſtabit. O quiſquis es, qui Calvariæ montem incolis, illud fac animo tuo recurrat, quòd *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Quare ſi te Cainus aliquis, ut ab arduo monte Religioſæ Diſciplinæ, & quotidianarū afflictationum, ad liberioris, mitioríſq; conſvetudinis planitiem, & ad novam, inuſitatam, licentiorem, ſingularémq; vivendi rationem velut inhoſpitalem ſolitudinem deſcendas, perſvadere conatur, præcisè nega te iturum: quòd ſi alter inſtet contrà, timorémq; & ignaviam tibi objiciat, negare perſta; certus prudentiā providentiámque tuam à celeberrimis Chriſtianæ Ducibus Militiæ meritis laudibus extollendā eſſe. DEBUERAT RECUSARE IN CAMPUM DESCENDERE, *Et provocationem inimici contemnere. Tergiverſari enim præſtat*, QUAM VINCI. *Quā cunctationem inimici appellant timiditatem*, AMICI VERO SECURITATEM. Quamvìs autem incauti juvenis calamitas è ni-

Exod. 3. 5.

* *Lib. Quod deterior pot. inſid.* *Io.107.93.*

è nimia obſequendi; alienóq; arbitrio morem gerendi facilitate profecta ſatis ponderis habitura videatur, ut Evangelicam zonam non modò non deponam⁹ unquã, verùm etiam nullâ ratione laxemus, eáq; omnia aveſſemur, quæ honeſtatis lucem hebetare poſſunt, vellem tamen ſenſuũ noſtrorũ cuſtodiam idem ille in Deum amor nobis perſvaderet, qui omnes tum animi facultates, tũ corporis ſenſus in Beatiſſimo noſtro Sodale Aloyſio fortiſſimis aggeribus concluſit. Quòd ſi enim ab illi⁹ oculo petas, quid cauſæ fuerit, cur Auguſtæ coronã intueri noluerit; id ſcilicet referes: AMORE LANGUEO. A Regij Diadematis aſpectu mihi tempero, ne corona, quam humanæ gloriæ contemptus Chriſto nectit, è manibus meis defluat. Si linguam illius roges, quã ob cauſam de ſtirpis ſuæ nobilitate, ampliſſimiſq; honorib⁹, quos in Regia ipſe, aliíq; tuliſſent, altè adeò ſileret? dicentẽ audires: *Amore langueo.* Si dexteram ejus incuſares, quòd nullas ad Matrẽ, conſanguineóſq; literas exararet, exclamaret Beatus adoleſcens, id facere neu-

neutiquam possim, quia *Amore langueo*. Si deniq; totum ejus corpus interroges, cur spectacula, licet honesta, vitaret? Si à memoria petas, quî non meminisset, quot fratres inter Principes numeraret? Si ab intelligētia causam exquiras, ob quā ne brevissimo quidem temporis spatio res humanas secū retractaret? nulla foret animi facultas, nullum corporis membrum, quod non captum se, ac, ut ità dicam, paralyticum clamaret: AMORE LANGUEO. Hunc ergò languorem omnibus, qui Vota instâurant, imprecor: ea enim hujus morbi vis est, ut è Scholasticis Apostolos, è Discipulis Aristotelis celeberrimos Gentium Magistros, &c, propè abest, ut dicam, Servatores Orbis terrarū, ac Christo simillimos efficiat. Quæ omnia tum verè de unoquoq; nostrûm dici poterunt, cùm nemo nostrûm fuerit, qui non opere ipso Christi dictum expresserit:

Sint lumbi vestri præcincti.

EX-

EXHORTATIO XXVIII.

In Pervigilio B. Aloysij.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. *Sap. 10.*

P*ERSEVERANTIA in bene cœptis ad absolutam Vitæ Sanctitatem animos promovet: Inconstantia funestis casibus obiicit. Qui oculos eò, unde averterat, refert, à Christo inter æternæ felicitatis exsortes numeratur. Quem semel Inconstantia mentis inclinare ad Teporem cœpit, is per abrupta devolvitur, nec priùs consistit, quàm in ima vitiorum descenderit. Ità Dàvidi, & plerumque omnibus usu venit. Miseros*

verò illos, qui aurem ignavis Tepidísque accommodant, longè verò miserrimos, qui præclara Sodalium studia restingvunt! Id verò non solùm prava consilia, sed maiori quoque cum pernicie actiones non optimæ præstant. Petrus ipse, quia Christum à Cruce abstrahere conatus fuit, eousque delapsus est, ut quem Christus paulò antè suæ Præconem Divinitatis, & Theologorum verticem dixerat, Impostorem subinde Satanámque appellaret. Non in eos intueamur, qui fœdâ defectione contacti Serpētis partes in Religiosorū Ordinū Paradiso sibi sumunt, & falsis persvasionibus, ignavísque consiliis proborum animos frangere, innocentiámque corrumpere allaborant; sed optimorum quorumque, quorum ingens numerus, & elara virtutum

tum

tum exempla Religiosas Ædes exornant, vivendi formam præ oculis habeamus.

43. Eati Aloysij Cineres Altaria complectuntur, & impositam Aris Imaginem Religio dedicavit. Toto terrarum orbe sanctissimi Juvenis venerabile nomen populorum omnium votis vocatur. Ejus deniq; memoriam tum Ecclesiæ, tum Societatis Fasti statis temporibus ità referunt, ut pari propemodũ solemnitate cum SS. Apostolorum, & Patriarcharũ Natalib⁹ eam Christiani Populi recolant. Parum est. Penè Seculum abijt, ex quo B. Juvenis Anima Cælo recepta Sedes Apostolicas occupat, amplissimis honoribus, quos ipsi paternarum opum, ac Principat⁹ aviti contemptus peperit, magnis Cælitũ acclamationibus, & singulari Numinis amore dignata perfruitur. Neq; hîc consistit Beatissimi Juvenis prodigiosa felicitas. Tam præclara enim tum cōmunis per orbem cultûs, tum cælestis beatitatis præ-

mia paucorum annorum labore consecut⁹ est: neq; eos ille vel in prædicando Barbaris Gentibus, & in extremum mundi angulum abstrusis populis Evangelio posuit, vel in Provinciarū administratione Pontificiâ potestate, Mitrâ, & sacrâ Purpurâ insignis, aut divinas litteras Religionísq; Mysteria de superiore loco, in publicísq; Lycæis cum Ecclesiæ Doctoribus exponens; seu deniq; pro Catholicæ Fidei defensione in Britañiæ Custodijs, in Moschorū foveis, in Thraciæ palis, in Æthiopiæ patibulis, in Japoniorum sulphureis stagnis, ac ferventibus undis collocavit. Sed in hac Domo, in qua verba facimus, neq; Sacerdos, neq; Magister, sed è Theologorum nostrorū auditoribus unus, & simplex Societatis nostræ Clericus vitam egit. At verò quamvis esset & juvenis, & nullo Gradu apud nos insignitus, & ab omni publico munere remotus, omnes propemodum ejus ætatis Evangelij Præcones superavit, nec ullam perfectæ vitæ, absolutissimæq; Sanctitatis partem, quam illi vel inter cōpedes, vel inter asperrimas ærumnas sudore,

re, sanguinéq; perfusi obtinuerant, invidere mortalium ulli potuit. Eam verò hinc ille assecutus est, quòd in Religiosæ Disciplinæ, ac Perfectionis studio cursum, quē semel cœperat, nunquam intermiserit, nec priùs quieverit, quàm ad metam Christianis Athletis propositam pervenisset, palmámq;, quæ haud alia, quàm consummatio Virtutis, ac Dei possessio est, Victor reportaret. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* In has semitas, quæ ad Christianæ Sanctitatis, & Regni Cælestis duplicem palmam Aloysium deduxerunt, ipsi quoq; pedem jam tum intulimus, cùm è Babylonis plateis profugi ad Calvarij Montis arduum clivū accessimus, ipsámq; in amplexus Crucē recepimus. Et sanè, quemadmodum eadem est via, sic idem quoq; nobis termin⁹ foret, si pari cum Aloysio alacritate procurrerem⁹; neq; ulla nos unquam à cursu, atq; ulteriore in virtute progressu desidia impediret; aut laboris tædium retrò traheret, aut è calcato pridem itinere error abduceret; & pristini ardoris oblitos

atq; pertæsos rerum inanium, commodorum, ac mollis vitæ amor revocaret. Si quis igitur cum Deo, & Aloysio æternùm regnaturo regnare cupit, caveat, cœptum iter dimittere: studeat, ultrà progredi: de semita neutram in partem discedat: nunquam retrò referat pedem. Expendemus igitur in præsenti dissertatione, quàm periculosum, perniciosúmq; sit, divinorũ consiliorum semitam vel egredi, vel in ea non progredi. Subinde nefariam eorum nequitiam non sine horrore commemorabim⁹, qui cùm in sacratissimis hisce vijs exiguos, aut potiùs nullos progressus faciant; vitæ desidis exemplo currẽtes sufflaminãt, vel, quod esset multò execrabilius, metæ proximos ad ipsos carceres retrahunt, & nonnunquam de via penitus abducunt.

44. Alia mortalibus, dum in hoc exilio commorantur, felicitas, si Davidi credim⁹, nequit obtingere, quàm si Virtutis Evangelicæ semitas ingressi, quò magis ad finẽ vita decurrit, eò accelerare, magísq; intẽ- Psal. 118. 1. dere cursum studeant. *Beati immaculati in via, qui* AMBULANT *in lege Domini.* Verùm

rum enimverò quàm felix beatúsq; is est, qui ubi semel hoc stadium intravit, eâdē contentione semper cursum capessit: tam miser est, perditúsq;, qui postquam humeros Cruci supposuit, eámq; ad summum Montis Dei verticē subvehere cœpit, paulatim ejus aut fastidium capit, aut onus deponit. Equidem, Christo teste, anima ejusmodi risum hominibus, & Angelis stomachum movet. Id certè ille apud S. Lucam expertus est, qui, cùm magnificā molem struere cœpisset, ab opere manū retraxit, & vulgi cachinnis extantia saxa, parietúmq; hiatus, & informem, ut ità dicā, ædificij Embrionē explodendum reliquit. *Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non* Luc. 14. 29. *potuerit perficere,* OMNES, *qui vident, incipiant* ILLUDERE *ei dicentes, hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Age verò, si tam salsè ridetur, qui cœptū ædificium non ad fastigium usq; educit, qui coronidem illi è secto lapide non imponit, nec ab injuria temporum tegulis, aut plūbeis laminis defendit: quantò acerbiùs ille ridebitur, quantóq; acriùs reprehendetur,

qui in ædificijs ſpiritualibus non ſolùm parietes ad tectum uſq; non promovet, ſed dolabris diruit jam eductos,& per incredibilẽ amentiam ex ipſis fundamentis lapides eruit, angularia ſaxa diſſolvit, & quaquaverſum diſpergit, quæ tantis ſumptib⁹ támq; ſedulâ induſtriâ in crudo immotóq; ſolo defoderat, atq; conſtituerat? An autem negare poſſumus, id non interdum de tot millibus, qui cœptum Perfectionis ędificium ſtrenuè urgent, uni cuipiam aptari poſſe, qui poſtquam complures annos in egregiæ Virtutis profeſſione poſuit, ſubinde ſtudia ſua damnet, opus abrumpat, & aſſurgentem ad aſtra molem ſolo æquet. Atq; hic precandi ſtudio, deſiderio dura quæq; patiendi, ſenſuum cuſtodiæ, ſolitudinis amori, patriæ, parentúmq; laudabili odio, non modò nullum incrementum, Aloyſij exemplo, addit; ſed contractis, quæ precibus dare ſolitus erat, temporũ ſpatijs; ſed mitigatâ vivendi, ſéq; caſtigãdi aſperitate, cujus ſibi copiam fieri magno nuper animo poſtulaverat, ſed patriæ, quã fugit, mentione crebrò illata; ſed de ſuo-

rum

rum comodis, incomodísq;,perinde ac de propria fortuna solicitus, id demum efficit,ut quo loco par Davidicæ Turri sexcẽtis clypeis protectę assurgere propugnaculum videbamus, illic disjectorum lapidũ acervus, atq; ipsum Religiosi Consilij fundamentũ adeò labefactatum atq; convulsum jaceat, ut ne sustinendis quidem ramalibus, ne dum repellendis tormentorũ globis, par sit, nec jam digna Deo Regia, nec aptum Pastoribus tugurium. Quo fit, ut ij, qui Teporem hominis, & spiritualium exercitationum fastidium rident, passim insultent, degeneríq; ejuscemodi animo magnis vocibus illud occinant. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.*

45. Atq; utinam solis deridentium cachinnis hæc Inconstantia plecteretur! At enim,horrendum dictu, omnia in eam Iræ Divinæ fulmina, cælestiũmq; exercituum tela vibrantur. Sanè Reparator Animarũ Christus Desertorib⁹ exercitiũ intentans. *Nemo*, inquit, *mittens manum suam ad aratrum*, & RESPICIENS RETRO *aptus est Regno Dei.* Id verò,quod in prolatis ver- *Luc. 9. 60.*

bis præcipuè animũ meum ferit, & omnẽ ſpiritum exhaurit, eſt, quòd horrendum iſtud fulmen, non in eos duntaxat incumbat, qui, relicto aratro, agri cultum laborémq; alijs tranſmittunt; verùm illos quoque opprimat, qui ſulcos pedibus, & ſtivã manibus prementes nihilominus terram proſcindere pergunt; ſi fortè, dum aratrũ manu regunt, oculos interim ad opes, quas in pauperes ſparſerunt, vel ad parẽtes, quibus valedixerunt, vel puncto temporis reflectant. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & RESPICIENS retrò, aptus eſt Regno Dei.* Non hîc de amittendæ Perfectionis, verùm de ſalutis periculo ſermo eſt, ſi fortè oculus ad patrimonium, honoréſq; quondam relictos vel curſim reſpiciat: licet vomis interim altè in terram deſcendat, ager colatur, & agricola ſudore diffluat. Exigat modò ſecum, qui præclara cœpta deſerit, & cupiditates pridem emortuas denuò ſuſcitat, an eâ, quâ vitã agit, tranquillitate vivere porrò, & certam ſibi nihilominus ſpem facere poſſit cæleſtis regni cum Apoſtolis quondam potiundi, à quo

à quo ipsius Dei se voce sentit excludi. *Nemo respiciens retrò aptus est regno Dei.* Sed hæc, inquies, in majus oratione tolluntur. Næ tu verò, qui sic disseris, aut parum, quæ dicuntur intelligis, aut temerariâ confidẽtiâ Christo calumniam impingis. Haud enim simile vero est, eum, qui Discipulorum suorum orationem formans dixit: *Sit autem sermo vester est, est; non, non.* æternã ijs felicitatem sententiâ suâ præclusurum fuisse, quos æterno diademate dignos, nec invisos Patri suo judicabat. Quam ob rem ego nativum verborum sensum planámq; Edicti sententiam secutus non sine horrore maximo eandem rursus ingemino. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Ità dico, quoniam, qui nec falli potest, nec fallere, ità dixit.

Matth. 5. 37.

46. Quod si deinde tam atrocis sententiæ, cælestiúmq; Irarum causam requiritis, quã tamẽ nec reddere Deus solet, nec petere mortales possumus; ideò tam gravib⁹ pœnis eos, qui à prima virtute deficiunt, mulctari arbitror: quòd post spiritualium

epu-

epularum delicias, quibus eos egregius pietatis ardor ſaginaverat, inertis vitæ glãdes in cibum poſtulare res digna omni ſupplicio videatur. Inſigni proinde injuriâ Numinis erga ſe liberalitatem penſat, qui ſvaviſſimis illis delicijs, Contemplationis videlicet lacti, atq; omnis honeſtatis Ambroſiæ, quibus ab eo recreatus eſt, mutatâ repentè voluntate, hordeum ac furfures, ignobilem nempe, ac cæleſtium saporum inanem vivẽdi conſvetudinem anteponit. *Gravius enim*, inquit Ennodius, *eſt* DEGUSTATA BONA, *quàm intacta*, CALCASSE. *Nihil defenſionis ſupereſt homini poſt dulcem juſtitiæ ſaporem* AD VENENA REDEUNTI. Neq; vero putãdum eſt, tam ſtolidas, ingratáſq; mentes rarò admodum inter Chriſtianos reperiri. Vereor ſiquidem, ne quando Achacij illi⁹ abominandum exemplum in ipſis quoq; conſecratis Deo domib⁹ renovetur. Et ille quidem magnam in Eccleſia defenſi cõtra Schiſmaticos Evangelij gloriam obtinuerat, jámq; in eo erat, ut è triumphali curru ſublimis captivos ante ſe ageret Hęreti-

Diction. 6. To.27.229.

reti-

reticos, quos debellaverat; Errores, quos doctè fortitérq; coram Principibus, quorũ auctoritate ſe tuebantur, profligaverat; cingeretur civibus, quos ab illorum fraude ſervaverat; ambiretur à Religionis noſtræ præcipuis Capitibus, quæ in publicis Cœtibus magno animo aſſeruerat, atq; propugnârat: cùm ecce defenſæ veritatis, & oppugnatæ Impietatis eum uſq; adeò puduit: ut perditorum hominum partes ſecutus, præclaram promeritorum meſſem perfidiæ flammis depaſtus ſit, & nobiliſſimarũ victoriarum monimenta, inſcriptóſq; columnis devictorum hoſtium titulos manifeſtà ab Eccleſia diſceſſione corruperit, & penitus aboleverit: in quem proinde idẽ S. Eñodius vehementiſſimè invehitur. *Achacius erubuit, diu propugnatorem ſe fuiſſe veritatis, & clari deſerens ornamenta certaminis, triumphum ſuum, quem ſub Baſiliſco pio ſudore meruerat, debellavit:* QUI SOLUS PRÆMIIS SUIS *penè tempore adeptionis,* INVIDIT, *ſpem bonorum fructuum* PERFIDIÆ FALCE SUCCIDENS. Anne autem homini tam vecordi non ſimillimum Ibid.

mum

mum eum dixeris, qui Modeſtiam exuat, quam ſub primos annos tanta cum laude tenuerat; qui deponat imperiũ, quod tanto cum fructu in ſua membra, pravóſq; animi mot⁹ exercuerat; qui ſolitudinem oderit tenerrimi ſensûs ac dulcium lachrimarum matrem; qui beatum illud odium finiat, quo profanos ſermones domeſticáque negotia neceſſariorum ſuorum tanta cum omniũ admiratione averſabatur; qui Paupertaté atq; Obedientiam, quarũ miniſterio univerſas tum animi, tum corporis propenſiones Deo non ſine cōmuni gratulatione omnium, qui Apoſtolicam ejus virtutem, tum in ferendis rebus aſperis, tũ in exequenda per omnia divina voluntate ſuſpiciebant, conſecrârat, per ſummam levitaté, inconſtantiámq; abominetur? Quâ ratione negabis, illũ ætatis ſuæ Achacium futurum, qui ſanctiſſimas leges, quas nuper acerrimè propugnaverat, modò violaret; qui linguam, accuratiſſimâ cuſtodiâ ſervatam frenis exſolveret, nec vereretur, ſe inſolentiùs efferre, captare plauſus, vana de quibuſvis rebus colloquia miſce-
ſce-

ſcere, paſſim in omnes cenſoriâ gravitate animadvertere, contrarias Sanctitati, quã profitetur, ſententias dicere, atq; omnis vanitatis ac levitatis ſentinã movere? Qui deniq; præclaras illas laudes, quas ab amicis & conſanguineis, quòd ad rerum humanarum contemptũ magnis vocibus eos hortaretur, retulit, im̃inuat, & penitus opprimat? Utiq; cùm eodem ambitionis Idiomate, cùm huj⁹ ſeculi filijs modò utatur, eorum incrementa miretur, parúmq; adeò abſit, ut eum pœniteat, quòd in hanc exiguitatem ſe Chriſti amore contraxerit. Equidẽ licet hoc turpitudinis genus in Ignatij Familijs planè inſolens, rariſſimúmq; ſit, nec in alios, quàm paucos illos aliquãdo cadat, qui per ſum̃um dedecus è beatæ hujus Sionis munimentis profugi, dirutã perviámque hoſtibus Jerichuntem remigrant; ne tamen id, quod accidere poteſt, accidãt, adverſus fœdum adeò, & exitialẽ lapſum omni genere Dirarum ac Devotionum nos obarmemus. Enimverò cruentis lachrimis deplorãda calamitas eſt, cùm exiſtimatio, præclaráque opinio apud omnes,

mnes, vitæ, orationísque dignitate parta penitus evilescit plebeis elevata moribus, sensuque nihil ab humano, multùm verò ab Apostolicis præceptionibus abhorrenti. De hoc quoque, quod de illo dixit, Ennodius diceret, si viveret; ejus verò verba repetunt homines mundani, turpissimam hanc metamorphosim admirantes pariter, & execrantes. *Erubuit, diu propugnatorem se fuisse veritatis; & clari deserens ornamenta certaminis, triumphum suum, quem pio sudore meruerat, debellavit.* Eo ipso nimirum tẽpore, quo Tironibus virtutis formam, ac Veteranis exemplum perfectionis absoluturus erat, mentẽ, vitámque mutavit, ac pro laudibus, quas præclara ej⁹ studia promerebantur amplissimas, publicam infamiam ob desertam, proditámque Disciplinæ Religiosæ observantiã sibi non dubitavit accersere. *Præmijs suis penè tempore adeptionis invidit, spem bonorum fructuum perfidiæ falce succidens.*

47. Illud verò mali caput est, quòd à transfugio virtutis, conceptóque frigore non sit tã facilis ad vivificas ejus auras fecun-

cundósque calores regressus, quàm pronũ est eos, qui modò sacro thure Pontificijs ignibus succenso Cælo obtexebant, ad pestiferos halitus, mephitímq; è putribus stagnis, depressísq; paludibus assurgentem transcurrere: cujus rei paucorum incuria triste nobis documentum præbet. Quippe si quando animus, postquam se in sublime sustulit, denuò ad inferiora declinat, aut nunquam, aut non nisi Divinæ potentiæ prodigio succollante in amissam sedem erigitur. *Et Opisthotonus insanabilis* habem[9] *Devt. 28.*
in Devteronomio. Hic verò morbus, quẽ *apud. LXX.*
Spiritus Divinus insanabilem testatur, vis quædam maligni humoris est, qui fontem in humeros irrevocabili conversione reflectit. Neq; solùm remedia omnia huj[9] mali pertinacia eludit, sed præsentissimâ morte, quem semel oppressit, extinguit. Ejus rei funestũ Paradigma Heli Pontifex dedit, qui simul ac retrò corruit, simul mortem oppetijt. Tam funestus exitus eos pariter manet, qui retrò se agi in virtutis studio sinunt, quíq; non modò cum Paulo ad meliorem vitam se non extendunt, sed cũ

Lothi conjuge eò, unde abierant, ſe convertunt. Plena profectò Perfectioni vitæq; ſanctiori mortuorum Cænobia forent, ſi eorum Alumni, quà ire ad ſanctitatẽ cœperant, non ire porrò pergerent. *Non putemus* QUOD ISTE SOLUS RETRORSUM CORRUENS EXPIRAVERIT: *Sed & nunc, ſi quis retrorſum corruit, neceſſe eſt, ut cadat, & ut continuò moriatur.* Ità Origenes myſticorum Divinæ Scripturæ ſenſuum intelligentiſſimus. Id quod magno ſuo malo experiẽtur omnes, qui neq; tanti Viri monitis, neq; tanti Pontificis ruinâ moventur. Quòd ſi autem aliquis ſe putat, ab eo exitio abeſſe, quòd nõ adeò depravatam ignaviâ, nec lethali adeò frigore oppreſſam mentẽ gerat, quàm futurus ille videtur, qui vocationis ſuæ ſpiritu, jamjam moriturus, deſtituitur: illum ab errore Bernardus deducit, &c, Heus tu, inquit, an omnes febres Ephimeras eſſe, nec ultra diei unius ſpatium differre mortem exiſtimas? Falleris enimverò, quippe per gradus malum creſcit, ac ſenſim ſe in in venas, atq; arterias inſinuans, ſubinde

Orig. Hom. in Lib. Reg. To. 43. 13.

in

in viſcera, in medullas, ipſámq; vitæ Regiam, Cor, inquã, incumbit, alienatámq; à ſenſibus mentem non priùs circumagere per deliramenta deſinit, quàm morte vita finiatur. Ità ſub tui Teporis initia quidquid contra leges deſignabis, id tibi ſacrilegium ingens, & ſanguine piandum facinus videbitur. Subinde graviora prioribus ſtatuta convellere minor jam pudor erit. Poſt hæc ne tum quidem, cùm Conſcientiæ rationes ſubducuntur, in memoriam redibunt, quæ ſæpe contra præſcriptum admiſeris; eúmq; mentis ſtuporẽ audacia conſequetur, & in vetitum nitendi effrenata cupiditas. Ad extremum tum te cor habere, tum omnibus potiorem eſſe credes, cùm à cõmuni Diſciplina ſupra omnes ſolutum, atq; eximium te feceris: fieríq; poteſt, ut ſi non verbis, factis certè profiteare, te nullo campani æris ſigno, quo alia ex alijs imperantur, nullo Præſidis imperio, nullo conſvetudinis cujuſquam ritu, vel interdicto, quidquam moveri. Quã Angeli pro Legum cuſtodia Vigilantis in turpiſſimã omnis licentiæ ac temeritatis Lar-
 vam

vam abeuntis cataſtrophen prævidit, prædixítque Bernardus: *Primum tibi importabile videtur aliquid: processu temporis judicabis non adeò grave; paulò pòst* ET LEVE SENTIES; *paulò pòst* NEC SENTIES, *paulò pòst etiam* DELECTABIT. *Ità paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in averſionem.* Ne ſinat Deus, ut ex duo de viginti Noſtrorũ millibus vel unus ſit, qui in tam horrendam ruinam præceps eat.

Lib. 1. de Conſid. c. 1.

48. Verumenimverò, quas Bernard⁹ modò clades ominatus eſt, eas David ſummâ Virtute Princeps non tam prædixit, quàm lachrimis ſuis, ac triſtiſſimâ experientiâ comprobavit. Et profectò Vir optimus exemplum Jobi ſecutus ſingulari curâ oculos, & linguam ſervabat, ne quando temerè quid aſpiceret, aut imprudenter proloqueretur. *Poſui*, inquiebat, *ori meo cuſtodiam*; adderéq; etiam ipſe poterat: *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Tantâ nihilominus modeſtiâ cùm eſſet Religioſiſſimus Princeps in Uriæ Solario, vidit, quod minimè viſum oportuit. Equidem non continuò, ùt vidit, exarſit: ſed tamen auſus eſt, à

Pſal. 38. 2. Iob. 31. 1.

Pa-

Palatinis ejus feminæ conditionem, cujus formam aſpexerat, exquirere. *Vidit Mulierem lavantem.* Atq; hîc titubare primùm cœpit, tum, *Requiſivit, quæ eſſet mulier:* eáq; res integerrimi Viri conſtantiam labefactavit. Ità ſemel iterúmq; perculſus miſer in geminum Barathrum tum libidinis, tum parricidij ſenſim ſine ſenſu præceps ivit. Hæc ſcilicet Animorum ex anguſta ſemita perfectionis excedentium funera ſunt. Vel tenuis eos aura circumagit, & prima quæq; procella ſubmergit. At enim, inquies, fragiles eas arundines eſſe oportere, quę vento cuilibet annuant; aut piſcatorū lintres, quos quilibet fluctus aut impleat, aut mergat. Aliam longè Gaulorum, Prætoriarúmq; Navium fortunam eſſe, quæ nullis tempeſtatibus expugnentur, ſed mole ſuâ ſtantes altè deſpiciant aſſilientium fluctuum minas: ità validarum Quercuum, robuſtarúmque Ilicum ſtipites nullâ ventorum vi commoveri. Haud equidē diffitebor, in rebus naturalibus id ità evenire, in ijs verò, quæ ad mores, atque animi virtutes ſpectant, captioſum planè, vanúmq;

2.Reg.11.12.

argumentum esse contendo. Cedò enim hominem, qui à rerum divinarum cognitione, cæterísque animi ornamentis meliùs instructus fuerit, quàm David, qui gloriari poterat, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.* Vir tamen talis ac tantus, &, ut ità dicã, totus è divinis oraculis cõpositus, & in rebus credendis ab ipsomet Numine institutus, ab uno unico aspectu dejicitur, & in altissimam voraginẽ à tribus voculis demergitur. Quam ob rem sit Nostrûm, qui, quòd in sacrorum Evangeliorum meditatione sæpe versatus sit; Sanctorũ Virorum gesta sæpissimè secum expenderit; sanctissimis consiijs aures mentémq; adhibuerit: tam firmam, tam imõtam constantiam sibi arroget, ut eam nulla Dæmonis vis, nullæ vel curiositatis, vel Teporis insidiæ commovere, aut in discrimen adducere possint. Ajo enim, tam illustria sidera, quæ rerum divinarum contemplatio purissimis radijs coronaverat, quâlibet nebulæ aut fuliginis umbrâ, quæ à sensibus ad animum transmittantur inficienda, ac penitus extinguenda esse. Quã

Psal. 50.

por-

portentosissimam cladem, monstrificámque Eclipsim amarissimis lachrimis Petrus Damiani deplorabat, queritúrque, Montes sanctissimos, Sinam, Carmelum, Thaborem, Calvarium, quos vel Deus inviserat, vel Divini Vates habitaverant, vel Christus suâ morte consecraverat, ceræ instar dissolvi, ac veluti fumum vanescere, quàm primùm in eos incidat vel tenuis scintilla, seu è vultu temerè conspecto, seu paucarum linearum pagina, quā fortè obliti Votorum, quæ toties instauravimus, seu quàm fragile sit integritatis nostrę crystallum immemores relegimus. Quódque deterius est, divinissima illa Mysteria, quæ vel Evangelistæ narrârunt, vel Sacri Vates descripserunt, memoria nostra haud satis fideliter custodit: at verò Fabulæ alicujus narratio, & Scenæ aspectus, Tyrannorum superbiam, Pastorum intemperantiam, Adulatorum fraudes humanis cordibus tam altè imprimit, ut illam effigiem nullum scalprum, licet illi vel Crucifixi clavi materiam præbuissent, eradere, aut inducere unquam valeant. *Infelix quippe* *Lib. 7. Ep. 18. Guill.*

Io. 14. 99. *Cor meum, quid Evangelica Mysteria* CENTIES *perlecta tenere non sufficit*, SEMEL *aspectæ formæ memoriam non amittit*; *& ibi vanitatis imaginem oblivio non intercipit*, UBI LEX DIVINO DESCRIPTA DIGITO NON PERMANSIT. Viden' ùt ille, qui, ut sacrorum Voluminum lectioni, rerúmque cælestium contemplationi penitus vacaret, Purpurã exuerat, Infulásque sibi detraxerat, fateatur, eas rerũ caducarũ imagines, quę per oculos ad mẽtẽ fortè pertigissent, longè firmiùs memoriæ inhæsisse, quàm Inferorũ, ac Cæli simulachra, licet quotidianâ prolixáque meditatione tum pœnarum atrocitatem, tum im̃ensitatem præmiorum repetitis toties ictibus animo infixisset. Quare ut Heli exitum, Davidis ruinam, cœpti nec perfecti ædificij dedecus, mináſque vitem⁹ aratoribus illis intentatas, qui, dum cælestium agrorum culturæ manus commodant, oculos interim ad Ægyptiorum prata reflectunt, id solùm adversus ea omnia remedium superest, ut in Virtutis studio ità decurramus, ut nec retineri nos, nec aliò

liò flecti, nec ſubíre denique faſtidium patiamur.

49. Neq; verò audiẽdi ſunt, qui, cùm per haſce Perfectionis ſemitas aut teſtudineo gradu incedant, aut etiam non rarò ab ea exorbitent, eam ſeu deſidiam, ſeu errorẽ rejicere conantur in litterarias occupationes, negotiorum molẽ, exempla non probatiſſima, ſententias, paucorum quidem eáſq; nobis inviſas, ſed temerarias tamen, atq; pernicioſas: præripit enim huic defenſioni locum Petrus Cellenſis, proponítq; hinc quidem ingentia ferri pondera, Ventorum im̃anes turbines, Maria Aquilonibus concitata, Fornaces ad Cælum uſque à barbarie Chaldæorum accenſas. Ex alia verò parte ſolidi Auri metalla, Adamantes, & duros ſilices, Trabes è Ligno Vitæ fabrefactas, Olympos, Atlantes, Montéſque nubib⁹ altiores. Secundùm hæc ignaviam mollitiémq; noſtram coarguens, totâ contentione vocis exclamat. Ardent ſanè, ardeántq; Babylonicæ fornaces, at nullum inde Auro periculum: nullus niſi ſtipulis metus. Frementis Oceani procellis

ſupereminent trabes, atq; ultrò inſultant: plūbū verò, lapidéſq; vel pacato mari mergūtur. Adamantē tundere mallei poſſunt, cōminuere nō poſsūt: ſed vitrea & cryſtallina ne primos quidē ict⁹ ferūt. Boreæ, Auſtríq; flatib⁹ impulſa Jobi dom⁹ concidet, nempe in qua ejus liberi convivia ineūt, & choreas ducūt. Verùm im̄ota Sionis Arx, ac Sinæ ſcopulus ſtabit, in quibus aut David Pſalmos decantat, aut Moyſes ediâ corpus conficit, & mentem Cælo inſerit; nec ullis unquā Ventorum furijs cedent. Petr. Cell. L. 7. Ep. 2. Jo. 27. 34. *Ecce Camin⁹*; SED NON TIMET AURUM: *Ecce Mare*; SED SUPERNATAT FOLIUM: *Ecce Malleus*; *ſed non confringitur Adamas: Ecce Ventus*; *ſed Mons Sion non commovebitur.* Quapropter neq; prava conſilia, nec improba facta Religioſorum non religiosè viventiū, nec litterarum ſtudia, vel rerum gerendarum multitudo ea ſunt, quæ ad Virtutem gradientes ſupplantant, aut manu depellunt, ſed animi noſtri debilitas, inconſtantiáq; illa demum eſt, quæ nos ab ea, quam amplexi ſumus Virtute, objectis ſeu negotijs, ſeu fal-

falsis persvasionibus avocant, atq; animos levissimam ob causam transversos agunt, atq; refringunt. Cæterùm, qui verus Dei servus est, is tonantes fulminantésq; Tyrannos, & præsentẽ mortem naufragiúmque intentantes, imotus sustinet, nec adulantium palpo, blanditiísq; à Cruce refigitur. Enimverò si alter nobis David esses, cum Ursis, atq; Leonibus depugnares, nec catellæ latratus, aut imbellis Cervi cornua expavesceres. Age verò, quos mihi in Societate Jesu malleorum ictus, quæ fornacum incendia, quos ventorum turbines repræsentabis, ut ejus Filios Ophiræum quoddam Aurum, Vitæ Lignum, Indicos Adamãtes, Judææ deniq; scopulos esse oporteat? Nempe tantum in omnibus, qui in Dei Domo versantur, virtutis studium, tanta legum omnium reverentia est, ut nemo nisi planè stolidus, planéq; perditus non ijs Prophetæ verbis uti possit: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*! Academię nostræ (quæ Dei clementia est) Paradisi terrestris instar Evangelicarum virtutum fluminibus irrigantur, nec ulli deesse fru- Psal. 83. 5.

ctus

ctus im̃ortalitatis possunt, ut vitã ab omni labe non solùm gravis peccati, (id quod absit) sed levis quoque, ac voluntarij erroris maculâ puram exigere possit.

50. Quòd si verò huic meę sententię fidem aliquis, eò quòd in ipso etiam Paradiso Evam Serpens insidijs suis circumvenerit, habendã nõ putat, hunc ego meminisse primùm jubeo, nõ deesse, qui scribãt, fatale illud Serpentem inter Evámque colloquium extra beati illius horti limites initũ fuisse, neq; hunc intra felicissimi Viridarij spatia, sed in aggere fosśáq;, quibus ab orbe reliquo im̃ensum illud latifundiũ dirimebatur, com̃oratum fuisse. Finge autem, si sic lubet, perreptâsse Serpentem inter Pomarij septa, ínq; horti ej⁹ areolis spatiantem feminam allocutum esse, num ideò eam ille aut sibilis terruit, aut morsu appetijt, aut carmine vel potentibus herbis fascinavit, ut vetiti fructûs rapinâ se consceleraret? Simul ubi allocutus Evam est Draco, simul illa à suo Conditore defecit. Ecquis verò facinus tam indignum, tã impium, tam manifestum Legum divinarũ

con-

contemptũ non modò defendere, ſed vel excuſare poſſit; quis non indignetur rudẽ fœdiſſimæ belluæ orationem graviſſimo Numinis Imperio, præſentariæ Mortis ſupplicio, æternæ præmio felicitatis, Nativæ Juſtitiæ robore, tot cæleſtibus viſis, ipsáq; Sacroſanctæ Triadis præſentiâ, quâ mulier ingratiſſima cum marito ſuo idemtidẽ recreabatur, & ad obſervationẽ legis excitabatur, plus ponderis ac momenti habuiſſe? Eſto autẽ vetitũ cibum mulieri Draco eã maximè ob cauſam perſvaſerit, quòd ea importunum monitorem audire, quàm fugere maluerit: num ideò divinam continuò amicitiam repudiare, cæleſtes favores contemnere, præmiorum ſpem, ſuppliciorum metũ, divina humanáque omnia negligere, ác flocci facere oportuit? *Accipe dicentem Evam* (verba ſunt Ambroſij) *prævaricationis ſuæ authorem fuiſſe Serpentem. Sed illum implicavit, non ſe abſolvit. Cui reſpondit Dominus: non præceperam, ne guſtaretis de ligno? Reſpondit ei Veritas & pluribus:* DIABOLUM AUDISTIS SVADENTEM NOXIA, ME NON POTUI-

Ser. 1. in Pſal. 118. To. 41. 9.

ctus im̃ortalitatis possunt, ut vitã ab omni labe non solùm gravis peccati, (id quod absit) sed levis quoque, ac voluntarij erroris maculâ puram exigere possit.

50. Quòd si verò huic meę sententię fidem aliquis, eò quòd in ipso etiam Paradiso Evam Serpens insidijs suis circumvenerit, habendã nõ putat, hunc ego meminisse primùm jubeo, nõ deesse, qui scribãt, fatale illud Serpentem inter Evámque colloquium extra beati illius horti limites initũ fuisse, neq; hunc intra felicissimi Viridarij spatia, sed in aggere fosśáq;, quibus ab orbe reliquo im̃ensum illud latifundiũ dirimebatur, com̃oratum fuisse. Finge autem, si sic lubet, perreptâsse Serpentem inter Pomarij septa, ínq; horti ej⁹ areolis spatiantem feminam allocutum esse, num ideò eam ille aut sibilis terruit, aut morsu appetijt, aut carmine vel potentibus herbis fascinavit, ut vetiti fructûs rapinâ se consceleraret? Simul ubi allocutus Evam est Draco, simul illa à suo Conditore defecit. Ecquis verò facinus tam indignum, tã impium, tam manifestum Legum divinarũ

con-

contemptũ non modò defendere, ſed vel excuſare poſſit; quis non indignetur rudẽ fœdiſſimæ belluæ orationem graviſſimo Numinis Imperio, præſentariæ Mortis ſupplicio, æternæ præmio felicitatis, Nativæ Juſtitiæ robore, tot cæleſtibus viſis, ipsáq; Sacroſanctæ Triadis præſentiâ, quâ mulier ingratiſſima cum marito ſuo idemtidẽ recreabatur, & ad obſervationẽ legis excitabatur, plus ponderis ac momenti habuiſſe? Eſto autẽ vetitũ cibum mulieri Draco eã maximè ob cauſam perſvaſerit, quòd ea importunum monitorem audire, quàm fugere maluerit: num ideò divinam continuò amicitiam repudiare, cæleſtes favores contemnere, præmiorum ſpem, ſuppliciorum metũ, divina humanáque omnia negligere, ac flocci facere oportuit? *Accipe dicentem Evam* (verba ſunt Ambroſij) *prævaricationis ſuæ authorem fuiſſe Serpentem. Sed illum implicavit, non ſe abſolvit. Cui reſpondit Dominus: non præceperam, ne guſtaretis de ligno? Reſpondit ei Veritas & pluribus:* DIABOLUM AUDISTIS SVADENTEM NOXIA, ME NON POTUI-

Ser. 1. in Pſal. 118. To. 41. 9.

TUISTIS AUDIRE VITALIA MANDANTEM. Quis te unquã ab Evangelicę Perfectionis ſtudio conat⁹ eſt avocare, niſi fortè homuncio aliquis is fuit, ejus Serpẽtis Interpres, qui noſtrûm omnium Matrem in Edenis Hortis decepit? Et hujus vocibus tu audes ſcilicet Cæli mandata, Præpoſitorum Monita, Sancti Parẽtis decreta, juratam Deo fidem, ac Votorum Religionem, tot deniq; alia nomina poſthabere, quæ te Numini, qui te in familiam ſuam per ſingularem ſummámq; clementiam adoptavit, & hinc animum tuũ ſacrarum paginarum delicijs, hinc corpus Crucifixi ſanguine paſcit, ac recreat; tot annorum ſpatio vectigalem fecerunt, penitúſq; mancipârunt. Quid? itáne ſurdus es, ut Chriſtum, à quo argueris; Beatum Legislatorem, à quo increparis; tot ſodalium egregia exempla, quæ te reprehendunt; & Aloyſium denique de Cælo monentẽ, docentémque, quantò potiora pravis tepidorum conſilijs tibi aliiſque omnibus eſſe debeant tum ipſius exempla, tũ ejus, quem Ducem nactus es, Apoſtolica

monita, tum denique Divini Numinis rerúmque omnium Conditoris imperia, non exaudias? DIABOLUM *audîstis suadentem noxia*; ME *non potuistis audire, vitalia mandantem.*

51. Siccine verò Serpentibus Christi consilia exsibilantibus negandas esse aures dixi? Immò vel Angelis cælesti luce radiantibus occludi jubet Apostolus, si quando ij verbum facerent, quod primis, sanctísque præceptionib⁹ ullâ ratione adversaretur. *Sed licet* NOS, AUT ANGELUS *de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Galat. 1. 7. Animadvertite, inquit Paulus, novella Christi plantaria, nolle me ullũ audiri, qui alias, quàm quæ divinis voluminibus consignatæ sunt, sententias dicit. Me quoq; audiri veto, nisi ad omne genus virtutis vos oratione meâ stimulavero. Quin Cherubinos; Thronos atque Dominationes detestamini, si cælestiũ illorum Spirituum aliquis à constantia, & veteri virtutis studio vos avocare imprudenti sermone contenderet. Atque hæc Pauli oratio est; verùm

ego

ego, bonâ illius veniâ, plus aliquid amplíúsque postulo. Idq; ut exigam facit Noëmus, qui, penè dixeram, ipsum Deum surdâ aure præterijt, cùm ab eo severissimæ custodiæ leges acciperet, quibus se familiámque intra præscriptos domesticæ consvetudinis limites cum cura ac fide continere jubebatur. Eam rem, si lubet, unà mecum recognoscite. Perfecto Arcæ opere, jussit Patriarcham Deus sese in eam unà cum uxore, liberis, ac cæteris suis necessitudinibus recipere, & instanti naufragio subducere. Cui imperio ut morẽ Noëmus gereret, affines sibi feminas à Viris ex se genitis divisit, & ne conjugẽ quidẽ cum conjuge pariter Arcam intrare sustinuit, quâ re perditam, & mox funditus interituram gentẽ, quæ detestabili ac per omnia capita nullo sexûs discrimine vagante libidine Cataclysmi ac deleti mundi causa extitit, haud obscurè castigabat, atque eos quoque, qui evasissent incolumes, in fu-
Genes. 7. 6. turũ erudiebat. *Et ingressus est* NOE, ET FILIJ EJUS, UXOR *ejus*, ET UXORES *filiorum ejus cum eo in Arcam propter a-*

quas

quas diluvij. Subinde, cùm depulsis nubib⁹ Cælo serenitas, suúsq; terræ viror, amœnitásq; redijsset, Gubernatorē Navis exscendere in terram Deus jussit, monitum, ut ipse cum conjuge; filiíq; cum sua quisq; uxore sese de navi demitterent, longæ navigationis ærumnas liberiori tandem aurâ temperaturi. *Locutus est autem Dominus ad* *Gen. 8. 15.* *Noë dicens: Egredere de Arca* TU ET UXOR TUA, FILIJ TUI ET UXORES FILIORUM *tuorum tecū*. Et quod ad egressum ex Arca spectabat, id planè Vir sanct⁹ exequut⁹ est, cæterùm haud putavit præscriptum in egressu modū planè servandum sibi esse. Quippe neq; comitē trahere uxorem voluit, neq; Nurus maritis suis, veluti jubere Deus videbatur, deducendas cōmittere placuit, sed eandē legem, quam, cùm Arcam intraret, secut⁹ erat, cùm ab ea exiret, servare maluit. Viros itaq; à feminis denuò sejunxit, neq; incōmodum, perturbationémq;, quam, cùm primùm Navim conscenderet, vitavit, eā, cùm appelleret, subeundam duxit. *Egressus est ergò* NOE ET FILIJ EJUS, UXOR

XOR ILLIUS, ET UXORES FILIORUM EJUS. Et, nisi fallor, ità Deum Vir sanctissimus alloquebatur, Tu quidẽ hoc mihi, meísq; solatium pro infinita tua clementia indulges, ut Nurus meæ maritis suis innixæ eorum manibus in littus deducantur. Verùm ego prima tua imperia qualicunq; meorũ solatio prępono, cúmq; sciam, hanc à te veniam pro paterno tuo in nos animo concedi, id à te supplex peto, ut per te mihi liceat, hoc munere abstinere, & prioris consvetudinis rationes nũc quoque retinere. Sic igitur, ùt in Arcam intravimus, exire quoq; certum est; Viri mecum, feminæ cum feminis privatim egredientur. Qua ex re Posteri mei documẽtũ capiant, quàm circũspectè, quàm cautè cum hominibus eos versari oporteat, cùm ego ne tum quidem Maritis Conjuges suas jungere sustinui, cùm in Orbem mortuorum cadaverib⁹ stratum pedem inferrẽt, haberéntq; præ oculis totius humani generis tristissimum funus, &, quanti virt⁹ facienda, è recentibus Iræ tuæ vestigijs, atq; impiorum excidio metiri possent. *Egressus*

est

est ergò Noë, & filij ejus, uxor illius, & uxores filiorum ejus. Exigat modò ſecū unuſquiſq; veſtrûm, audiendíne ſint homines nullius vel auctoritatis, vel nominis, qui à ſumma Religioſorum Decretorū reverentia ſodalium animos avocare conātur, cùm negligenda ipſorum quoq; Angelorum conſilia, quibus ij fortè tradita ab ipſo Galatis Neophytis præcepta impugnarent, Paulus Apoſtolus cenſeat; cúmq; Patriarcha graviſſimus Noë ne Dei quidem mandatis, quâ parte præſcriptis aliàs, uſitatíſq; vitæ rationibus, & intentiſſimo tuendæ Temperantiæ ſtudio adverſabantur, parendum judicârit. Quòd ſi neq; Deus neq; Angeli audiuntur, fierine poteſt, ut audiatur (ſi fortè tot inter Religioſiſſimos ſodales un⁹ aliquis ab ijs diverſus exiſteret) qui flores noſtros urticis opprimat, & ſilveſtris inſtar Apri Diſciplinæ Domeſticæ ſepta perrūpat, fertiliſſimas tot egregiorum conſiliorum vites vaſtet, ac divinos deniq; Hortos in pervios feris omnib⁹ campos convertat.

52. Sed enim nemo ſe votis meis ſatisfacturum credat, ſi aures occluſerit Virtu-

tis inimicis, si qui fortè se hominib⁹ nostris miscuissent, nisi contra eos linguam exserat, & orationem expromat. Parum est fidem non adhibere Fidem nostram Religionémq; infirmanti, nisi palàm, elatáq; voce prava eorum consilia refellimus; nisi Apostolico quodam tonitru perniciosas eorum sententias, fulminamus. Talem nempe Mundi Servator se præstitit, cùm à Petro, quem improvidus amor deceperat, avocaretur à Cruce, quã illi Pater Æternus, ac salutis nostræ causa imposuerat. Vix enim homo minimè malus ea verba
Matt.16.21. protulerat: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc:* cùm Christus vultu eum pariter verbísque perstringens, graviter reprehendit, rejecit, ac Luciferi contribulem, interpretémq; compellavit, ut qui Crucis, quam novæ Legis Alumni veluti Sponsam prensare debebant, horrorem ingenerare animo suo niteretur. *Qui conversus, dixit Petro: vade post me* SATANA, SCANDALUM ES MIHI. Et tamen hic idẽ Petrus in eodem Evangelicæ narrationis capite, in eadémq; Cæsareæ planitie à Chri-

Christo laudatus, & ob mentis perspicaciã beatus est dictus; quin imò Ecclesiæ, quã meditabatur, Basim illum esse jussit, ejúsq; administrationem, Clavésq; illi commisit. *Miraris differentiam nominum?* inquit Augustinus, DIFFERENTIAS ATTENDE CAUSARUM. Collaudatus, exornatus, & ad totius Orbis imperium evectus est, cùm non humano Carnis ac Sanguinis sensu, sed ad normã Virtutis ac Veritatis, quam ex ore cælestis Magistri hauserat, verba fecit. At cùm illarum ductũ deseruit, ac terrena sapere, sensuúmq; præceptionibus accomodare orationem cœpit, adeò severè castigatus est, ut à damnatis Spiritib⁹ nec crimine nec nomine separaretur. *Quare beatus? ideò beatus, quia tibi* NON CARO ET SANGUIS *revelavit*, SED PATER MEUS, *qui est in Cælis. Quare autem illud, quod horrescimus, & repetere nolum⁹? Non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Illum videte Petrum, qui tunc erat figura nostra.* Et nos scilicet voces adeò peregrinas, planéq; ignotum aurib⁹ nostris dicendi genus quieti, tacitíque fe-

Serm. 13. de verb. Dom. To. 26. 22.

remus? An ne mutire quidem audebimus, cùm à Cruce refigimur, cùm profanis ſententijs excantamur? cùm virtutum tritico beatæq; ſeminibus æternitatis Politicorū aſtuum infelix lolium inſpergitur? Quid autem cauſæ eſt, quòd Chriſtianæ demiſſionis, fervoríſq; Evangelici acerrimis hoſtibus non illud in os regeritur: *Vade*, SATANA, SCANDALUM MIHI ES? Neque verò cauſeris illū Diſciplinæ perturbatorē aliàs à te ſeu ob muneris, quod gerebat, dignitatem, ſeu ob præclara conſilia omni genere obſequij cultum fuiſſe: Equidem Chriſtum inter & Petrum hæc neceſſitudo pręceſſerat: nihilominus, cùm Apoſtolus magnanimos ſpiritus ad turpia fugæ conſilia inclinâſſet, Chriſtus quoq; ſententiam mutavit, & quem nuper ſummis laudibus exornârat, probris cumulavit; nec id injuriâ, quòd à celſiſſimis cogitationibus ad degenerem metum, ac Crucis fugiendæ conſilia ſe turpiter abjeciſſet. *Quem paulo antè laudaverat*, ET QUEM BEATUM DIXERAT, SATANAM

NAM APPELLAT. Verba ſunt Auguſtini Orationem ſuam abſolventis.

53. At enim quia vereor, ne ſatis animi roboríſq; habeant aliqui ad retundendos pravorum Svaſorum impet⁹, rejiciendóſq; deſidiæ patronos, ſupplicibus verbis Paulum Apoſtolum oro, atq; obteſtor, ut ipſe haſce bene currentium Remoras ſententiâ ſuâ fulminet. En autem fulmen, quod Gentium Magiſter intorquet, & illorum, qui ad ſanctitatem magnis paſſibus euntes injectâ manu retinent, pectori penitus infigit! *Vtinam & ABSCINDANTUR*, *Galat. 5. 7.* *qui vos perturbant.* Haud, inquit, ſatis habebo, ſi peſtifera ora vel ſaxo tundantur, vel gladio fodiantur: abſcindi, erui, funditúſq; vaſtari jubeo. *Abſcindantur.* Quâ voce, ſi Hieronymo credimus, atrociorem nec vetus nec nova Lex habet, nec dirior in impios dici ſententia poteſt. Eam tamen in importunos quoſdam monitores, qui Galatis, quos ipſe nuper ad Deum converterat, & ſcriptis ad eos litteris ad Martyrij ſitim, & tormentorum patientiã accenderat, ignavũ frigus afflabant, diſtringere mi-

nimè dubitavit. Enimverò ubi primùm ad illum ea fama pervenit, adeò comotus animo fuit, ut eos, qui constructum à se ædificium per sumam nequitiam demoliebantur, quantâ maximâ posset, Spiritûs Sancti vi percelleret, atq; prosterneret. *Certè nullam puto in veteri Lege* TAM TRUCEM, TAMQUE CRUENTAM IN ALIQUEM ESSE SENTENTIAM. DOLORE APOSTOLICO, DOLORE PATRIS SE TENERE NON POTUIT. Tanto videlicet odio, tantâ execratione persequendi ac radicit⁹ exstirpādi sunt ij, qui aliorum in virtute progressib⁹ adversantur, & pestiferò halitu prima pietatis semina corrumpunt. *Qui autem conturbat vos*, inquiebat Paulus, *portabit judiciū quicunque est ille*. Has porrò Diras, atq; ominosissimas imprecationes nemo se vitaturum credat, qui dicto factóve Religiosæ Disciplinæ studium, ardentémq; Virtutis amorem vel leviter perstringit. Fallitur profectò, qui putat, quòd virulent⁹ sibilus non continuò perniciē afferat auditori, eò quòd spiritualis ej⁹ ruina mimè videa-

Lib. 3. in Epist. ad Galat.
To. 4 3. 49.

deatur. Nimis enim impatienter eum jocũ ac cavillationem fert noviti⁹ Virtutis cultor, & è doloris ſenſu colligit, quàm acerbè ict⁹, quàm contẽptim irriſus ſit; ac tamdiu vulnus ſuũ tractando exaſperat, dum animo concidat, præclara ſtudia interrũpat, cœptum virtutis iter deſerat, Perfectorum ſe numero eximat, Mediocrium vulgo ſe ſociet, à conſtantia demum, ac perfectione vitæ transfugiũ faciat: offenſus videlicet tenuiſſimâ illâ ludibrij ſpecie, quod velut exiguum quoddã ſemẽ in miſeri hominis corde tam vaſtã crevit in arborẽ, ut Babylonicæ illius æmula, Vulturibus ac Milvis nidos præbeat, & quibuslibet feris Belluis pabulũ miniſtret. Simile quid ſcopulis ac fortiſſimarum arciũ munimentis accidere Princeps Ethicorum animadvertit. Caprifici tenue ſemẽ, exiguáq; glandis cerreæ particula, quæ fortè de paſſeris, aut turdi roſtro in duras rupes, ſilicéſq; inciderit, quemadmodũ principio nullum inter laterculorum cõmiſſuras, & ſcopuli hiatus locũ, quo hærere poſſit invenit, ità paulatim ſeſe inſinuat, mediiſq;

lapidibus inſerit, tum eos diducit atq; diſſolvit, non ſine ſpectantium admiratione, & propugnantiū metu. *Conſideremus, quàm ingentem vim agant* PARVULA ADMODUM SEMINA, *& quorū exilitas in commiſſione lapidum vix locum invenerat,* IN TANTUM CONVALESCUNT, UT INGENTIA SAXA DISTRAHANT, ET SCOPULOS RUPESQUE DISSOLVANT. Quam ſtragē exemplo multò pernicioſiore in humanis animis videre eſt: tantóq; reparari ruina difficiliùs poteſt, quò blandior, magíſque flexanima eſt oratio, & argumenta omnia ad tranquillandam mentē, ſtabiliendáſq; ſuſceptæ vitæ rationes tendere videntur. Ajunt prudentiâ opus eſſe, quæ aſperitati modum imponat, & labori menſurā præſcribat, quantum videlicet ſatis ſit, ut inter ſodales ſine nota ac probro verſeris. Subjungunt, providendū eſſe, ne pœnitere olim ſenes poſſit, quòd Præpoſitorū arbitrio ſe totos in juventute permiſerint. Illos enim eâ ſubditorū alacritate ad omnia expedita, animóq; cæco impetu, quo ire jube-

Senec. L. 1. Nat. 22. To. 29. 398.

betur,ruente,non tã uti,quàm abuti: quos ad omnẽ nutum obſequẽtes viderint, gravioribus quàm ferre poſſint,oneribus premi,ſeu quia ijs ſic lubeat, ſeu quia neceſſitatibus ſuis eâ ratione conſultum velint. Eos porrò,qui ſe cadaverum inſtar motûs, vocis, ſensúſq; omnis expertium regendos comiſerint,eo loco remanſuros,quo depoſiti fuerint, & cum Lazaro in ſepulchri tenebris velatis oculis, manibúſq; colligatis, ſi ſic illis viſum fuerit,relictum iri. Sanè ut olim Dæmon,cùm Chriſtum tentaret,ſacrarum literarũ auctoritatẽ adhibuit, ſic hodiéq; in Miniſtrorum ſuorum linguis Evangelium Verbi noſtrâ causâ carnẽ, hominémq; induti adorare ſe ſimulat, ut nos humanis affectibus penitus imbuat, animúmq; carnis, & ſanguinis, earúmq; rerũ, quas, cũ Aloyſio de paterna domo in Dei ædes olim tranſgreſſi reliquim⁹, tenaci viſco implicet. Quòd ſi alicui hæc Paradoxa videbuntur, is unà mecum Ambroſiũ auſcultet. *Vtitur & Diabol⁹ teſtimonijs Scripturarum*, NON UT DOCEAT, SED UT CIRCUMSCRIBAT, ET FALLAT.

Libr. 4. in cap. 4. Luc. To. 44. 116.

LAT. *Sæpe Satanas de* SCRIPTURIS *divinis* LAQUEUM *Fidelibus parat.* Quã ob rem, ſi Mediolanenſi Antiſtiti credim⁹, nunquã pernicioſiùs fallit Dæmon, quàm cùm ſenſuũ propenſiones ſpecie virtutis, & ſpiritualis doctrinæ fuco inaurat, atq; ad Chaldęas paleas Ægyptióſq; lateres revocat nomine honeſtatis. *Vtitur & Diabolus teſtimonijs Scripturarum. Sic Hæreticos facit,* SIC EVISCERAT FIDEM, *ſic jura pietatis infringit.* Sanè liberior, & exlex vivẽdi conſvetudo ſodales etiã non religioſiſſimos offendit. Sed enim palliata ſanctitate calliditas; ſed diſſimulatus tepor, & deſidiæ patrocinium prudentię moderationíſque nomine ſuſceptum, optimis quoq; fucum faciunt, & veluti conſtantiæ adminicula, & tranquillitatis, lætitiæq; internæ inſtrumenta ſuſpiciuntur. Hinc eſt, quòd Buccinatores iſti veluti ſacratæ Vetuſtatis Oracula, & Tropologicæ quædam Arcæ, rerúmq; futurarũ divinæ Sortes audiãtur. Non ego, exclamat Bernardus, vereor, ne vel Hæreticorum gladij, vel Ethnicorum ſagittæ Monaſterijs meis ſilẽtij quietẽ, cine-

ne-

nerē, cilicium, ſaccum excutiant. Illud vereor, ne cladem illa à domeſticis hoſtibus accipiāt, qui hos inter parietes idioma Jacobi Eſavi ore pronunciant. *Væ, non* A GLADIJS, *ſed* A LABIJS *iniquis*, *&* *à lingua doloſa.* Sic ego quoq; nullam hominib⁹ noſtris ab invidorum ſtylo, à Satyris Schiſmaticorū, ab Afrorum catenis, Haſtis Æthiopum, Saracenorum frameis, venenis Maurorum, Japonum foſſis, eorúmq; omnium, qui à Petri Sede defecerunt, laqueis, crucibúſq; perniciē metuo. Hæc enim omnia, uti horrenda dictu ſunt, ſic Ignatij Filijs egregios triūphos, ac palmas pariunt. Timeo enimverò, totíſq; artubus contremiſco, ne ſit inter nos aliquis, qui Diſciplinæ Religioſæ ſtudioſos ad ſanctitatem fortè non accendat. Os unum, quod ſulphur temerariarum opinionum vomat, ſupra omnes omnium Leonum fauces, qui Ignatium Epiſcopum diſtraxerunt, exhorreſco; majorémque illud mihi metū injicit, quàm geminis Italiæ Regnis Ætna, atque Veſuvius, cùm ſulphure ac flammis vicinos agros torrentium inſtar

Epiſt.142. ad Rom.
To. 4. 51.

ſtar inundant. Vox quælibet è nocentiſſimis illis linguis emiſſa toti alicui Domui peſtem, atq; exitium inferre, & momento temporis, ſparſo per plures Provincias veneno, eorum Operarios conficere poteſt. *Væ, non à gladijs, ſed à labijs.* Verbum unum, quo Religioſorũ hominũ Apoſtolica ſtudia perſtringuntur, Hieroſolymæ Civib⁹, ac Salomonæi Templi Miniſtris in Babylonios Satrapas comutandis ſatis eſt. Neq; verò cenſoriam Bernardi animadverſionẽ vitaverit, cuj⁹ etſi lingua taceat, ipſa tamen vivendi ratio deſidiam ſvadet. Niſi enim ſanctè quis vivat, vel ipſum ejus ſilentium peſtilentis doctrinæ in ſacris Cœnobijs ludum pandit. An verò tu putas, reverentiæ Legum, obſervantiæ erga Præſides, in Deum charitati, ſacrorum voluminum lectioni, Animarum opis egentium ſtudio, expeditionum Apoſtolicarum & ærumnarum deſiderijs, comodorum odio, paupertatis amori, parentum ac cognati ſanguinis oblivioni, primorum noſtrorum Patrum imitationi, arduo in Montem Calvarium itineri, & urgendæ ſemper, quam ſemel ari-

ripuimus, ex Ægypto, totáq; illius vicinia fugæ nihil te officere, cùm nulla in te Religiosarum sanctionum cura, nullum tui afflictandi studium, nullum profanorum negotiorum fastidium, non sacrę lectionis, non asperæ vitæ desiderium, non morum deniq; sanctitas ulla deprehendatur. Tacebant, inquit Augustinus, egregij Christi Pugiles, cùm in culeos insuerentur, ferreis superjecti cratibus ustularentur, cùm in equuleis distraherentur, laniarentur ab Ursis, flagris conciderentur à Lictorib⁹, à Militibus sagittis configerentur, in frusta demum ab im̃anib⁹ Tyrannis dissecarentur. Tacebant isti: verumenimverò eorum suspiria, lachrimæ, sanguis, vulnera, catenæ, cruces, ossa sedib⁹ suis expulsa, distenti nervi, membra confossa, corpora suspensa eloquentissimæ quædam voces, ac potentissima hortamenta erant, quibus Evangeliũ prędicabatur, demõstrabatúrq;, quàm charus mortalib⁹ is Deus esse deberet, cujus amore tolerata opprobria, triũphi sunt; nuditas, opulentia; mors denique vita est.

CHRISTUM NON JAM VOCIBUS, *Ser. 185. de Temp.*

To.43.186. SED MORIBUS CONFITENTUR, *ac dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur.* Idem & ego dicerem scilicet, si persvadere mihi possem, esse ullum inter Nos, qui non dignam tam sancto Cætu vitam ageret. Loqueretur ejus, qui Beati Aloysij vestigia deseruisset, improbitas, ac Religiosæ Disciplinæ incuria, & Legum nostrarum custodiam reprehenderet: cōmodorum amor adversus ærumnarum sitim verba faceret; neglecta Meditationis tempora semper orandi Apostolicam Legem sugillarent: contra Perfectionem denique vagi luminum errores, Linguæ licentia, Motus inconditi, Conclave contra pauperum morem instructius, victus haud satis castigatus, Carceres ac Xenodochia non adita, Moribundi non adjuti, Magnatum ædes, Palatia Principum, Regum Aulę, nullo in publicum emolumento, nullo virtutis quæstu, sed solâ sese ostentandi ambitione frequentatæ unâ simul omnia voce perorarent. Vociferantur profectò longè magìs Facta, quàm Dicta, multóque plura pejoraque persva-

ſvadet Actio, quàm Oratio; Manus, quàm Lingua.

54. At enim de Clementia Divina id mihi promittere poſſe videor, quòd in qualibet Societatis domo, & in hac potiſſimùm Academia cæterorum Collegiorũ noſtrorum omniũ Matre ac Nutrice, pulcherrima illa ſpectacula videre mihi licebit, quæ Bernardus in Cænobijs Ciſtertij, & vel maximè in celeberrimo illo Claræ-Vallis Cœtu à ſe conſpecta teſtatur. Tantâ interdum animi ægritudine opprimebatur Vir ſanctiſſimus, ut mori ſe potiùs, quàm vivere ſentiret: cùm precib⁹ vacaret, cùm pios libellos volveret, cùm pro Religione ac populorum ſalute ſtylum tractaret, non modò mentẽ à triſtitia non allevabat, verùm etiam novis cruciatibus ac morti ſimillimo tormento conficiebatur. Vix autem è Cella pedem extulerat, & in aliquẽ Venerabilium illorũ Senum aut Pſalmos concinentem, aut per atria inambulantem inciderat, cùm extemplo torporẽ ſibi excuti, & emicantibus ex eorum vultu Verecundiæ, gravitatis, Pietatiſq; radijs vete-

res ac penè sopitos animi ardores instaurari animadvertebat, successu tam felici, ut, manantibus ubertim lachrimis, in conclave suum major homine, par Angelo se reciperet, è quo nuper lapidi quàm homini, tantus erat animi stupor, ac frigus, similior prodierat. Neq; hæc de se ipso fateri contentus, addit; si fortè neminē Fratrum suorum obviàm habuisset, absentium virtutes revocare in memoriam consvevisse: vel in adjectum Domui Cæmiteriū transire solitum, cum animo suo retractâsse Angelicos eorum mores, quorū ossa è tumulis illis odorem sanctitatis aspirabant; atq; ijs rebus factum esse, ut desperationi lætitiam, frigori fervorem persentisceret successisse. At ne quis ista in majus à me aucta credat; age ipsa Bernardi verba recitemus. *Tædebat*, inquit, *& dormitabat Anima mea præ tædio, tristis penè & desperans, & mussitans secum illud Psalmi. A facie frigoris ejus quis sustinebit?* CUM SUBITO AD AFFATUM, VEL ETIAM ASPECTUM *cujuspiam spiritualis, perfectique Viri*, INTERDUM ET AD SOLAM DE-

Serm. 14. in Cant. To. 59.253.


DEFUNCTI SEU ABSENTIS MEMORIAM, *flabat ſpiritus, & fluebant aquæ: & erant mihi lachrimæ illæ panes die ac nocte.* Idem planè nobiliſſimo huic Collegio uſuvenire arbitror, atq; confido. Si quis eſt, qui ſolito pietatis ſenſu deſtitutus graviter ingemiſcit, is, ſi tot egregios Dei Servos precibus vacantes aſpexerit, in tertium uſque Cęlum unà cum Paulo mentem inferet. Si quis eſt, qui Ollas Ægypti Religioſum Manna pertæſus requirit, tot alios cõtubernales ſuos intueatur, qui lautiſſimis patrimonijs, & Dynaſtijs ultrò abjectis, tã glorioſam ſibi Crucis humilitatem ducũt, quàm ſi jura populis regali è ſolio dicerent. Si quis eſt, qui reſtinctam in ſe animarũ ſitim, ac debilitata emendandorum peccatorum ſtudia queratur; videat is copioſam eorum cohortem, qui fieri ſibi poteſtatem Oceanum emetiendi, & ad utraſq; Indias navigandi precib⁹ importunis efflagitant, haud aliam ob cauſam, quàm ut eas Gentes ad veri Numinis cultum adducant. Si quis eſt, qui Evangeliũ erubeſcit, & Chriſti opprobrium averſatur; intueatur eos, qui

magnis animis ad corrogandam pro captivis stipem in publica fora manticis in humeros conjectis prodeunt, quíq; efflictim petunt, ut sibi procedere in plateas liceat, eo ornatu, quo Christũ Herodis, ac Pharisæorum furiæ luserunt, ac dehonestârunt. Quid multa? Quisquis aut Servatoris acetum felle mistum fastidit, aut Assveri pocula concupiscit, animadvertat, quàm avidè, quàm sitienti ore amarissimum Calicẽ egentissimæ cujusq; paupertatis, & rigidissimæ abstinentiæ homines summo genere nati, ac domesticis delicijs olim innutriti hauriant, & ad ultimam ejus stillam exsorbeant. Pro se quisq; demum cum Aposto-
Galat. 6. 14. lo succlamet: *Mihi autem* ABSIT GLORIARI NISI IN CRUCE *Domini nostri Iesu Christi.* Agite, quotquot Ignatij Filij, & Aloysij Fratres estis, si quem fortè minùs, quàm par est, erga Crucis gloriam, & Religiosæ Obscuritatis decora videritis affici, eum vos in hunc modum compellate. Tuæ sanè sint primæ Academiarum nostrarum Exedræ; præcipuæ per Italiam atq; Europam universam Cathedræ tuæ sint:

ſint: Tibi ſcilicet demandentur ampliſſima quæq; Societatis noſtrę munia: inſtructiores Domus, celebriora Collegia, Urbes populo ac Nobilitate frequentiores tibi ſerventur; ego enim in Domo Dei poſtremum angulum, infimum gradum, obſcuriſſimum miniſterium ambio, ac diligo, nec ullam mei rationem habere Præſides, nec memoriam mei apud mortalium ullum extare ullam volo. Et queadmodum Aloyſio Magiſtro didici, ea, quæ ſemel propter Deum reliqui, perpetuo odio proſequi, ſic ne Superi faxint, ut in Chriſti Cruci ſuffixi oculis honorem gloriámque conſecter, aut tanquam Sapientiæ prodigium monſtrari digito cupiam, qui me Beati noſtri Indigetis, ac Patroni obſequioſiſſimum famulum, & indigniſſimum Alumnum profiteor, ejus nimirum Aloyſij, qui, ùt quondam obſcurus atq; ignobilis vivere ſtuduit, ità modò in mortalium omnium ore, & Seraphinorum admiratione vivit, æternúmq; vivet. *Abſit, abſit, gloriari* NISI IN CRUCE. Quam ſententiam mirabiliter illuſtrat S. Joannes Chry- *In Epiſt. ad Galat. To. 47. 17.*

ſoſtomus, ſimúlq; orationi meæ finem imponit. *Non dixit, ego non glorior, aut ego non volo gloriari*, SED ABSIT, *ut ego glorier: perinde*, QUASI DE RE PORTENTOSA LOQUENS, ABOMINATUS EST. Qui ad hunc modum diſſerit, quẽadmodum is Aloyſij veſtigia, quæ ille anguſtæ quidem, ſed beatæ ſemitæ Religioſæ Perfectionis impreſſit, pari ſentiendi nobilitate ac pietate conſequitur, ità poſt præſentis vitæ brevem curſum ad contuendam unà cum ipſo Dei Majeſtatem, deveniet. Quam ob rem unicuique veſtrûm, cùm ab hoc exilio liberatus fuerit in ipſo cæleſtis patriæ aditu Angelorum accinet Chorus. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei.*

Ità voveo.



EX-


EXHORTATIO XXIX.

Pridie S. Ignatij.

Os Justi meditabitur Sapientiam, & Lingua ejus loquetur judicium.
Psal. 37.

TAm Christi Apostoli, quàm alii deinceps in Ecclesia Viri Apostolici ad Magnates & Amicos LITTERAS EXARARUNT, sed divino scilicet spiritu plenas. Quare si qui Religiosorum Ordinum Alumni eorum exemplo hunc morem defendunt, scribendi pariter sanctitatem imitentur oportet. Sanè Leandri Episcopi litteræ Gregorii Pontificis Familiam ad sanctitatem erudiebant. Insigne verò sacrorum Cœnobiorum

dedecus foret, si ex iis vani rumusculi, & Politicorum Technæ perscriberentur: cùm interim Equites Romani, Ethnicique Philosophi Epistolas suas Divinorum Vatum Oraculis, & bene vivendi præceptis exornârint. Miseros planè nos, si Seculi res, humanósque casus penitiùs calleremus, quàm ij, qui eos vel mercede conscribunt, vel in Regum Aulis versantur. Subinde quales nos scriptæ litteræ depinxerint, tales nobis animos, ac mores esse Lector credet. Fama proinde nostra pendet à Litteris nostris.

55. Uicumq; verus Christi Jesu servus est, is ritè, religioséq; disserit; ij verò Religiosi Cœtus à Deo regi existimabuntur, qui loquentur de Deo. OS JUSTI *meditabitur sapientiam.* Qua in re mirum in modum Beatus noster Parens Igna-

gnatius resplenduit, cùm prorsus & ex animo de Deo, locis, temporibúsq; omnib⁹ dissereret, solitus etiam uno alteróve verbulo improborum contumaciam frangere, errantes in viam reducere, superstitionem ex impiorum animis ejicere. Quòd si ergò volumus, ut Nobis quoq;, & Societati, in qua vivimus, recitatum modò Encomium aptetur, quo Psaltes veluti diademate nobilissimo sana sanctáq; loquentes exornat, ac Justos prædicat, necesse est, ut sancti Fundatoris nostri exemplum imitati, nosmetipsos in Spiritûs Sancti Tubas, & Evangelicæ Veritatis Præcones efformemus. Si justus es, fieri nequit, ut non pariter sacræ Doctrinæ Oracula fundas. OS JUSTI *meditabitur Sapientiam*, & LINGUA EJUS LOQUETUR JUDICIUM. Quoniam verò geminam quodam̃odo linguam homines habent, quâ animorum suorum sensa exprimunt, putà LINGUAM, QUÆ VERBA PROFERT, & MANUM, QVÆ LITTERAS PINGIT, utramq; prorsus Evangelicam, Apostolicam habere quivis

ſtar inundant. Vox quælibet è nocentiſſimis illis linguis emiſſa toti alicui Domui peſtem, atq; exitium inferre, & momento temporis, ſparſo per plures Provincias veneno, eorum Operarios conficere poteſt. *Væ, non à gladijs, ſed à labijs.* Verbum unum, quo Religioſorũ hominũ Apoſtolica ſtudia perſtringuntur, Hieroſolymæ Civib⁹, ac Salomonæi Templi Miniſtris in Babylonios Satrapas comutandis ſatis eſt. Neq; verò cenſoriam Bernardi animadverſionẽ vitaverit, cuj⁹ etſi lingua taceat, ipſa tamen vivendi ratio deſidiam ſvadet. Niſi enim ſanctè quis vivat, vel ipſum ejus ſilentium peſtilentis doctrinæ in ſacris Cœnobijs ludum pandit. An verò tu putas, reverentiæ Legum, obſervantiæ erga Præſides, in Deum charitati, ſacrorum voluminum lectioni, Animarum opis egentium ſtudio, expeditionum Apoſtolicarum & ærumnarum deſiderijs, comodorum odio, paupertatis amori, parentum ac cognati ſanguinis oblivioni, primorum noſtrorum Patrum imitationi, arduo in Montem Calvarium itineri, & urgendæ ſemper, quam ſemel ari-

ri-

ripuimus, ex Ægypto, totáq; illius vicinia fugæ nihil te officere, cùm nulla in te Religiosarum sanctionum cura, nullum tui affligendi studium, nullum profanorum negotiorum fastidium, non sacrę lectionis, non asperæ vitæ desiderium, non morum deniq; sanctitas ulla deprehendatur. Tacebant, inquit Augustinus, egregij Christi Pugiles, cùm in culeos insuerentur, ferreis superjecti cratibus ustularentur, cùm in equuleis distraherentur, laniarentur ab Ursis, flagris conciderentur à Lictorib⁹, à Militibus sagittis configerentur, in frusta demum ab im̃anib⁹ Tyrannis dissecarentur. Tacebant isti: verumenimverò eorum suspiria, lachrimæ, sanguis, vulnera, catenæ, cruces, ossa sedib⁹ suis expulsa, distenti nervi, membra confossa, corpora suspensa eloquentissimæ quædam voces, ac potentissima hortamenta erant, quibus Evangeliũ prędicabatur, demõstrabatúrq;, quàm charus mortalib⁹ is Deus esse deberet, cujus amore tolerata opprobria, triũphi sunt; nuditas, opulentia; mors denique vita est.

Ser. 185. de Temp.

CHRISTUM NON JAM VOCIBUS,

To.43.186. SED MORIBUS CONFITENTUR, *ac dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur*. Idem & ego dicerem scilicet, si persvadere mihi possem, esse ullum inter Nos, qui non dignam tam sancto Cætu vitam ageret. Loqueretur ejus, qui Beati Aloysij vestigia deseruisset, improbitas, ac Religiosæ Disciplinæ incuria, & Legum nostrarum custodiam reprehenderet: cōmodorum amor adversus ærumnarum sitim verba faceret; neglecta Meditationis tempora semper orandi Apostolicam Legem sugillarent: contra Perfectionem denique vagi luminum errores, Linguæ licentia, Motus inconditi, Conclave contra pauperum morem instructius, victus haud satis castigatus, Carceres ac Xenodochia non adita, Moribundi non adjuti, Magnatum ædes, Palatia Principum, Regum Aulę, nullo in publicum emolumento, nullo virtutis quæstu, sed solâ sese ostentandi ambitione frequentatæ unâ simul omnia voce perorarent. Vociferantur profectò longè magìs Facta, quàm Dicta, multóque plura pejoraque persva-

ſvadet Actio, quàm Oratio; Manus, quàm Lingua.

54. At enim de Clementia Divina id mihi promittere poſſe videor, quòd in qualibet Societatis domo, & in hac potiſſimùm Academia cæterorum Collegiorũ noſtrorum omniũ Matre ac Nutrice, pulcherrima illa ſpectacula videre mihi licebit, quæ Bernardus in Cænobijs Ciſtertij, & vel maximè in celeberrimo illo Claræ-Vallis Cœtu à ſe conſpecta teſtatur. Tantâ interdum animi ægritudine opprimebatur Vir ſanctiſſimus, ut mori ſe potiùs, quàm vivere ſentiret: cùm precib⁹ vacaret, cùm pios libellos volveret, cùm pro Religione ac populorum ſalute ſtylum tractaret, non modò mentẽ à triſtitia non allevabat, verùm etiam novis cruciatibus ac morti ſimillimo tormento conficiebatur. Vix autem è Cella pedem extulerat, & in aliquẽ Venerabilium illorũ Senum aut Pſalmos concinentem, aut per atria inambulantem inciderat, cùm extemplo torporẽ ſibi excuti, & emicantibus ex eorum vultu Verecundiæ, gravitatis, Pietatiſq; radijs vete-

res ac penè ſopitos animi ardores inſtaurari animadvertebat, ſucceſſu tam felici, ut, manantibus ubertim lachrimis, in conclave ſuum major homine, par Angelo ſe reciperet, è quo nuper lapidi quàm homini, tantus erat animi ſtupor, ac frigus, ſimilior prodierat. Neq; hæc de ſe ipſo fateri contentus, addit; ſi fortè neminẽ Fratrum ſuorum obviàm habuiſſet, abſentium virtutes revocare in memoriam conſveviſſe: vel in adjectum Domui Cæmiteriũ tranſire ſolitum, cum animo ſuo retractâſſe Angelicos eorum mores, quorũ oſſa è tumulis illis odorem ſanctitatis aſpirabant; atq; ijs rebus factum eſſe, ut deſperationi lætitiam, frigori fervorem perſentiſceret ſucceſſiſſe. At ne quis iſta in majus à me aucta credat; age ipſa Bernardi verba recitemus. *Tædebat*, inquit, *& dormitabat Anima mea præ tædio, triſtis penè & deſperans, & muſſitans ſecum illud Pſalmi. A facie frigoris ejus quis ſuſtinebit?* CUM SUBITO AD AFFATUM, VEL ETIAM ASPECTUM *cujuſpiam ſpiritualis, perfectique Viri*, INTERDUM ET AD SOLAM DE-

Serm. 14. in Cant. To. 59.253.


DEFUNCTI SEU ABSENTIS MEMORIAM, *flabat spiritus, & fluebant aquæ: & erant mihi lachrimæ illæ panes die ac nocte.* Idem planè nobilissimo huic Collegio usuvenire arbitror, atq; confido. Si quis est, qui solito pietatis sensu destitutus graviter ingemiscit, is, si tot egregios Dei Servos precibus vacantes aspexerit, in tertium usque Cęlum unà cum Paulo mentem inferet. Si quis est, qui Ollas Ægypti Religiosum Manna pertæsus requirit, tot alios cōtubernales suos intueatur, qui lautissimis patrimonijs, & Dynastijs ultrò abjectis, tā gloriosam sibi Crucis humilitatem ducūt, quàm si jura populis regali è solio dicerent. Si quis est, qui restinctam in se animarū sitim, ac debilitata emendandorum peccatorum studia queratur; videat is copiosam eorum cohortem, qui fieri sibi potestatem Oceanum emetiendi, & ad utrasq; Indias navigandi precib⁹ importunis efflagitant, haud aliam ob causam, quàm ut eas Gentes ad veri Numinis cultum adducant. Si quis est, qui Evangeliū erubescit, & Christi opprobrium aversatur; intueatur eos, qui

magnis animis ad corrogandam pro captivis ſtipem in publica fora manticis in humeros conjectis prodeunt, quíq; efflictim petunt, ut ſibi procedere in plateas liceat, eo ornatu, quo Chriſtũ Herodis, ac Phariſæorum furiæ luſerunt, ac dehoneſtârunt. Quid multa? Quiſquis aut Servatoris acetum felle miſtum faſtidit, aut Aſſveri pocula concupiſcit, animadvertat, quàm avidè, quàm ſitienti ore amariſſimum Calicẽ egentiſſimæ cujuſq; paupertatis, & rigidiſſimæ abſtinentiæ homines ſummo genere nati, ac domeſticis delicijs olim innutriti hauriant, & ad ultimam ejus ſtillam exſorbeant. Pro ſe quiſq; demum cum Apoſto-
Galat. 6. 14. lo ſucclamet: *Mihi autem* ABSIT GLORIARI NISI IN CRUCE *Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Agite, quotquot Ignatij Filij, & Aloyſij Fratres eſtis, ſi quem fortè minùs, quàm par eſt, erga Crucis gloriam, & Religioſæ Obſcuritatis decora videritis affici, eum vos in hunc modum compellate. Tuæ ſanè ſint primæ Academiarum noſtrarum Exedræ; præcipuæ per Italiam atq; Europam univerſam Cathedræ tuæ ſint;

ſint: Tibi ſcilicet demandentur ampliſſima quæq; Societatis noſtrę munia: inſtructiores Domus, celebriora Collegia, Urbes populo ac Nobilitate frequentiores tibi ſerventur; ego enim in Domo Dei poſtremum angulum, infimum gradum, obſcuriſſimum miniſterium ambio, ac diligo, nec ullam mei rationem habere Præſides, nec memoriam mei apud mortalium ullum extare ullam volo. Et queādmodum Aloyſio Magiſtro didici, ea, quæ ſemel propter Deum reliqui, perpetuo odio proſequi, ſic ne Superi faxint, ut in Chriſti Cruci ſuffixi oculis honorem gloriámque conſecter, aut tanquam Sapientiæ prodigium monſtrari digito cupiam, qui me Beati noſtri Indigetis, ac Patroni obſequioſiſſimum famulum, & indigniſſimum Alumnum profiteor, ejus nimirum Aloyſij, qui, ùt quondam obſcurus atq; ignobilis vivere ſtuduit, itàmodò in mortalium omnium ore, & Seraphinorum admiratione vivit, æternúmq; vivet. *Abſit, abſit, gloriari* NISI IN CRUCE. Quam ſententiam mirabiliter illuſtrat S. Joannes Chry- *In Epiſt. ad Galat. To. 47. 17.*

ſoſtomus, ſimúlq; orationi meæ finem imponit. *Non dixit, ego non glorior, aut ego non volo gloriari*, SED ABSIT, *ut ego glorier: perinde*, QUASI DE RE PORTENTOSA LOQUENS, ABOMINATUS EST. Qui ad hunc modum diſſerit, quẽadmodum is Aloyſij veſtigia, quæ ille anguſtæ quidem, ſed beatæ ſemitæ Religioſæ Perfectionis impreſſit, pari ſentiendi nobilitate ac pietate conſequitur, ità poſt præſentis vitæ brevem curſum ad contuendam unà cum ipſo Dei Majeſtatem, deveniet. Quam ob rem unicuique veſtrûm, cùm ab hoc exilio liberatus fuerit in ipſo cæleſtis patriæ aditu Angelorum accinet Chorus. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei.*

Ità voveo.



EX-

EXHORTATIO XXIX.

Pridie S. Ignatij.

Os Justi meditabitur Sapientiam, & Lingua ejus loquetur judicium. *Psal. 37.*

T*Am Christi Apostoli, quàm alii deinceps in Ecclesia Viri Apostolici ad Magnates & Amicos LITTERAS EXARARUNT, sed divino scilicet spiritu plenas. Quare si qui Religiosorum Ordinum Alumni eorum exemplo hunc morem defendunt, scribendi pariter sanctitatem imitentur oportet. Sanè Leandri Episcopi litteræ Gregorii Pontificis Familiam ad sanctitatem erudiebant. Insigne verò sacrorum Cœnobiorum*

gnatius resplenduit, cùm prorsus & ex animo de Deo, locis, temporibúsq; omnib⁹ dissereret, solitus etiam uno alteróve verbulo improborum contumaciam frangere, errantes in viam reducere, superstitionem ex impiorum animis ejicere. Quòd si ergò volumus, ut Nobis quoq;, & Societati, in qua vivimus, recitatum modò Encomium aptetur, quo Psaltes veluti diademate nobilissimo sana sanctáq; loquentes exornat, ac Justos prædicat, necesse est, ut sancti Fundatoris nostri exemplum imitati, nosmetipsos in Spiritûs Sancti Tubas, & Evangelicæ Veritatis Præcones efformemus. Si justus es, fieri nequit, ut non pariter sacræ Doctrinæ Oracula fundas. OS JUSTI *meditabitur Sapientiam*, *&* LINGUA EJUS LOQUETUR JUDICIUM. Quoniam verò geminam quodammodo linguam homines habent, quâ animorum suorum sensa exprimunt, putà LINGUAM, QUÆ VERBA PROFERT, *&* MANUM, QVÆ LITTERAS PINGIT, utramq; prorsus Evangelicam, Apostolicam habere quivis

ni hominis patrimonium. Subinde intimis ab eo precibus contendit,mittere ad se hominem ne gravetur, qui nummos aliquot, à perfecto, in quod collata ea summa fuerat, opere pio residuos tolleret, quos, postquã ipse illius Conjugi necquicquam obtulisset,penes se esse nullâ esset ratione passur⁹, cupere quippe se, eo modo in lectulo suo mortem obire, quo Christus in Cruce vivere desijsset, omni videlicet aut suo, aut alieno peculio nudatum: atq; ità ille claudit Epistolam, cujus universæ tanta pietas, & Evangelicus planè character est, ut omnes quotquot eam inspeximus, aut recitari audivimus, lachrimas ex oculis ubertim profuderimus; animósq; ardentissimis desiderijs ità vivendi, eo modo scribendi, atq; ità demum moriendi senserimus inflammari. Quam ob rem in hac Allocutione primo loco demonstrabimus,non ferẽdæ ABSURDITATIS genus esse,Litteras scribere vanas, atq; profanas: subinde quantum illius erga Societatem universã MERITUM sit, qui Religiosis sanctísq; Epistolis sanctæ nostræ Matri venerationẽ

&

& colligere poteſt, & verò etiam colligit, expendemus.

56. Atq; ut à primo exordiamur, longè magìs refert, ut ſobriè, prudentérq; ſtyl⁹ tractetur, quo ſcribim⁹, quàm Lingua, quâ loquimur. Volant enim verba, nec ullum ſui veſtigium in aëre relinquunt; at verò, quæ chartæ conſignantur, extant, atq; perennant. Hinc ſcilicet ortæ ſunt tot illæ cautelæ, quas vel Præpoſitorum vigilantia ſacris Cænobijs in ſcribēdo ſervandas præſcripſit, vel errorum animadverſio peperit. Quòd enim Præſidibus exhibenda priùs charta quælibet, iiſq;, poſtquam eam evolverint, aut ſupprimendæ, aut dimittentendæ facta poteſtas eſt, quòd Litterę non priùs ad eum, cui inſcriptæ ſunt, deferuntur, quàm is, ad quē ea cura pertinet, illas diligēter recognoverit: quòd Reſpōſa minùs prudenter ſcripta vel ſcrinijs occludūtur, vel flam̄is abolentur: quòd demum ſeveriſſimo examini ſubjiciuntur Epiſtolę, priuſquam com̄eatûs ijs Teſſera com̄uni ſigillo imprimatur, ſatis oſtēdit, quàm gravis error omnis, quámque immedicabile quod-

quodlibet Calami vitium ſit. Idcirco Hieronymus rem alieniſſimam à Monachis eſſe frequens litterarum comercium judicat; abſurdum quippe videri, ut urbes omnes, ac complures Provincias Veredariorum equis percurrat, qui ut Deo famularetur, ſemet in Monaſterium abdidit, & in Cella concluſit. *Incongruum eſt* LATERE CORPORE, ET LINGUA *per totum Orbem* VAGARI. Et certè reperire aliquem eſt, qui per ſingulas hebdomades omnia Emporia, Urbes omnes, atque Oppida, in quæ Hemiſphæriū noſtrū accuratiſſimi quiq; Coſmographi deſcripſerunt, pervagetur. Neq; verò tantam calamorum noſtrorum garrulitatem abſolvit, qui gloriatur, Amorem amicitiámq; abſentium conſervari atq; augeri, ſilentio alioqui Solis inſtar nubibus obvoluti, aut extinguendam, aut certè ſterilem futurā. Negat enim id accidere Caritati S. Gregorius, qui, adſtipulante ſibi Symacho, neque veram Amicitiam, neq; Chriſtianam conjunctionem eam eſſe demonſtrat, quæ chartis eget, ut ardeat; & vocibus, ut vivat:

Epiſt. 87. To. 17. 182.

vat: quasi verò corporis instar ægrè spiritū trahentis simul ubi vocem amiserit, vitam quoq; deperdat. *Facit securitas mea, ut diligi me, etiam à tacente non ambigam. Ergò Amicitiæ nostræ fiducia* NON EX LITTERIS PENDEAT. In hunc modum nimiam Litterarum frequentiam Symach⁹ castigavit. Neq; dissentit Gregorius, ostēdítq; veram Amicitiam nullis litteratū officijs opus habere. NON QUIA LINGUA TACUIT *ardere charitas cessavit. Et Sol cùm nube tegitur, non videtur in terra, & tamen ardet in Cælo. Sic, sic occupata esse Charitas solet:* ET INTUS *vim sui ardoris exerit*, ET FORIS FLAMMAS OPERIS NON OSTENDIT.

Lib. 4. Ep. 28. To 29. 48.

Hom. 24. in Evang. To. 32. 202.

57. Ego tamen in re utcunq; periculosa moderationem potiùs, quàm severitatē adhibendàm censeo: itaq; ut cōmuni hominum mori aliquid indulgeam, non accedò illorum sententiæ, nec vestigia sequor, qui omnem istam familiarium litterarum consvetudinem abolendam judicant. Quàm multus enim in ea re Gregorius, atq; Hieronymus est, & quantam inter

ter ſacra eorum volumina partem venerabiles eorum Epiſtolæ occupant! Nemo ſanè Hieronymi Maximi Eccleſiæ Doctoris Epiſtolas eruditis ejus in novam, veterémq; legẽ animadverſionibus poſtpoſuerit: Immo illæ præ cæteris ejus voluminibus in admiratione omnium, & Religioſorum præcipuę manibus ſunt. Idẽ dicas licet de Gregorio: qui quamvìs in quolibet operum ſuorum, & Sum̃us Pontifex, & doctiſſimus Theologus, ac ubiq; Magnus occurrat, ijs tam̃en, quæ in Epiſtolis ſuis fundebat, Oraculis Apoſtolico Corpori Vaticanorum Canonũ nobiliſſimas partes addidit, & pulcherrima ejus mẽbra compegit. Scribantur igitur Litteræ, quoniam id fecerunt celeberrimi quiq; Servavatoris Apoſtoli: Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, & Judas. Vivunt hodiéq; Typis excuſa Epiſtolarum erudita Volumina, quæ Ambroſius, Auguſtinus, Fulgentius, Leo, Bernardus, Nazianzenus, Chryſoſtomus, tótq; alij Sanctiſſimi Antiſtites haud minore Litterariæ Reipublicæ admiratione, quàm utilitate Regnorum compoſuêre,

re. Verumenimverò nihil in ijs non ſacrũ, non prorſus divinum reperias, planè ut è Cælo hauſta, & Sancto dictante Spiritu conſcripta videantur. Videres illic jam ſolatium miſeris impertiri; jam torpentium deſidiam excitari; ſtrenuorũ egregia ſtudia confirmari; edoceri rudes, contumaces ac temerarios fulminari, cauſas innocentum defendi; confutari Hæreſes, à calumnijs Sacros Ordines vindicari. Ac proinde in Sanctiſſimorum Scriptorum Epiſtolis elementa omnia, omnes apices veluti totidẽ divinâ luce radiantes Stellæ Regum ac Sacerdotum ad Chriſtum in ſtabulo adorandum Duces erant. Illorum itaq; Litteris ſi litteræ noſtræ reſpondeant, omnes ac ſingulos exhortor, atq; obteſtor, ut Curſorum Hippoperas impleant, & Chriſtianis præceptionib⁹ ſtipent. Et certè Paulinæ cujuſdam Epiſtolæ ſpolium, & illuſtre trophæum Auguſtinus fuit, quem illa è libidinũ cœno extractũ è Manichæo Catholicum, & ex Hoſte Romanæ Fidei Propugnatorem ac Magiſtrum reddidit. Vix enim perdit⁹ Juvenis ſub arbore conſidens

ſidens Paulum in manus ſumpſerat, ac celebre illud ej⁹ ad Romanos ſcriptum Axioma legerat. *Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs; non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs:* Vix, inquam, hæc legerat, cùm, ingenti lachrimarum vi profuſâ, multò feliciùs ſanctiúſq; inveteratorũ ſcelerum ſcabiem abſterſit, quàm leprã Jordane Naaman Syrus eluerit. *Exclamabam* LEGENS HÆC FORIS, *& agnoſcens intus, nec volebam multiplicari terrenis bonis, devorans tempora, & devoratus temporalibus, cùm haberem in æterna ſimplicitate aliud frumentum, & vinum, & oleum.* Itaq; Auguſtini converſi decus Eccleſia non tam Eloquentiæ Ambroſij, perpetuiſq; Monicæ Matris lachrimis adſcripſit, quàm Pauli Epiſtolæ, quæ fornacis inſtar ardentiſſimæ ſordes expurgavit, vile plumbum in puriſſimum aurum, Hæreticum, impurúmq; hominem in admirabilem Theologum, & ſanctiſſimum Præſulẽ efformavit. *Excla-*

Rom. 13. 13.

Lib. 9. Confeſſ. c. 4. To. 13. 78.

mabam LEGENS *hæc foris*, *&* *agnoſcens intus.*

58. Latius ſubinde Lectionis illius manare fructus cœpit: etenim Auguſtinum tantâ efficacitate, ac pietate ſcribere docuit, ut quiſquis unam ex ejus Epiſtolis penes ſe haberet, non dubitaret, eo clypeo confiſus, cum vitijs congredi, atq; omnes ſenſuū delicias, honorúmq; illecebras provocare, ac contemptim abjicere. Quælibet Auguſtini manu exarata pagina non hortabatur modò legentes, verùm etiam cogebat, calcare Seculi Faſtum, Inſignia Magiſtratuum deponere, immenſas opes, avita prædia, Patrimoniáq; in pauperes dividere. Id certè ſibi accidiſſe S. Paulinus teſtatur. *Charitas Chriſti per* LITTERAS TUAS *viſceribus meis intimavit, quas, &* *de ſcholaſticis facultatibus affluentes, & de cœleſtibus favis dulces, ùt animæ meæ* MEDICAS ET ALTRICES *teneo. O verè* SAL TERRÆ, QUO PRÆCORDIA NOSTRA, NE POSSINT *ſeculi vaneſcere errore*, CONDIUNTUR. Atque hic ſacrarum Epiſtolarum ſtylus, hic chara-

Inter Epiſtol. S. Aug. Epiſt. 31. To. 45.133.

racter sanctis illis Scriptorib⁹ fuit. Paulus Augustinum à vitijs ad virtutem revocat, Augustinus ad Sanctitatẽ Paulinum promovet. Hunc scribendi modum si omnes nostræ Societatis Alumni tenerent, non plures Ignatius in ædibus suis Posteros numeraret, quàm animorum suorum Patres Ecclesiæ filij, vel Gratiæ renati, vel à peccati morte servati recenserent. En tibi Religiosarum litterarum argumentum! *Litteras tuas, quas de scholasticis facultatibus affluentes, & de cœlestibus favis dulces, ùt animæ meæ medicas, & altrices teneo.* Necesse proin est, ut quælibet nostra pagina vel eruditionem, vel pietatem, imò utrumq; legentib⁹ afferat: habeant ij, quos salutamus in vocibus nostris aut vitalis illius Ligni advers⁹ mortem præsidia, aut Electi frumenti, quo vitam sustentent, perpetuos comeat⁹; aut deniq; virtutẽ, quam nesciunt, addiscant. UT ANIMÆ MEDICAS, ET ALTRICES *teneo.*

59. At enim è curiositatis aut vanitatis Sectatorum numero inquiet aliquis, non omnibus in promptu esse, ut vel Apostoli-

cam Pauli dictionem, vel graviſſimas Auguſtini ſententias ſtylo ſuo conſequantur: & eruditiſſimum quidem Antiſtitem Inſularum ac Sacerdotij Dignitate clarum non potuiſſe non divino ſcribendi genere uti: illud verò Vas Electionis divinorũ Arcanorum cognitione plenum nullum rerũ humanarum tractationi locum reliquiſſe. Equidem non habeo, quod memoratorum Scriptorum juſtiſſimis laudibus opponam: quam ob rem ſi tantis exemplis terrentur aliqui, ijs ego non Gentium Doctorem, vel Rectorem Animarum, ſed Equeſtris Ordinis hominem, gladio cinctũ, loricâ, & caſſide protectũ, gratioſum Cæſaribus, & inter Conſules relatum, imitandum propono. Pammachium dico, illuſtrem ortu, divitijs affluentẽ, geſtiſq; Magiſtratibus inſignem. Is igitur Vir talis ac tantus non Parænecticas modò, verùm etiã familiares ſuas Epiſtolas tantâ pietate cõdiebat, ut Prophetarum atq; Apoſtolorũ referre Oracula videretur. SIMPLICES EPISTOLÆ TUÆ OLENT PROPHETAS, APOSTOLOS SPIRANT,

Epiſt. 26. ad Pammach. To. 17. 140.

RANT. Atq; hoc de Militis ſcripto judicium Hieronymus tulit. Cedò jam, ſi magnorum Exercituum Duces, eas, quas ſcribunt, litteras ſententijs è veteri nováq; Lege depromptis impleverunt, qualénam genus monſtri futurum arbitrabimur, ſi Viri Religioſi in Chriſti ædibus educati, ſacrorum voluminum uberibus lactati, Divinis Myſterijs imbuti, ac Præcones Divinitatis inanes pietate litteras, atq; omnis Virtutis, & Evangeliorum guſtu deſtitutas exararent. Itáne autem is, qui hoſtiũ ſanguine manus cruentat, qui Arces inimicas expugnat, qui Regnorum ſeditiones ulciſcitur, & Populos ſub jugum mittit, Evangeliſtarum tonitruis perſonat, & Prophetarum fulminibus armatur? *Epiſtolæ tuæ olent Prophetas, Apoſtolos ſpirant*: Et, qui ſuper Aras incruentam Hoſtiam immolat, qui Votis ſe Religioni auſteritatíq; vitæ addixit, qui Chriſti Cruci affixi gloriam vel in Templis vel in foris Populo prædicat, in remotas Regiones ingentes litterarũ faſces dimittat, in quibus nulla memoretur

vel Veteris Teſtamenti Hiſtoria, vel Novi ſententia.

60. Sed obliterentur ſanè, claudantúrque, ſi ità vultis, celeberrimæ nuper laudatorum Scriptorum Epiſtolæ: Non impono auditoribus meis, licet ij ſint Ignatij Filij, & Franciſci Apoſtoli Indiarum Diſcipuli, neceſſitatem, nè Laureatum quidem Capitolij Principē in ſcribendo imitandi. Deſerantur ſanè Auguſtini Epiſcopi, & Pammachij Chriſtiani veſtigia. Sed enim ab imitando homine Ethnico, Cæſareæ Aulæ Moderatore, cultoréq; vanorū Numinum abſolvere neminem queo. Hic igitur falli magnopere Lucilium ſuum ait, ſi è litteris, quas ipſi ſtatis temporib⁹ Tabellarij allaturi eſſent, intellecturū ſe ſperaret, quis anni tenor, quāta vindemiæ ſpes, quæ ſpectacula, quanto concurſu populi edita, quæ cum hoſtibus prælia cōmiſſa eſſent. Otioſorum, inquit Seneca, & vecordiū animorum hæc argumenta ſunt. Abrumpamus igitur hanc mutuæ ſcriptionis conſvetudinem oportet, aut id ſolùm à litteris meis require, quod ad édomandas animi

cupi-

cupiditates, & corroborandam virtutem valiturum ipſe credidero. Sed ex ipſo Philoſophi ore, quantam in ſcribendo gravitatem profiteatur, audiamus. *Putas me tibi ſcripturum, quàm humanè nobiſcũ* HYEMS EGERIT, *quæ & remiſſa fuit & brevis: quàm malignum* VER SIT; *quàm præpoſterum* FRIGUS, *&* ALIAS INEPTIAS *verba quærentiũ. Ego verò aliquid,* QUOD ET MIHI ET TIBI PRODESSE POSSIT, *ſcribam. Quid autem id erit, niſi ut te exhorter ad bonam Mentem?* Quos autem animos Superſtitio ſumeret, ſi è paginis ſuis plus utilitatis, quàm ex eorũ, qui vivum ac verum Numen adorant, atq; adeò Noſtris etiam Epiſtolis, emolumenti ac fructûs percipi gloriari poſſet: ſi jactare non ex vano poſſet, nullam in Philoſophis ſuis ſyllabam extare; quâ vitia non apertè coarguantur; morum licentia non caſtigetur; choreæ non proſcribantur; non ſolo theatra æquentur; quæ non Sacerdotibus ijs convicium faciant, qui licet Philoſophiam profiteãntur auſteriorem ſacratiorémq;, in deſcribendo veſtium luxu, pin-

Epiſt. 23 To. 29. 165.

gendis spectaculis, amplificando fastu, profanorum hominum ineptijs, & insanè tumentiū præstigijs interpretandis stylum occupant? Nihil sit in Seneca, quod legẽtes non erudiat, atq; emendet: universæ verò paginæ nostræ nullam vel utilitatem, vel etiam detrimentum afferant? *Ego verò quod & mihi & tibi prodesse possit*, SCRIBAM. Ab alijs omnibus præterquam à me quantus fuerit brumæ rigor, & utrùm ad vernum quoq; tempus pertinuerit; nū & aruerint arbores, vites turgeant, spicæ culmos impleant: aliáq; id genus, levium ingeniorum, & otiosarum mentium argumenta requiras oportet. Inter nos verò litteræ com̃eabunt, quas Philosophia cō-posuerit, ardens Virtutis studium inflam̃ârit, proximéq; Superis cogitationum altitudo admoverit. *Quod tibi & mihi prodesse possit.*

61. Jam verò si hominibus Ethnicis indigna res visa est, de rebus minimè malis, uti sunt tempestatū vicissitudo atq; varietas, agrorū armentorúmq; sterilitas, aliáq; effecta Naturæ, amicum certiorem redde-

re:

re: quis feret Homines Christianos, imò Religiosos Apostolicũ vivendi genus amplexos non ea solùm, quæ ad comunis vitæ necessitates pertinent, otiosè pertractare; verùm etiam eos rerũ eventus, & humanos casus perscribere, qui, cùm secũdi fuerint, nos à Cruce refigunt; si adversi, in crucẽ mittunt. Quot quantásq; in animis nostris tempestates excitant, quantísq; nubibus mentẽ obducunt, atq; omnẽ tum tranquillitatẽ, tum Cæli aspectũ eripiunt paginæ profanis rumorib⁹ oppletæ, & è secularibus nugis consarcinatæ? Compluriũ, imò fallor, aliquorũ, eorúmq; paucissimorũ Litteræ velut in scrutario foro exponunt, quidquid inter homines rerum agitur. Neq; facilè dixerim, uter turpiùs peccet, is, qui ab Amicis, ac necessarijs, quid domi geratur, exquirit, an qui se ijs Historicũ præbet, passímq; vera, falsa, dubia cõgerit, omnésq; quisquilias, quas vel in Principum atrijs Palatinorum turba projecit, vel in officinis sellulariorum vulg⁹ contrivit, corradit, atq; converrit. Synesium Episcopum audiamus planè, gravitérq; Fra-

tri suo edicentẽ, ne, quid omninò in Patria, in parentum ædibus, & in Curia geratur, ad se perscribat; nolle se certiorẽ fieri, quæ conjugia inter Cives inita, quæ causæ in Tribunalibus agitatæ; quæ pugnæ inter factiones cõmissæ; vetare quin etiam nequãdo sibi negotium facessat, aut ullũ eorum suæ curæ cõmendet, qui liti finẽ imponere gestiat, & votorum suorum metã contingere, optatósq; Magistratus obtinere concupiscat. *At tu* NE SCRIBITO QUIDEM AD ME DE ULLA RE, *quæ illic geritur, nec lites habentes commendato.* Exponens subinde sagacissimus Antistes hujus sui consilij justissimã causam; equidem, inquit, nemo inter mortales me infelicior, atq; miserior viveret, si, cùm necessariorum meorum convivijs, venationibus, piscationibus, choreis, ludis, ac cæteris ejusmodi oblectamentis frui mihi non liceat, ego interim paterna è domo, patriáq; omni Exul mentẽ vanis imaginibus, inanibúsq; umbris implerẽ, quæ utì reb⁹ vacuæ, ità præstigijs gravidæ animum quidẽ recreare veris delicijs nequeúnt, sed affligere

Epist. 50. Fratri. To. 5. 44.

per-

perturbaréq; earum rerum memoriâ possunt, quas, ut divino me manciparem obsequio, & Veteris Novæq; Legis meditationi totum impenderem, jã olim reliqui. Quòd si ergò eorum, quos mihi per litteras tuas comẽdâsti, vel tuendas causas susciperem, vel ambitionem foverem, alienæ videlicet cupiditati nullo meo quæstu subservirem, & animi tranquillitatem, quã ex hac vitę frugalitate percipio, quæq; in dies mentem meã ad rerum superarum cognitionẽ aptiorem reddit, utrinq; infelix deperderẽ. Si quis verò est, qui putet, profana illa litterarũ argumenta severius à me quàm à Synesio proscribi, is ipsũ indignantẽ fremẽtémq; auscultet. *At tu ne scribito quidẽ de ulla re, quæ illic geritur. Infelicissimus sanè essem,* SI PATRIÆ, *quæ mihi longè charissima est*, COMMODITATIBUS CAREREM, *controversiarum verò* AC NEGOTIORUM PARTICEPS ESSEM, QUÆ ME AB OTIO PHILOSOPHIÆ REVOCARENT; *& cùm paupertatem tanquam ingens lucrum adamârim, alienis commodis gratis servirem.* Ibid.
Quæ

Quæ profectò ſumi Viri argumenta tanta ſunt, adeóq; manifeſta, ut in ruborẽ dare meritò poſſint eos, qui à conſanguineis, ac gentilibus ſuis edoceri de ipſorum rebus petunt. Quid ſi non ſolo ac ſimplici nugarum ejuſmodi deſiderio contenti, nihil intentatũ relinquerent, ut voti ſui damnarẽtur, & ultrò perſcriptis ad eos fabulis, alias ab ijſdem, anticipatâ ſolutione, nundinarentur? Atqui negari non poteſt, in noſtris quoq; Collegijs infelices interdum aliquos, & à tot alijs Societatis Alumnis, quorũ in ſcribendo ſuma prudentia eſt, planè diverſos collybiſticis menſis palàm quodamodo propoſitis verſurã facere, nũmóſq; viliſſimos Regũ quidem imaginem præferentes, ſed adulteratos annumerare, & quos avidè rumores arripiunt, per ſummã imprudentiam ſpargere. Quam ſordidiſſimi Quæſtûs Menſam Pontificio Pedo ſubruit Sidonius Apollinaris Rector Populorum, & inter Cæli Cives relatus.

62. Is igitur conſiderare Clericos ſuos jubebat, quàm fœdum abſurdúmq; ſit, è Levita Tabellarium fieri, Pſalmíſq; ſuſurros

ros Famæ conjungere. Quâcunq; inquit, ratione rerum novarum Nuncij, atq; Præcones existetis, alterutro crimine teneamini necesse est, impudentis nimirũ, si falsa narrabitis, ignorantiæ; vel si perstringere Principum virorum facta, & in Regum Aulas involare calamus ausit, inconsideratissimæ, ac dementissimæ temeritatis. Prȩteritarũ rerum rancida putidáq; narratio est, præsentium incerta, illi maximè, qui vel Psalmodiæ vacat, vel Sacrificijs Minister assistit. Restat igitur, ut vel somnia sapientum risu explodenda describamus, vel arcana pandamus, potentum furori, invidorúmq; insidijs objiciendi. Tutius igitur, convenientiúsq; Servatoris Discipulis fuerit, ea argumenta versare, quȩ pietatem redoleant, dissimulare verò, silentióq; transmittere, quod ignorâsse præstabat. *Per homines* CLERICALIS OFFICII *temerariè nostra, jactanter aliena, præterita infructuosè*, PRÆSENTIA SEMIPLENE, TURPITER FALSA, PERICULOSE VERA DICUNTUR. *Est enim hujusmodi thema, in quo bonorum si facias mentio-* Lib. 4. Ep. 22. Leoni. 10. 99. 47.

tionem, modica gratia paratur: si notabilium, maxima offensa. Hactenus divinè prorsus Sidonius Apollinaris. Nempe, qui Religiosas Epistolas profanis narrationib⁹ inquinat, tametsi id cautè agat, tametsi vera referat; non modò nullam laudem meretur; verùm etiã plurimis, iisq; acerbissimis criminationibus, gravissimísq; damnis se miser ille scriptor exponit, si quando in emẽdicatis notitijs vel hallucinari, vel argutari videatur. Et tamen in hac quantacunque tum cõmunis Boni, tum Nominis nostri jacturâ minùs fortè illa invidia, quâ Societatem onerant, qui aliena dedecora per sũmam injuriam, ac nefariam proditionẽ divulgant, animum meum movet, quàm joci ac ludificationes illæ, quibus passim in foro, in Principum Aulis, à Politicis, à Palatinis, ab ijs deniq;, qui rei gestæ seriẽ penitùs nôrunt, ridemur, atq; traducimur. Frontẽ exasperant, si quando veluti recentia facta narrámus, quę pridem in trivijs, & remigum transtris decantata fuerunt. *Præterita infructuose.* Complodunt subinde manus, pedibúsq; terram tundunt, cùm non-

nonnulla gravium negotiorum cognitione tincti, arcana, tenebrísq; obsepta consilia rimari aggredimur; orationémq; formamus omnib⁹ Poëtarum Centauris deformiorem, in qua scilicet pauca vera innumeris mendacijs permiscemus, & prodigialiter confundimus. *Præsentia* SEMIPLENE. Nec minor vera divinãtis, quàm falsa somniantis infelicitas est: satis enim supplicij inania somnia ferunt, cùm ridentur: at verò si tenebris, silentióq; premenda in apertum proferas, quantò ea veriora sunt, tantò gravioribus odijs, atrocioríque vindictæ fomitem ministrabis notari se infamaríque impotenter ferentium. *Turpiter falsa*, PERICULOSE *vera dicuntur*. Quid multis? Nemo retegi consilia sua, quæ celabat, aut gesta prostitui, palámque coargui, nisi cum gravissimo animi sui sensu sustinet. *Si notabilium, maxima offensa*. Subinde Sidonius ne illos quidem culpâ vacare ait, qui stylum à profanis profanorum hominum rebus abductum, Religiosorum parietum familiariúmque notitiarum limitibus circumscribunt. Sive enim

no-

nostra,sive aliena laudemus,vix unquã vel arrogantiæ, vel invidiæ notam effugere licebit, utpote qui nostra magnificè, aliena jejunè retulerimus. *Temerariè nostra,jactãter aliena.* His Syrtibus,huic Scyllæ,in qua plerumque amicitia,famáque naufragium faciunt,infamis alia Charybdis antecedit, in quam incidunt, qui mortuorum pacem perturbant, & in vitã revocant eos, quos pridem placidâ quiete Urna composuit. *Præterita infructuosè.* Utinam verò utilitate solùm,ac fructu carerent monstrosa hęc Prosopopæiarum,atque Anastasum genera, nec insuper extremã perniciẽ afferrent ejus famæ,qui anteactæ vitæ pœnitens nõminis im̃ortalitatem erat consecutur⁹. Exactorum temporum errores, & emendata pridem vitia ad Censurã revocantur: eruuntúrque ex altissimæ oblivionis tenebris maculæ veteres atque nævi, quos pridem virt⁹ emendavit, & præclara facinora purpurâ texerunt, atque auro exornârunt. Quisquis verò in hunc modum sepulchra movet, non is Angeli Tubâ cadaverib⁹ vitã inspirat, sed ferale cornu cum Lucifero in-

inflat, cujus ſonus etiam vivos exanimat. Quid eſt igitur, quòd paginas noſtras non ſacrorum Vatum ſententijs, non Apoſtolorum exemplis, nõ ſacrarum Expeditionũ trophæis, non Gentiũ ad Chriſtianã Fidẽ converſarũ triumphis locupletamus? Agite, Mundum Mundo aliquando relinquamus, & quod nunquam ſatis denovimus, nunquam in paginis noſtris perſcribamus, niſi vel odijs, vel contemptui patêre volumus. PRÆSENTIA SEMIPLENE, TURPITER FALSA.

63. Audio exporrectâ fronte jactantẽ, nihil à ſe, quod non penitus exploratũ habeat, ſcribi. Enimverò iſtud altius animo meo vulnus imprimit, quàm illa, quã modò damnavimus, Litterarum, Rumorúmque nundinatio. Túne igitur, quem divina Clementia Seculo exemptũ Apoſtolorũ Succeſſoribus ſociavit, exploratum habeas, quæ in Principum Aulis agitentur conſilia, in Cœtibus ſententiæ ferantur, quid rerum geratur in foro: & majorem iſtarũ rerum, certiorémq; cognitionem jactes, quàm habeant mercenarij Ephemeridum

Scriptores? Quàm turpis autem, & absurda hæc gloriatio sit, equidem haud puto, posse me luculentiùs sub aspectũ ponere, quàm si ridiculum certamen, quod inter Philippũ Macedonum Regem, & peritissimum ejus ætatis Citharædum comissum legimus, repræsentavero. Post subactas opulentissimas Regiones, post cruenta pręlia, & victorias de hostibus reportatas, post Regna paterno imperio adjuncta, Philippum cupido incessit novum ab Arte Musica triumphũ capiendi; & celeberrimo ejus ætatis Fidicini palmã præripiendi. Tam humilem potentissimi Regis ambitionem ineptámque cupiditatem deridens Citharædus, audactérq;, Te verò Rex, inquit, quotquot Cælo imortalia Numina degũt, prohibeant, ut fides me peritiùs tangas, moduleríſq; feliciùs: nimis profectò miser fores, si in hoc canendi certamine me fores superior. Tuum est, Urbes expugnare, meæ verò partes sunt plectro lyram pulsare, ac digitis fides solicitare. Sed Plutarchus audiatur, apud quẽ Choraulæ vox extat lepidè simul acritérq; improbũ Re-

gis

gis votum caſtigantis. Philoſophus igitur de Philippo diſſerens: *Diſceptante eo*, inquit, *cum quodam Fidicine de pulſandarum fidium ratione, cùm ſibi probè hominem refellere videretur, renidens ille:* DII MELIUS, *ô Rex ait.* NEC USQ; ADEO MISER SIS, UT HÆC ME MELIUS SCIAS. Hęc eadem ex me audiat, oportet, qui rerum civilium, humanorúmq; eventuū apud nos peritiam jactat. Prô quantùm ille à ſe, vitæq; ſuæ dignitate alienus exiſteret, qui Principum Adminiſtros, & Ephemeridū Scriptores in detegendis conſilijs, & rebus narrandis ſuperaret! Nam quid aliud expectet ille, quàm ut ex infimis ſubſellijs Librariolus aliquis exſurgat, ipsíq; ſpumanti ore palàm vecordiam ſuam exprobret: tu verò cultui divino conſecrate Sacerdos, qui omnipotenti Deo Chriſti Sanguinem libas, qui de Religione Quæſtiones vel è ſuggeſtu ad concionem, vel Scholaſticorū turbæ è Cathedra exponis; qui ſacras Litteras quotidianâ, prolixáq; comentatione contemplaris; qui ut Crucis ſigna ſequerêre Babyloni nuncium remiſiſti; qui la-

Lib. de Fortu... Alex. To. 110. 132.

neâ veſte tuam erga Divinum Agnum reverentiã teſtaris; qui humanę glorię cupidos inſanire dicis, ac furere, næ tu, inquam, laudem egregiam referes, ſi nobiſcum, qui vulgi rumores in cōmentarios referimus, quóſq; olim exilium expectat, aut remus, in certamen deſcenderis? DII MELIUS, *Nec uſq, adeò* MISER SIS, *ut hæc me meliùs ſcias.* Hoc demum præmium, hanc denique palmam reͤferunt, qui in hoc lubrico ac ſalebroſo ſtudio narrationum ſeu fabuloſarum, ſeu odioſarum tanto cum periculo perpetuas inimicitias ſuſcipiendi, & irreparabili bonarum horarum jacturâ decurrunt. Falſa ſcribes? mendacis apud omnes probrum incurres. Vera nunciabis? &eos, quos deſcripſiſti, hoſtes habebis, & optimos quoſq; offendes. Quis enim ferre poſſit Religioſum ſtylum ſacris illuſtrandis Voluminibus conſecratum, in eo potiſſimùm occupari, ut abſentium curioſitati malarum artium Labyrinthos, ambitionis ſtratagemata, Decipula Livoris, voluptatis effrenatam licentiam, Competitorum furores, interminatas Avaritiæ metas

ex-

expingat, atq; ob oculos ponat? Et profectò qui res tã incertas, tã à se alienas è sacris Cænobijs perscribit, fœdã ille nimis, tum suo, tum nostro vultui maculã inurit, & Servatoris Tunicam turpissimè cōmaculat. Quis in Sacrorum Ministris probabit, quod vix Amanuensibus licet, ac istis sæpe cōpedes injecit? Audin' Augustinum clamantẽ: *Quis hæc audiat? quis ferat? Quæ si vera essent, non solùm* TACERENTUR PRUDENTIUS, *verùm etiam (ut quomodo valeo, dicã quod volo)* DOCTIUS NESCIRENTUR. Lib. 12. de Civit. Dei. To. 37. 44.

64. Prô Deus im̃ortalis! quàm consũmata sapientia est, res istas penitus ignorare! Neq; verò sit inter Ignatij Filios ullus, qui vanitati suæ, imprudentiæq; eã velit rationem obtendere, quòd ab hoc nostro vitæ genere minimè alienum videatur, nuncios ejusmodi, vel mittere vel recipere. Nempe cùm medijs in Urbibus, in ipsa populi frequentia, & publicis muneribus conspicui vitã agitemus, non in silvis degentes sedeamus in cinere, severáq; silẽtia colamus. Quare si ne prima quidẽ ele-

menta earum rerum, quæ inter homines geruntur, noſceremus, homines quidā nullo humanitatis ſale aſperſi, & novi in Urbibus Anachoretæ videremur. Sibilo videlicet, & convitio nos exploderent, rogitātes ecquid demum tanti populorum Magiſtri ſciamus, cùm lippis atq; tonſoribus nota neſciam⁹? Hos tu verò Tartarei ſerpentis ſibilos cōprimes eo modo, quo ebriorum Convivarum fauces ignorantiā Muſices ſibi objicientium Themiſtocles eliſit. Beatos verò nos, qui ejus rei Auctorem ac teſtem Auguſtinum habem⁹. Itaq; cùm à fortiſſimo Viro peteretur, quid igitur nôſſet, qui citharâ ludere neſciret? reſpondit equidem profeſſionē ſuam non eſſe fides temperare, imò ludicræ otioſæq; artis ejuſmodi nę nomē quidē ſe tenere; ſed parvę Reipublicę fines amplificare, atque hoſtib⁹ metuendā efficere, inimicos Exercitus profligare, claſſes demergere, propugnacula disjicere, Barbarorum incurſus arcere, Athenienſium nomē toto Orbe proferre, id ſe didiciſſe, id nôſſe. *Quid igitur nôſti? Reſpondit*: REMPUBLICAM EX PAR-

Epiſt. 56. Dio c. To.45.162.

PARVA MAGNAM FACERE. In hunc modum, quiſquis Religioſi Viri nomine dignus eſt, otioſis hominib⁹ fabulas, vulgíque rumores à ſe petentibus reſpondeat, oportet. Nihil equidem de nugis veſtris intelligo, magíſq; beatâ iſtâ ignorantiâ glorior, quàm celebres olim Græcorum Academiæ ſuã illã Encyclopædiam jactaverint. *Ille autem* (proſequitur Auguſtin⁹) *quiſquis abs te quæſierit, quæ tu à nobis quæris, audiat*, QUOD EA DOCTIUS ET PRUDENTIUS NESCIAS. Civilium turbarum, politicarúmq; artium ruditatẽ objicienti audacter repone. *Nôſſe te*, QUOD ETIAM SINE ISTIS, HOMO ESSE POSSIT BEATUS. In veræ gloriæ parte, cæcitatem eã à te duci, quæ fallacis Mundi præſtigias te videre nõ ſinat: quòd non niſi ad cernenda Evangelicæ vitæ decora oculos habeas: eã ob cauſam montes valléſq; luſtrare, ut paganos homines præcipua Chriſtianæ Religionis capita edoceas; aſſidere pro ſacro Tribunali in Templo, ut comiſſa ſua fatentibus lachrimas abſtergas, veniã impertias; ad-

esse Reis ad capitale supplicium damnatis, ut forti animo in mortem vadant, & laqueum in diadema, infamem trabem in Regale solium sibi vertant: id agere, ut maximis quibusque persvadeas, verã magnitudinem ac felicitatem non è dignitatis fastigio, Purpuræ, ac Magistratuum amplitudine, sed ab animi modestia demissionéque metiendam esse: denique veluti vile sabulum, ac sordidum cænum à te calcari Cręsorum gem̃as, ac Cęsarum trophæa: unámq; Servatoris Crucem triumphalem tibi currum, Thronum Regium, æternique imperij securissimum pign⁹ esse. Quòd si verò est quispiã, qui tã altos antehac spiritus non gessit, nimiúmque se lutulentis Chaldææ fluvijs, profanis sermonibus, im̃odici luxûs admiratione contaminandum im̃ersit, is inde quantocyus pedem referat, & in Jordanis ripas evadat illud cum Paulino ingeminans: Satis datum litteris otiosis; seculi crepundijs, atque officijs pl⁹ quàm satis: Eà sequor, quà Christus, quem unum ad extremam usque vitę metam Ducem eligo, nudis pedib⁹ vestigia

gia sua impressit. *Sapientiam mundi miser*, HUCUSQUE MIRATUS SUM, *& per inutiles litteras, reprobatámque prudentiam Deo stultus, & mutus fui.* Inter Epist. Aug. 31. To. 4. 5. 1 33.

65. Pari doloris acerbitate illorum infelicitatem queror, qui tametsi litteras suas profanarum rerum narrationibus fortè nō inquinent, eas tamen argutiarum levitate pueriliter illinunt, atque contaminant. Nimium enimverò dissident inter se vitæ nostræ austeritas, & lepôrum, atque acuminum non satis sobria hilaritas. Venit hîc mihi in mentem laudati nuper Sidonij justissima querimonia. Haud dubitavit Antistes Sanctissimus atque gravissim⁹, Monstrum absurdissimum, & quendam morum Solœcismum appellare, si quando Vir Religiosus Evangelicum Jugum collo trahens, Baptistæ Zonâ renes adstringens, humeros flagris concisos ostentans, multarum horarum silentio labra obsignans, genibus meditandi assiduitate in callum obduratis, fronte contentione studiorum attritâ, sensibus omnibus perpetuâ tot legum severitate velut in equuleo tortis, in

litteris ſubdinde laſciviat, phraſibúſque Poëtas magìs, quàm Prophetas, Parnaſſi potiùs quàm Golgothæ montem referentibus exultet atq; tripudiet. *Porrò autem* QUIDAM BARBARISMUS EST MORUM, SERMO JUCUNDUS, ET ANIMUS AFFLICTUS. *Quo circa ſolvere* MODO *litteras paulò politiores*, AUT INTEMPESTIVE PETOR, AUT IMPUDENTER AGGREDIOR: QUAS *vel joco lepidas, vel ſtylo cultas* ALTERNARE FELICIUM EST. Neque parum incrementi dolor meus capit; cùm ipſum ſcribendi temp⁹ perpendo. Equidem ùt plurimum Litteræ Tabellarijs Sabbatho traduntur, eo videlicet die, quẽ Chriſti ſepulturæ dedicavit Eccleſia, nóſque jejunio, aliiſq; voluntarijs pœnis conſecrare ſolemus. Accidit nihilominus, ut tantæ pietatis holocauſtum nonnemo intervertat, qui vel temerè Fabulis atq; rumorib⁹ Epiſtolas implet, vel mimicis jocis aſpergit. Itáne verò (lubet enim exclamare) ſimul vulnera corpori, ſimul maculas folijs imprimimus? *Barbariſmus eſt morum, ſer-*

Lib. 9. Epiſt. 3. Fauſt. To. 99. 95.

ſermo jucundus, & animus afflictus. Minùs ſanè ſint ſevera jejunia, dum caſtigatiores pauciorésq; ſint litteræ. Mitiùs in corpora ñoſtra ſæviamus, dum ſcribendi forma magìs pia ſit, religioſiórq; character. Miſerum te, ſi diversâ ratione ſcribis, litteráſq; à vitę tuæ rationib⁹ plurimùm abhorrentes perferendas cōmittis! Et me quoq; infelicem, ſiquidem per triginta, & quod excurrit, años minùs cautè, quàm Chriſtianum deceat, litterarum cōmercium cum Viro in Societatē amore magìs, quàm beneficijs claro produxerim. Præſidum imperio ſæpius per mensē illi reſpondere coactus fui: cúmq; hanc litterarum conſvetudinem ab eo tempore, quo Philoſophos audire cœperam, contraxiſſem, eã ſubinde uſq; ad funeſtum illum pleræq; Italiæ annum & peſtilentiâ infamē tenui. Evenit deinceps, ut tantum litterarum volumen poſt Gentilis illius mei mortem ad Hæredem deveniret, qui Romæ domicilio collocato, multis eas inſpiciendas offert, nemini negat. Jam verò quanti ruboris mihi cauſa fuiſſem, ſi ſemel, iterúmq; in litteris, quas

tot

tot añorum ſpatio continuato officio ſcripſeram, ad politicam aliquam novitatẽ, vel ſcenicas argutias deflexiſſem? At enim placuit Deo, tam fœdâ maculâ me ab eo uſq; tempore intactum ſervare. Nunquã profectò auſus ſum noſtrorum aliquẽ de pœna cuipiam è Noſtris irrogata certiorem facere: neque cum alijs civile negotium, aut ſeculi res cõmunicare. Non veto quidem aliquod abſentibus ſolatium impertiri, perſcribíq; ad eos Ottomannorum Exercituum fugam, Catholicorum fortitudinem, Purpuratorum Præſulum electionem, Pontificiæ Aulæ Apoſtolicas Sanctiones, eáq; omnia, quę populorum bono, & capiendo virtutis exemplo idonea vel nobis vel illis acciderunt. Et ô nos felices, ſi curioſitatem noſtram argumenta tam ſancta conſecrarent! Enimverò mirum in modum veneratio erga Ordinem noſtrum creſceret apud omnes, ſi omnes piè ſanctéq; ſcriberemus. Id quod illuſtri exemplo mox confirmabo.

66. Gregorius Pontifex à Leandro Epiſcopo litteras acceperat Spiritu Apoſtolico

lico tã plenas, ut nisi eas continuò cum Palatinis & Familiarib⁹ suis comunicaret, defossi Talenti reus sibi videretur. Quare, ut erat animo vehementer comot⁹ Gregori⁹, jussit omnes, qui Aulam suam frequentabant, in penetrale convocari, palámq; omnibus Leandri Epistolã recitare Cursorẽ. Enimverò mortuę illę voces beati Scriptoris totidem ex audientium oculis vivos lachrimarum fontes proliciebant. Nemo non Hispalensi Clero tam præclarum Antistitem invidebat. Pro se quisq; illum animo complectebatur, & ex ijs flamis, quib⁹ se ad vitam deinceps ab omni nævo purã, & consumatæ Perfectionis coronâ dignã exigendam sentiebat succendi, conjecturâ facilè sibi assequi videbatur, quali quantóque ardore Scriptoris illius pectus æstuaret, nempe haud quaquam diverso ab ijs ignibus, quibus Solymæo in Cœnaculo Apostoli quondam flagravissent. *Boni autem sapientésque Viri, cùm legeretur, adfuerunt, quorũ* STATIM VISCERA IN COMPUNCTIONE COMMOTA SUNT. *Cœpit quisque amoris manu in suo* Lib. 7. Epist. 60. To. 32. 60.

cor-

corde te rapere, quia IN ILLA EPISTOLA TUÆ MENTIS DULCEDINEM *nō erat audire, ſed cernere. Accendebantur, & mirabantur ſinguli,* ATQUE IPSE IGNIS AUDIENTIUM DEMONSTRABAT, QUI FUERIT ARDOR DICENTIS. Prô quantâ veneratione ac penè Religione omnes omnium gentiū populi Nomen noſtrū proſequerentur, ſi litteræ, quibus illud ſubſcribimus, ad profundendos lachrimarum imbres, ſpargendas in egenos opes Lectores excitarent; ſi cæleſti lumine animos colluſtrarent; honeſtatis rerúmq; æternarum amore ſuccenderent! Quis enim non Apoſtolis ſuppares nos eſſe crederet, ſi Evangeliſtas ipſe
Luc. 19. 22. ſcribendi modus referret? *De ore tuo te judico:* Magn⁹ ille Paterfamilias apud S. Lucam dixerat. Quin igitur privatorū ædes, & Magnatum Palatia Religioſarum vocū Thymiamate vaporam⁹? Et ô quandò ea mihi felicitas obtinget, ut tales Filiorum meorum Epiſtolæ ſint, quales olim Salomonici Templi parietes fuiſſe legimus? Nullus in illis angulus Myſterio vacabat,

&

&c ipse quoq; Fasciæ, Encarpa, Lemnisci, morū præcepta tradebant. *Erant in parietibus Cherubim & Palmæ.* Tam pio sanctissimorum Emblematū spectaculo recreatus S. Bruno monet unumquemq; nostrûm, ne ullum in corpore motum, aut in oratione syllabam fructu pietatis vacuā esse patiatur. *In parietibus*, inquit, *Cherubim & Palmæ. Cherubim, ad scientiam; Palmæ ad victoriam nos provocant:* IN ILLIS VOLARE, IN ISTIS PUGNARE DOCEMUR. *Ipsi* PARIETES NOS DOCENT, *& quodāmodo loquuntur nobis. Quæcunque scripta, vel sculpta sunt*, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SUNT. Sanè quotquot è Religiosis Ædibus datas Epistolas acciperent fluxi huj⁹ seculi miseri Nepotes, eas illi de genibus, nec sine lachrimis legerent, si nihil in ijs vanum, caducū nihil, nihil terreno hoc luto inquinatū deprehenderent, sed velut in stellato quopiā Cælo sola pietatis argumenta, æternæq; salutis monita cernerent refulgere. Tales igitur cùm Litteras scriberent primi Cænobiorum, & Collegiorum nostro-

3. Reg. 7.

Libello de Laud. Ecclesiæ. To. 34. 185.

stro-

ſtrorum Alumni, vulgò velut homines Cælo delapſi adorabantur, nec erat quiſquã aut tam excelsâ fortunâ, aut perditis adeò moribus, qui ad eorum pedes abject⁹ non modeſtiam indueret, & flagitia ſua nõ deteſtaretur. Equidem hodiéq; in multis Regum Aulis, in Sacrarijs, in privatis ædibus innumerabiles Epiſtolæ argento auróq; incluſę unà cum Sanctorum Lypſanis aſſervantur. Ignatij, duorúmq; Franciſcorum Epiſtolæ in veneratione ſunt, atq; unum aliquod earum reſegmen à præcipuis per Orbem Emporijs veluti Cæleſtis illius Civitatis Cimelia & expetuntur, & excipiuntur. Tantus ardor ineſt ſingulis earum ſententijs, ut quiſquis earum aliquã aut oſculo venerari, aut oculis perlegere potuit, amoris divini flammis exuri ſibi videatur.

67. Utrùm verò eadẽ Litterarum noſtrarum Virtus ſit, atq; eadẽ Nepotum, quæ Sanctiſſimorum Parentum in ſcribẽdo felicitas, decernere ſanè non auſim, ne quam aut veritati, aut tot Fratrum meorum religioſiſſimis litteris injuriam feciſſe vide-

videar. Illud certè dicere poſſum, optare me vehementer, ne quando de quorundam Epiſtolis dici queat, quod Symachus de quibuſdam ætatis ſuæ Villis pronunciavit. Olim quidẽ qui ſpatioſi horti domin⁹ erat, eo ipſo ſatis unde familiam aleret, habebat; eóq; ditiorẽ putabant Senatorem Romanum, quo plura prædia poſſidebat. Hac verò tẽpeſtate qui Villam habet, patrimonio caret, Hortiq; dominus paupertimus eſt. Poſtquam enim agros muris circumdedimus, & in prata ſilveſcere coëgimus, poſtquam frugiferas arbores in ſteriles Myrtos, gravidáſq; uvis Vites in umbroſos lucos convertim⁹: tantum æris in condendas arbuſculas opere topiario diſpoſitas, perennes fontib⁹ undas ſufficiendas, villicorum, olitorúmq; ſtipendium, ſemitarum cultum, malorum Citrearum Limoniarúmq; curam profunditur, ut pene idẽ ſit ruſticari, ac fortunis omnib⁹ everti. *Námque hic uſus venit in noſtram ætatem* UT RUS, *quod ſolebat alere*, NUNC ALATUR. Ità quondam, qui vel breviſſimam epiſtolam religioſo calamo exara- Lib. 1. Epiſt. 2. Patri. To. 29. 33.

tam acceperant, tantum Virtutis amorē concipiebant, ut opes, honoresq; despicerent, ac Christi nuditatem Modestiámq; toto animo complecterentur. Atq; utinā modò non aliquis eorū, qui Religiosam vitā profitentur, consanguineos exhortetur, ut illustribus conjugijs nobilitatē generis amplificent, emptis latifundijs atq; clientibus opes exaugeant, & ad Magistratuū fastigia enitantur. *Vt rus, quod solebat alere, nunc alatur.* O vanitatis nullâ non Evangelij sententiâ damnatæ pestiferos, atq; execrandos hortatores! Itáne verò in omnib⁹ per Ecclesiā Monasterijs vel unum reperire sit, qui non modò ad rerum humanarū omnium contemptū, quas ipse eo temporis articulo, cum sacra veste profanā cōmutavit, magno animo pedibus subjecit, sanguine sibi junctos non excitet, verùm etiā ut gen⁹ suum efferant, Avósq; tum affinitatū, tum Magistratuū splēdore quàm longissimo post se intervallo relinquant, admotis stimulis, urgeat?

68. Quòd si tamen vel inter nos degeret à Sodalium Majorúmq; suorum virtu-

te

te tam degener, ut religioni ſibi haud duceret, Litteris ſuis vanos, profanóſq; rumores diſſeminare, vel neceſſarijs ſuis humanæ gloriæ cupiditatem injicere, non tã illi⁹ infelcitatem quererer, quàm eorũ, qui unà mecum Societatem adminiſtrant, imprudentiam amariſſimis lachrimis deflerẽ, indignaréŕq;, quòd Litteras ab inſtituti noſtri rationib⁹ prorſus alienas impreſſo Jeſu nomine obſignare ſuſtinerent. Equidẽ hîc ego temerarias ejuſmodi narrationes neq; ſacrilegij, neq; gravioris criminis reas perago: fieri ſiquidẽ poteſt, ut ſcribentis imprudentia toti Cætui famã adimat, etſi fortè inconſideratio illa crimine vacet. At enim accidere nunquã poteſt, ut citra proditionis flagitiũ tam incompoſitis ſchedis abeũdi veniam impreſsâ Societatis noſtræ Teſſerâ Præſides largiantur. Cur non lacerantur folia nullo pietatis ſenſu conſcripta? Cur non igni traduntur frigidæ illæ ſentẽtiæ, ſanctíq; fervoris expertes? Sed Ambroſium audiamus. *Non omne, quod otioſum* ET CRIMINOSUM *ſed omne, quod non fructuoſum*, PERICULOSUM, ATQUE In Pſal. 38. Io. 37. 117. Matth. 3.

ERADICABILE. *Omnis enim Arbor non faciens fructum excidetur, & in ignem mittetur.* Hiſce oculis egomet quondam vidi, haud paucas Epiſtolas à Collegij Romani Miniſtro Viro Religioſæ Diſciplinæ ſtudioſiſſimo in caniſtro repoſitas & flamis ſervatas eſſe. Et quamvìs non omnes, meâ quidē ſententiâ, eo ſupplicio dignæ viderentur: præſtabat tamen unam alterámve, cui fortè poſſet ignoſci, flamis adjudicari, quàm ſi alia quæpiam merito ſupplicio exempta eò à Tabellarijs deferretur, ubi impatienter expectabatur. *Non omne quod otioſum, & criminoſum:* fateor, nec eſt qui neget: at enim OMNE QUOD NON FRUCTUOSUM, PERICULOSUM ATQUE ERADICABILE. Nemo proin totius Ordinis famam imerito ſolatio improvidè ſcribentis poſtponat. Nemini Præſidū excidant toties lata decreta, quamlibet Epiſtolam, ſive illa à ſuis, ſive ab alijs ad ſuos ſcripta ſit, accuratè legi jubentia. Quòd ſi inter legendū advertat domeſticas eorum calamitates recenſeri, qui aut opē efflagitant, aut preces, ne

por-

porrò in legendo progrediatur, ſed ipſe quoq; vicē eorum miſeratus luct⁹ illos Familiæ ſuę mala forſan ignoranti tradat. Pari ratione, qui litteras reſignat, os ſuū obſignet, nec ullo indicio prodat, quid ex aliorum litteris intellexerit. Eam verò Religioſi ſilentij fidem tū Natura requirit, & cōmunis humanitas exigit, tū ego ſeverè impero, ſancióq;. Omnes enim ægerrimè adducimur ad ea, quæ ſcribim⁹, manifeſtanda. Jam verò quemadmodū ſubditi tam auſteræ Legi pro cōmuni bono ſcripta ſua lubenti hilaríq; animo ſubjicere debent; ità par eſt Præſidem ej⁹ obſequij difficultatem gratiſſimâ maximéq; neceſſariâ arcani fide mitigare.

69. Ad extremum id vobis, Patres, Fratréſq; mei, perſvaſum eſſe cupio, tale de vita noſtra judicium populos laturos, quales Litteræ noſtræ nos eſſe judicârint. Id quod non modò patuit in Leandro, quem verum Hiſpaniarū Apoſtolum ideò Gregorij Pontificis Aula ſuſpexit, quod Apoſtolicæ prorſus eſſent ej⁹ Epiſtolæ: verùm ab ipſis Eccleſiæ à Tyrañis exagitatæ pri-

mordijs præcipu⁹ inter Administros Neronis testatũ reliquit, nũquam ab animo dissidere orationem, & stylum cum affectio-
Epist. 114. *To*. 29. 280. nib⁹ animi ut plurimùm conspirare. *Talis hominibus fuit oratio*, QUALIS VITA. *Non potest alius esse ingenio*, ALIUS ANIMO COLOR. *Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum, & sobrium est. Illo vitiato, hoc quoque afflatur.* Dicent videlicet invidi atq; hostes: quâ ratione nos credere possumus in Christi Cruci affixi contemplatione animos Patrũ Societatis penitus occupari, si nullum in eorum litteris Crucis vestigiũ, nullam clavorũ, spinarúmq; umbram deprehendim⁹? Et, quod dolorem meũ magis exasperat, & vuln⁹ facit in vulnere, est, quod unius, aut certè paucorũ culpâ toti Ordini neglectæ, vel etiam penit⁹ desertæ Crucis infamia incumbat. *Talis oratio*, QUALIS VITA. Quam maculam nunquam satis eluent seu morum integritas, seu Apostolicarum Expeditionum ardor, seu perfusa sanguine flagra, horrentiáq; setis Cingula, seu sacrarũ Exercitationum otium,

tium, altissimáque cōtemplatio; seu denique tot illa nobilissima trophęa, victoriæq; ab Hæresi toties debellata reportatæ. Lōgè siquidem accuratiùs verborum nostrorum qualitatem, quàm actionum substantiam expendunt, qui nos vel amant, vel oderunt: semper illud audituri sum⁹: nimirum de Deo divinísq; rebus scripturos, locuturósq; nos fuisse, si animos nostros Deus insideret. Quòd subinde aliqui describendis Familiarum simultatibus, ac contentionibus, interpretandis Principum decretis stylum occupent, séq; civilium rerum, & profani luxûs negotijs ingerant, illud scilicet est, quod nobis famam tollit, & austeritatis ac contemplationis amantes credi non sinit. *Talis oratio, qualis vita.* Committere hoc loco haud possum, ut silentio prætercam, quod Plinius de Volucre, quam Onocrotalum dicunt, litteris mandavit. Avis illa incessu, colore, magnitudine, ac membrorum conformatione Cycno simillima, dum quidem tacet à celebratissima illa volucre nihil abhorrere videtur, oculísq; spectantium imponit. At

 verò

verò ubi primùm laxare fauces, & ſtridorem diverſiſſimum ſcilicet ab ea, quam imitari non poteſt, Harmoniâ, ſvavitatéq; Cycnorum, edere cœperit abjectum ſtupidúmq; animal, continuò fuſtibus ſaxíſq; è nobilium illarum Volucrum Cætu expellitur. *Olorum ſimilitudinem Onocrotali habent: nec diſtare exiſtimantur omninò*, NISI FAUCIBUS IPSIS INESSET ALTERIUS UTERI GENUS. Prô quàm gravi præjudicio proborum Religioſorum nomen damnant verba, ſeu ore prolata, ſeu litteris expreſſa! Quælibet ſyllaba, quæ Mundum ſapiat, vultus noſtros contaminat, & dedicatos Altaribus Nazaræos nominis ſui honore diſpoliat. Quid? niſi in verbis cętera non vanis vis ipſa vel ſcribẽdi vel dicẽdi prorsᵘ Evãgelica ſit, auctoritatẽ noſtram elevamus. Accidit interdum, ut de rebus ad ſalutem & Perfectionem ſpectantibus tam frigidè, támq; exiguo pietatis ſenſu verba fiant, ut auditores noſtri graviſſimas cæteroqui ſententias riſu excipiant, quòd nullâ emphaſi, vehementiáq; prolatas, ab ore potiùs excidere videant, quàm

Lib. 10. Nat. Hiſt. c. 47. Io. 57. 7.

quàm emitti. Longè igitur magìs ardeat oportet ſcribentis animus, quàm oratio. Quòd ſi enim mens torpeat, continuò ſententiarū litteris expreſſarum aut nex⁹ deficit, aut majeſtas deprimitur. Sic olim quidam Titi Livij Libros ad Cęlum ferebant, ac miris laudibus ſententiarum tū ubertatem, tum elegantiam cōmendabant: quorum imperitiā ridens Aſinius Pollio, & elegantē quidem laudatum Scriptorem fatetur, ſed Patavinum tamen eſſe pronuciat. Eam ob rē Quintilianus Oratorē adeò limare juſſit vocum, ſententiarumq; contextum, ipſúmq; adeò earū ſonum conformare, ut quiſquis vel declamantē audiret, vel declamationem legeret, Romæ natū, non adſcriptum Romanis Civibus debeat confiteri: *Quare, ſi fieri poteſt, & verba omnia, & vox* HUJUS ALUMNUM URBIS OLEANT: *ut Oratio Romana planè videatur*, NON CIVITATE DONATA. Ità nos extra Hetruriā nati quāvìs Erthruſcis vocib⁹ orationē elegāter, aptéq; concinnem⁹, longè tamen ab ijs abſumus, qui in beatæ illius linguæ ſinu edu- Lib. 8. c. 1. To. 56. 75.

 cati

cati fuêre: multúmq; tũ numero, tum prõnunciatione ijs concedim⁹. Nimirũ hinc styli poliẽdi cura, studiúmq; nos Hetruriæ adscribit, sed alia ex parte, infelicitas pronunciationis ac soni ex indigenarũ numero expungit; nempe Civitate donati, non Cives sumus. Perinde in reb⁹ ad virtutem pietatémq; spectantib⁹ accidit. Continuò palàm est, serióne, an joco, eam litteræ nostræ svadeant: nempe an is, qui vanã hujus seculi speciem adducere in contemptum studet, septum ludicris decursionib⁹, & umbratili pugnæ adornet, aut vallo castra communiat, è quibus in hostes impet⁹ fiat: id est, num Religiosi ac virtutis studiosi videri velim⁹, ne scilicet desint, qui se nobis credere velint; aut id potiùs agam⁹, ut improbis terrorẽ, & vitijs interitum, cladémque inferam⁹. *Verba omnia, & vox hujus Alumnum urbis oleant.* Sæpissimè sententia una prolata ex ore hominis planè Apostolici plus efficit, quàm aliorum Evangelio, ut sic dicam, incrustatorum totæ Decades præstent. UT ORATIO ROMANA PLANE VIDEATUR, *non Civitate donata.*

nata. Scilicet ùt Hasta ingens pueri vibrata manu adversarium ne pungit quidẽ, & pugio Gladiatori satis eſt, ùt secum pugnãtis viscera discerpat, & ossa cõminuat: ità si Sancto Spirtu pleni fuerimus, omnes, qui vel Litteras nostras legerint, vel sermonẽ audierint, cælestibus flãmis obruem⁹. Id certè Apostolico Cœnaculo usuvenit, quod principio arcanæ rerum æternarum cõtemplationi consecratum, tum divino igne succensum, deniq; in Hierosolymã universam conceptæ sanctitatis ardorem propagavit, Interfectoribus Christi in Præcones ejus Divinitatis, & demonstratæ ab eo Veritatis Martyres cõmutatis. Ità Gilbertus, ità S. Lucas scripsêre: ità hodiéq; in quolibet sacro Cætu evenire videmus. *Primò in oratione profusi sunt, deinde Spiritu infusi sunt, & sic, quam susceperant, alijs Gratiam ipsi profundunt. Primò expectatione, & desiderio conversi sunt ad Deum. Secundò ad ipsos facta est Dei conversio. Tertiò ipsi conversi confirmantur, & confirmant fratres suos.* Vis igitur, ut Litteræ tuæ Pietatẽ spirent? cura, ut Divina piè, ac religiosè mediteris.

Serm. 34. in Cant. *To. 109. 172.*

Nam

EXHORTATIO XXX.

In Pervigilio B. Aloysij.

Egredere de Terra tua. *Genes. 12.*
Obliviscere Populum tuum. *Psal. 44.*

His verbis Deus Abrahamum Fidelium Patrem, & Ecclesiã Christianorum omnium Matrem allocutus est: ijsdémque nisi fallor, Societatem Apostolicorum Virorum Magistram, & Apostolicæ Vitæ Scholam & compellavit olim, & nunc quoq; compellat, ut se ipsam ad omnem virtutis perfectionem extimulet, & improbos à vitijs abducere omni ope connitatur.

CHARITAS RELIGIOSA nullis Patriæ, nullis conterminarum Regionum finibus arctari se patiatur, & in eos præcipuè feratur, qui-

lumnos animorum coniunctionem Servator esse voluit, qualis inter Personas Divinas intercedit. Eâ conservatâ, quilibet Sacer Ordo, tametsi minorem vitæ austeritatē profiteatur, in immensum crescet, Sanctitatémque miris modis amplificabit; deperditâ, optimi quique in pessimos degenerant.

70. IN privatis Sermonib⁹, quos per novem continuos annos cum Romanis Sodalibus per varia Domicilia sparsis contuli, semper & ubiq; tum Aloysij nuper Auctoritate Pontificiâ Beatis adscripti, tum Ignatij, atq; Xaverij celeberrimæ sanctitatis Cælitum sanctissimas mentes præcipuo cultu deveneratⁱ sum, eorúmq; Virtutes hominibus nostris imitandas proposui. Liceat modò per vos mihi orationem ab eorum Animis feliciter cum Deo regnantibus avocatā, ad eorum corpora, quæ in sepulchris pronus adoro, sub hujus diei occasum traducere. Advolut⁹ igi-

igitur tum hîc, tum alijs in locis maximorum Societatis noſtræ Virorum repoſitis cineribus, illud in ijs ſingulari admiratione dignum expendo, quòd omnes, aut certè plerique illorum, procul à natali ſolo ultimos, hoc eſt perfectiſſimæ Vitæ annos exegerint, mortémq; peregrè, & in extraneorum terris obierint. Aloyſius in Urbe, loco à Principatu ſuo in quo edit⁹ in lucẽ fuerat, admodum remoto, animum Cælo, Romæ corpus tranſcripſit, quod argenteâ Urnâ incluſum quotidianis prodigijs inclareſcit. Stanislaus non impari nobilitate adoleſcens, quã in Polonia vitã accepit, eam in Monte Quirinali depoſuit, à Sum̃is Pontificibus cultus, & à Regibus, ac Regnis in Divum Tutelarem electus. Ignatius Dux noſter, ac Princeps, Franciſcúſq; Anteceſſor meus Aris uterq; conſecratus, in diverſiſſimis Hiſpaniæ Regnis editi, è Romana Domo Profeſſorum ad Regnũ Cæleſte migrârunt. Franciſcus Indiarum Apoſtolus Gente Navarrus in aditu Sinarum vivere deſijt, & Goæ, ubi incorruptum ejus Corpus quieſcit, ægris ſalutem,

vi-

vitam mortuis reddit. Anchieta Thaumaturgus Americæ vagijt in Canarijs, sepulchrũ habet in Brasilia. Realinus patriâ Carpensis, gloriâ prodigiorũ Lupias, quib⁹ sua ossa reliquit, illustrat. Hetruria Robertum Bellarminũ educavit, mors in Romana S. Andreæ Domo agentẽ occupavit, Farnesianum Templum sepulchro donavit, totâ in obsequiũ effusâ Urbe, ac tacitis votis veluti Cæli Civem jam tunc implorante. Addamus Bellarmino Toletum, pari purpuræ honore insignem. Is quò humiliores, obscurioresq; natales Cordubæ nactus est, eò Romæ sublimiùs, clariùsq; in Vaticanis Rostris, & Sacrorum Principũ Magistratu effulsit: nunc inter pretiosa Marmora in Exquilijs Magnę Matris Cliens quiescit, relicto Magistris nostris & Purpuratis Patribus, quos olim Collegas erat habiturus, rectè vivendi scribendique exemplo longè pulcherrimo. Neq; Joannẽ Berchmannũ, quẽ Belgium Terrę, Roma Cælo genuit: neq; tres illos celeberrimos Æthiopiæ Patriarchas omiserim, qui ex Europa digressi mediã modò Africam

corpore premunt. Sed enim finem non fa-
ciam, ſi omnium eorũ Patrum, Fratrúmq;
noſtrorum percurrere nomina velim, qui
poſtquam egregijs in Societate facinoribꝰ,
& conſum̄atæ virtutis exemplis editis pręclaram Hiſtoriæ materiẽ ſuffeciſſent, alio,
quàm quo nati ſunt, loco denati, peregrè
conditi nobiliſſimis ſepulchra ſua titulis illuſtrârunt. Ut adeò divina Providentia id
ſingulariter à Minimæ hujꝰ Societatis Operarijs exquirere videatur, videlicet, ut à
patria corpore animóq; diſſidentes, ne ſua
quidẽ illi oſſa cineréſq; relinquant. Quod
æternæ Sapientiæ altiſſimum conſiliũ anſam mihi præbet Inſtituti noſtri fundamẽtum, cui Societas noſtra impoſita in eam ſe
altitudinem provexit, & latè toto terrarũ
orbe diffudit, altiùs defodiendi, & firmiùs
conſtabiliendi. Et prima quidem incremẽta minimus hic Cœtus è ſumma Majorum
noſtrorum inter ſe uti patriâ, linguâq; diverſiſſimorum, ſic animis conjunctiſſimorum concordiâ cepit. Quam ſubinde voluntatum conſenſionem ſic in Alumnis ſuis optimi Patres propagârunt, & Apoſtolicâ

câ quâdam firmitate adstrinxerunt, ut Sionæi Cœnaculi prodigia nostros inter parietes renovata Christianus Orbis miraretur, in quib⁹ ij Viri degerent, qui patriæ, natalísq; soli prorsus obliti in omnium Gentium terras studijs suis amoréq; transfusis, id solùm pro se quisq; contenderet, ut in explendo gemino Edicto, quod in Genesi, & Psalmis Deus Opt. Max. tulerat, palmã Sodalibus præriperet. *Egredere de Terra tua: Obliviscere populum tuum.* Ejuscemodi à paternis sedibus exiliũ, animíq; transfugium Deus & à Servis suis exigit, & amplissimis præmijs remuneratur: neq; enim fieri potest, ut decore illo sublato, non simul omnes Virtutis nervi elidantur, suáq;, ut sic dicam animâ, probitas destituatur, & gravissimis errorib⁹ Vitæ Apostolicæ, quã profitemur, planè contrarijs aditus præbeatur. Atq; hæc gemina præsentis dissertationis Capita erunt. Placet à primo exordiri.

71. Cùm apud se Deus constituisset, Abrahamum eorum omnium Populorum, quos tũ in Veteri tum in Nova Lege Cul-

tores erat habiturus, Patrem Magistrúmque initiare, id primùm ab eo requisivit, ut animum à paternis laribus penitus avocaret. *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de Terra tua, & veni in Terram, quam monstrabo tibi.* Hæc scilicet geminæ olim Hebræos inter & Christianos exædificandæ Ecclesiæ basis fuerat: hâc lege Chaldæo homini Divinitatis suæ arcana Deus concredidit, & salutis æternæ certũ pign⁹ mortalibus omnibus exhibuit. EGREDERE DE TERRA TUA. Perinde ac si diceret: Id mihi satis est, nec à te plura requiro, ut Cęlestes honores tibi decernã, atq; Orbis universi Servatorem Stirpi tuæ promittam. Viden', quanti referat, Patriam suã animo corporéq; reliquisse? Non ad quadraginta dierum inediam, non ad producta per mensem & ampliùs contemplandi tempora, nõ ad Victimarũ Altarib⁹ impositarũ Hecatõben, nõ ad aspera in Gigãtes prælia Patrarchã, ùt deinceps Eliam, Mosen, Salomonem, ac Davidem, adegit. Omnes, quas cum gratiosissimo sibi Cliẽte Deus conditiones inijt, solo illius è natali so-

Genes. 12. 1.

li ſolo diſceſſu abſolutæ fuerunt. *Egredere de Terra tua, & veni.* Et, quod quidem admirationem haud mediocriter intendit, non ideo Divina Providentia Miniſtrum obſequioſiſſimum è paterna domo refixit, ut eum vel in tranquilla ſilentia indulgentium lachrimis ſuis Anachoretarum tranſduceret, aut in beatas innocentium Nationum Colonias transferret; ſed eum in Provinciā veræ Religionis ignarā, in Gentem ſuperſtitione contaminatā, in Regionem deniq; eā ipsâ, in qua tū vivebat, longè nocentiorē, ſceleſtiorémq; induxit. In Chananæorū, quos eâ tempeſtate nemo vivendi turpitudine, ſentiendíq; impietate ſuperabat, Metropolim eum migrare juſſit. Quo cùm perveniſſet Exul religioſus Deum videre meruit, qualem quantúmq; intueri mortali conceſſum eſt. *Apparuit autem Dominus Abram.* Quę indulgentia Numinis ad eā uſq; diem incomperta hominibus fuerat. Nunquā antehac Divinitas mortaliū ulli, Juſto licet, ſe comunicaverat: non Abeli, licet gregū ſuorum primitias omnes Aris imponeret: non Enocho, Gen. 12.7.

tametsi eum vitę innocentia reb⁹ humanis vivum exemerit: non Noëmo, quamvis sua eum Virtus coumnibus Mundi Exequijs superstitem fecerit. *Apparuit autem Dominus Abram. Neque enim Scriptura divina verbo hoc usa est, cùm de Adam, de Abel, de Noë, de alio quopiam locuta est:* utì S. Joannes Chrysostomus scitè dixit: & singularem hanc gratiā demirat⁹ colligit, rem non minùs genio nostrò contrariā, ac magnis expeditionib⁹ pernecessariā esse hanc à patrijs terris alienationem, disjunctionémque: ut adeò cæteris prodigijs, imensísq; præmijs, quibus generosum Exulem Numen evocavit, suam quoq; præsentiā adjiciendā, corámq; alloquio confirmandum eum duxerit. *Apparuit Deus Abrám:* QUIA JUSTUM A DOMO EJUS EVOCAVERAT, *& imperaverat*, UT IN ALIENAM IRET TERRAM. Nempe si modò tu à tuis abeas, si avito Regno valedicas, ad ea omnia, quæ in te conferre beneficia constitui, excipiendā satis idoneum te reddideris. Permagni enim interest, à Ministris meis Extraneos amari, non ama-

Hom. 32. in Genes.

Io. 45. 65.

ma-

mari Domesticos; si quando hi vel comunem erga mortales omnes à me conditos dilectionem remorantur, vel animnm Dei compotem unius Regni, vel etiam Urbis, angustijs configunt. Quam ob rem, si in animum induxeris paternis ædibus nuncium remittere, sic ab ijs mentem amorémque abstraxeris, utì corpore sejungi nō dubitas, IN TE BENEDICENTUR OMNES COGNATIONES TERRÆ. Faxò, ut è semine tuo Filius nascatur omnes omnium temporum homines è dura Inferorum servitute in libertatem asseratur[9]. Par igitur haud quaquā est, ut curas, amorésq; tuos exiguâ illâ Mundi portione, quam à Majorib[9] tuis accepisti, definias. *Egredere de Terra tua.*

72. Nec minorem gloriam, inferioráq; præmia Ruthæ feminæ, si natales spectes, obscurissimæ, si gentem, superstitiosæ, deserta patria contulit. Hāc Matthæus Messiæ stemmati, regalíq; stirpi inseruit. *Booz autem genuit Obed* EX RUTH. Mirari satis S. Hieronymus nequit, infimæ sortis mulierculam ad tantum gloriæ, amplitudinísq; *Matth. 1. 5.*

 fasti-

fastigium sublatam fuisse. *Obed ex Ruth?* Deniq; postquam multa super eam rem disputâsset, celsissimos illos honores magnanimę fugæ, quam, ut Noëmiam Socrũ, tum Mariti cum geminis filiorum funerib⁹ afflictissimam prosequeretur, à paterna domo, patriæq; suæ finibus optima puella arripuit, unicè deberi affirmat. Nempe adeò Divinam Clementiam rapuit, hæc illius in exteram gentem transeuntis pietas, ut peregrinam, pauperculámq; mulierem prodigiosæ fortunæ nuptijs remuneraretur, ac Patriarcharum generi misceret. En tibi Magni Doctoris verba. *Noëmi famem fugiens in Terra Moab & maritum perdidit, & Filios. Et, cùm suorum auxilio esset destituta,* RUTH ALIENIGENA AB EJUS LATERE NON RECEDIT. *Vide quãti meriti sit, desertæ præstitisse solatium! Ex ejus semine Christus oritur.* Vix è domo sua pedem extulit Rutha, cùm in familiam genúsq; Christi se vidit illatam, & quæ in humili fortuna, parentibus plebeis nata erat, subinde Nepotes habuit Regijs ornatos insignibus, & Imperio Palestinæ clarissimos. Tan-

Ep. 25. ad Paul., To. 17. 133.

Tanti fecit Deus vel in puella qualiſcunque patriæ, ignobiliſq; Pagi contemptum, ut ejus nomen in Solymæorum Regum Aulis, & quod longè illuſtrius eſt, in Sacrorum Evangeliorum veſtibulo extare immortali memoriâ voluerit. EX EJUS SEMINE CHRISTUS ORITUR.

Jam verò Patres, Fratréſq; chariſſimi, quoniam Meſſiæ nomine orationem cõſecravim⁹, etiam atq; etiam conſiderate, quàm longè nos laudatæ modò virtutis amore Servator anteceſſerit. Exire priùs ille patriâ, quàm prodire in lucem voluit: antè peregrinus & exul, quàm à matris ubere penderet, vel involutus faſcijs adoraretur à Magis. Eam ob rem Bethlemum natalem ſibi terram eſſe voluit, in qua tam peregrinus eſt habitus, ut ab omni hoſpitio excluſus, ſtabulum pro thalamo, Bovem & Aſinum contubernales, præſepe cunas habuerit. Quâ incõmodorum patientiâ ſuos primùm Apoſtolos, tum Nos etiam erudijt, quàm procul à patrijs ſedib⁹ animo corporéque abeſſe is debeat, qui ſalutem populis, & lucem afferre Provincijs cupit.

Quapropter nullum ſit vel Religioſarum ædium veſtibulum, nulla Clauſtri ullius Cella (quibus nempe locis Regnorum Animorúmq; ſalus procuratur) cui exilium à patria, proſcriptióq; paternæ domûs non gemino illo edicto inſcripta ſit. *Egredere de Terra tua: Obliviſcere Populum tuum.* Cœnobiorum, inquam, januis edictum illud præfigatur, non verò Senatorum, Patriciorúmq; propylæis, ad quod videlicet genus hominum non pertinet. Hi enim, quo cõſtantiùs in patria ſua hærent, majoréſque pro ea labores ſuſcipiunt, tanto ampliùs ſibi Deum demerentur, indigni præmio, digníq; ſupplicijs futuri, niſi eam plus ipsâ vitâ dilexerint. Ità pariter quilibet de turba homo, niſi patrem, matrémq; omni amore atq; obſequio colat, in Dei Legem injurius eſt, & vitæ tempora ſui ipſius parricida abrumpit. At verò, qui ſe Religioſo in Ordine Diſcipulum addidit Servatori, niſi ſancto quodam odio à parentibus diſſideat, quin ſi vel tumulum illis componere voluerit, à faſtigio Apoſtolatûs excidat, & à Dei Filio Sectatorum ſuorum ſyllabo expun-

pun-

pungatur necesse est. Sic non est is Jesu Comes, cui grave sit patrium solum deserere, & in quaslibet mundi plagas ad inferendam rerum æternarum cognitionem excurrere. Ut adeò, quod Seculi filijs, patriam insedisse, ac consanguineorum curam gessisse, laudis est præmiiq; materies, idem Viros rebus humanis exemptos flagris subdat, subjiciatq; supplicijs. Neq; verò diversitas ista cuipiam, vel inanis, vel iniqua videri potest, cùm profani homines non modò impunè, ac nullo salutis suæ periculo lautissima patrimonia possideant, verùm etiamsi, ùt Christianos decet, ijs utantur, imortalia sibi præmia promereantur. Contrà Cœnobiorum Alumnis vel pauci numi privatis usibus clanculum repositi, Cœmiteria occludunt, & Orcum pandunt æquum violatæ Paupertatis supplicium. Adeò verum est, amicitias, quas ejusdem patriæ cõjunctio conciliat, Sectatoribus Crucis obesse plurimum, alijs verò qui extra Religiosas ædes vitã agunt, & convenire vehementer, & laudem ac præmia conferre. Quam ob rem in illarum E-

pisty-

piſtylijs indelebili charactere inſculptũ legatur: *Egredere de Terra tua: Obliviſcere Populum tuum.* Id ſanè didicerunt, operéq; ipſo nos docuerunt Apoſtoli, cùm recepto in præcordia Sancti Spiritûs illapſu, continuò Gentium omnium linguis Legẽ novã promulgârunt, & in ultimos Orbis fines tranſgreſſi, quod à Chriſto triumphali põpâ in Cælũ ſublato imperiũ acceperant, ſtrenuè ſunt executi. *Euntes in Mundum univerſum, prædicate Evangelium.* Omnib⁹ omniũ populorũ terris vos dividite, atq; unũ è gemino terrarũ Orbe Fidelium Cœtum, unúmq; Gregẽ Electorũ, cui ego vos Paſtores conſtitui, efficitote. Ità vos, veſtríq; Diſcipuli ac Succeſſores patriã quiſq; veſtrã diligite, ut eã Patri meo cõmendetis, & pro ea in precib⁹ veſtris vota ſuſcipiatis; ut Miniſtros illi provideatis Apoſtolicos, qui eã à peccatorũ illuvie purgent; deniq; ut illi æterna de Cælo dona promereamini. Cavete verò, ne unquam caducis Gentiliũ veſtrorũ rebus miſceamini, multóq; magìs ne apud eos Præſidum veſtrorum ingratijs hæreatis affixi, contẽptis videli-

Marc. 16. 15.

delicet imperijs meis Mundum universum Patriam vobis esse jubentib⁹. *Euntes in Mūdum universum, prædicate.*

73. Quòd si jam à me quæritis, quid causæ sit, quòd tanti faciat Christus hanc pectoris extraneos cōplectentis amplitudinē: id inde provenire arbitror, quòd humilitatē, angustósq; Naturæ terminos plurimùm excedat, & velut ex alto despiciat, quisquis Gratiæ viribus confirmat⁹ alienos amat, & procul sepositos in amplexum recipit. Placeat eâ re sibi, gratuletúrq; quilibet Ordo Religiosus, qui variarum Nationum Alumnos uno eodémq; sinu fovet: vel enim eâ Societate Regnantem Cælo Deum illa coronat, vel detractum sibi de capite diadema in illius tēpora trāsfert. *Posuisti super caput ejus Coronam de lapide pretioso:* Verba sunt Davidis nasciturae quondam Christi Ecclesiæ faustùm ominantis; quòd à Synagoga Mosis diversissima futura esset; cùm hæc exteros rejiceret, & intra ejusdem Tribûs limites collocari nupturas Virgines juberet. At verò Christianas Diæceses, Præsidésq; Catho-

Psal. 20.

licos

licos, ad vestigandos ignotos populos excursuros, ac Mysticum Christi Corpus è membris eò magìs gloriosis pretiosísque, quò terrarum spatijs sermonísq; usu sejunctioribus, compositiuros esse. *Coronam de*
In Psal. 20. *lapide pretioso* (exclamat hoc loco Hiero-
To. 23. 92. nymus) CORONA DEI EX VARIIS GENTIBUS *Congregatio est*. Hæc audiens liquidissimam animo voluptatem percipio, audeóq; sperare, nemini Religiosorũ Ordinum hac diversissimarum Gentium conjunctione Societatẽ nostram ullâ ratione cessuram, ut quæ tametsi nostro pariter adversóq; nobis Orbe latè disseminata sit, voluntate tamen rationéq; vivendi non tam vincta mutuò, quàm una esse dici possit. *Corona Dei ex varijs Gentibus Congregatio est*. Quid? An non in hoc ipso Collegio, in quo verba facio, Discipuli juxtà Magistríque vivunt, ac florent, ùt ortu, patriáque diversissimi, sic moribus adeò similes, caritatéque mutuâ tam conjuncti, ut unâ omnes matre geniti, uno vivere spiritu videantur? *Ex varijs Gentibus congregata*. Ut taceam, sic eos hîc vitam agitare, velu-

veluti si hos intra parietes nati, quidquid domi nostræ est, veluti proprium patrimonium, ac paternam hæreditatē habeant, eâdem veste, mensâ eâdem, eâdémque vivendi ratione utantur non minùs, qui è transmarinis Regionibus, atque ultimis Americę portub⁹ advecti sunt, aut è Septentrione per Alpes iter fecerunt, quàm qui nati in Italia, & Romæ sunt educati. Nemo quidquam proprium possidet, omnes verò rebus omnib⁹ ità utuntur, ut nullum sit inter eos, qui ex Indijs advenêre, atque eos, qui nobiscum cōmunē patriam habent, discrimen, nulla diversitas. Sanè qui nostros homines, quos longissimè à se invicē nascendi fortuna diviserat, sic animis, caritatéque conjunctos videt, non potest non exclamare: *Ecce, quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres* IN UNUM! Psal. 132. 1.
Enimverò svavissimam hanc Concordiam hominum, quos nulla cognationis, linguæ, aut consvetudinis societas copulârit, vel ipsi Angeli mirantur. Hæc enim Amicitiæ Evangelicæque germanitatis conjunctio veluti quædam Archangeli Tuba omnes

Ter-

Terræ angulos personat, & ex humanarum corruptelarum sepulcris non quidem putria corpora, verùm animos profanarum cupiditatum pręstigijs circumventos, & excitavit olim, & hâc etiam tēpestate passim excitat, novámque ijs vitam inspirat, quæ Crucem ambiat, honores fastidiat, voluptates aversetur, ac rerum divinarum contēplationi se penit⁹ im̃ergat, Deóque ipsos intra Religiosos parietes in voluntariæ asperitatis Victimas, & perfectissimæ Caritatis Imagines com̃utet ac con-
In Psal. 132. To. 12. 438. secret. *Ecce, quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum!* ISTE SONUS, Augustino teste, MONASTERIA PEPERIT. *Ad hunc sonum excitati sunt Fratres.* ISTE VERSUS FUIT TUBA IPSORUM. Equidem Ecclesia non habet prodigium seu divinius seu frequentius, magísque continuum eo, quod in Religiosis Domicilijs spectatur, in quibus in tanta natalium, patrię, indolis, & linguę diversitate, nullam voluntatem, votorúmq; differentiam deprehendere possis. *Fratres* IN UNUM.

74. Hæc

74. Hæc illa conjunctio animorum est, atq; Concordia, quam Christus extremis vitæ suæ diebus Patrem rogavit. Ego quidem, inquiebat, vitam profundere pro hominibus cogito, nec ullam vel flagrorũ acerbitatem, vel infamiam Crucis defugio, dum tu modò, mi Deus, ac Pater, eos, qui me sequuntur, ac, ut suam tum erga te observantiã, tum erga me voluntatẽ demonstrarent, patriam, in qua nati, navim, quâ vitã sustentabant, parentésq; à quibus geniti fuerant, reliquerunt, dignis præmijs afficias. Non ut eos opibus cumules, aut dignitatibus ornes postulo: non ut ijs S. Spiritûs donis eos nunc quidem remunereris peto, quæ nominis tui Cultores insignes, ac Mundo venerabiles reddunt: id solum flagito, ut ea inter illos animorum sit conjunctio, qualis me inter ac te intercedit. *Vt* *sint unum*, SICUT ET NOS UNUM *sum⁹*. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt, ut omnes* UNUM SINT. Et verò Servator tam cumulatè voti sui damnatus est, ut parum absit, quin concordiam Discipulorũ inter se Ioan. 17. 22.

præ ipsa Divinarum Personarum Unitate admirer, atq; suspiciam. Quamvis autem haud sim ignarus nullã planè inter Deum ac nos comparationẽ, aut similitudinem, qualemcumq; tandẽ, intercedere posse; cùm in SS. Triade Divina prorsus sint omnia; &, si fortè ob ingenij nostri humilitatem, ac vocum penuriam aut minùs illustre, aut minùs Deo dignum videri quidpiam possit, infinitâ perfectione illud expleatur. Nihilominus, cùm in Deo unam esse naturã, unam voluntatẽ, unam Potentiam intelligamus, haud difficulter assequimur, quî fiat, ut tres Personæ concordi imperio, ac citra cujusquam invidiam regnẽt. Id verò mirandũ planè, prodigióq; simile fuit, videre Apostolos indole, ortu, studijs atq; consilijs admodũ diversos populis ad Fidem adductis unâ quodamodo voluntate ac doctrinâ præsidere. *Vt omnes unum sint.* Zeli flamis Petrus æstuabat; Joannis ingenio nihil erat pacatius, nihil lenius: Thomas Pharisæorum furias provocabat, & lapidibus caput offerebat: Andreas Baptistæ Auditor ad quietem anhelabat: Matthæ-

thæus quæstuosis artibus assvet⁹ frequentiam quàm solitudinem malebat: omnes deniq; tum inter se, tum ab illis, seu patriâ, seu arte, seu studijs diversi, ità Spiritûs Sancti flam̃is in unum quodam̃odo hominem colliquefacti, confusíq; sunt, ut è Cœnaculo ad prædicandum Evangelium egressi, uno ore, animo uno loquerentur. COR UNUM ET ANIMA UNA. Et negare quis deinceps poterit, Apostolici Collegij, hoc est hominum inter se conjunctionem ipsâ unitate divinâ exiguæ nostro in cognoscendo facultati diviniorem quodãmodo videri? *Vt sint unum*, SICUT ET NOS *unum sumus*. Quid? Si Sacrorũ Ordinum Alumnis prodigiosiorẽ inter se cõjunctionẽ esse dicam præ illa, quam in primis Religionis Christianæ Conditoribus veneramur? Certè illos, si unum vel alterum excipias, sub eodẽ cælo natos fuisse Sacræ Litteræ testantur: *Ecce omnes isti Galilæi sunt:* par omnibus stirpis obscuritas, & professionis humilitas erat; eadem Servatoris Schola omnes, atque idem Moysis sinus exceperat, atq; educaverat. At verò

Act. 4. 32.

Religiosorum Cœtuum Sodales rebus ijs omnibus plerumq; dissident. Videas illic nobiles plebeis, Principes subditis, Litteratos indoctis, Asiaticis Europęos permistos, unáq; degere, & quẽ parẽtes sui armis, & quẽ ruri pater addixerat. Hi tamẽ adeò inter se diversi, cùm in Christi Sacraria pedẽ intulerunt, continuo victu, vestitu, modestiâ, demissionéq; animi adeò consentiunt, ut non solùm uno spiritu vivere, substantiáq; constare, velut in Deo una Personis natura est; verùm una quodammodo Persona, atq; unum Corpus esse videantur: omnes eodem æris campani sono, quo vocantur, accurrunt; ijsdẽ cibis omnes utuntur; ijsdem horis omnes somnũ capiunt; omnes simul aut psallunt, aut tacent, aut legunt; majorẽ deniq; inter se quàm ejusdẽ Corporis membra, conjunctionẽ habent. UT OMNES UNUM SINT.

75. Tam prodigiosæ Concordiæ decus ac pretium ut pleniùs intelligamus, proferenda in medium est geminorum puerorũ historia, quos Toranius Marco impotentissimo, crudelissimóq; Triumviro vendidit.

dit. Erant illi,ùt insigni specie, ità tum capilli,coloris,ætatis, motuū membrorúmq; omnium compositione tā similes, ut nullâ penitus sui parte differrent. Quos cùm Institor uno partu editos diceret,adeò Consul probavit,ut ducentis sestertijs mercaretur. Eos cùm domū abduxisset Antonius, cōpellasśétq; ex illis alterū, intellexit gente Germanū esse: inde sermone ad alterū traducto, Ephesinâ linguâ loquentē miratus est. Hortatus eum itaq; ne vereretur patrio apud se sermone nullo peregrinitatis pudore uti,illóq; ingenuè fatente, illud sibi nativum idioma esse, cum stomacho acciri Mangonem jussit, gravitérq; quòd se dolo circumvenisset quest⁹; Quâ ratione,inquit, hos tu geminos mihi obtrusisti, cùm alter in Asia natus sit, alterum Germana mater in transalpinis regionibus ediderit. Hîc Toranius placidè arridens,hæc ipsa causa est, inquit, quæ me movet, ut conditionem exeā,majúsq; pacto pretium postulem. Quòd si enim hi pueri ijsdem visceribus concepti, eodem sub cælo in lucem editi, ex eadem matre geniti lacta-

tíq; ijsdem uberibus fuissent, exiguũ illud ac planè nullum foret prodigium tantam formæ similitudinem in Geminis scilicet spectari. Nunc verò cùm & hinc diversissimâ stirpe geniti, interjectísq; tot marium terrarúmq; spatijs educati fuerint, illinc verò tantam oris similitudinem in utroq; quasi unum formatura Fata expresserint, nullam satis magnã licitationem, nullum non vile pretium esse. DIVERSARUM QUIDEM GENTIUM NATALES *tam concordi figurâ reperiri*, SUPER OMNEM ESSE TAXATIONEM. Movit ea callidi mercatoris ratiocinatio ferocem Antonij animum, adeò quidem, ut & fraude delectaretur, & inter im̃ensas suas opes geminos adolescentes velut opima spolia, ac militaris gloriæ portenta, Romanæq; Potentię insignia ornamẽta deinceps ostentârit. *Adeóque tempestivam admirationem intulit, ut ille proscriptor animus, modò & contumeliâ furens*, NON ALIUD IN CENSU MAGIS EX FORTUNA SUA DUCERET. Equidem imperare mihi haud possum, quin lætitiæ, quâ mens

Lib. 7. Nat. Hist. c. 12. To. 57. 31.

mea

mea diffluit, frena laxẽ: quî enim nõ jucũdissimũ mihi sit, videre tantã in hoc Collegio Nationũ diversitatẽ, tantámque similitudinẽ Virtutis, tantã Nataliũ patriæq; dissimilitudinem, tãtámq; conjũctionem animorũ, studiorúmq; paritatem? Hoc decus, quod omnes Romanas nostræ Societatis ædes ab Ignatij Filijs, nõ patriâ modò, sed penè dixerim orbe toto cælóq; diversis, sentiendi verò volendíq; parilitate conjunctissimis habitatas illustrat, vel ipsas Beatæ illius Sionis gemmas exsuperat; ut ideò nemo non possit, immò verò non debeat exclamare: SUPER OMNEM ESSE TAXATIONEM. Mirâ profectò voluptate afficior, quòd in ea provincia educatus, retentúsque sim, in qua Nationalis Discordia, pessimæ stirpis genus, nunquam aut foliũ produxerit, aut semen protulerit, latè frondentib⁹ Pacis, ac Fraterni Amoris Ramis, & in Apostolicã prorsus cognationem succrescentibus. Nemo non voces Jacobi sonat, nullũ inter diversas licet Regiones discrimen facientis: Barbarum omnibus ignotúmque est Idioma E-

ſavi Gemellum etiã averſantis, procúlque relegari eũ cupientis, à quo Virtute ſuperatur. Mille laudes, gratiáſque mille Pacis Deo univerſi canamus, quòd hoc loco ſtabilire Thronum ſuum voluerit, paſsúſque non ſit, ut Evangelicæ hujus Concordiæ ſerenũ aut nebula turbet, aut inficiat umbra. Equidem haud diffiteor, graviſſimum Crucis hujus meæ pondus eſſe, quæ me non quatuor, ſed ſexcentis clavis confixũ per innumeros cruciatus ad mortem adigit: Quoniã verò in Provincia tam cõpoſita, tranquilla, & concordi, hic, licet duriſſimus, mihi ſtipes erectus eſt, non obduro ſolùm ac vivo, verùm in ipſis etiam tormentis exulto. *Diverſarum Gentium natales* TAM CONCORDI FIGURA REPERIRI, *ſuper omnem eſſe taxationem.* Tametſi enim, qui huc vel à glaciali Polo, vel à Zona torrida peregrè adventat, ſtudijs noſtris, quibus ad procurandã ſalutem animarum incendimur, parata præmia nõ reperiret, vel Magnæ Britanniæ Cuſtodias, vel Scythiæ ſagittas, vel ergaſtula & catenas Africæ, vel Japonum Foſſas: ſatis ha-

habebo, ſi Concordiæ illius ſtudiũ in Nobis ſuſpiciat, quam Servator Apoſtolis ſuis teſtamento reliquit, & cõmunem Fidelib⁹ omnibus hæreditatem eſſe voluit. Quamvis nec è vulneribus noſtris cruor, nec ſudor è fronte manaret; licet nec duris ſilicibus indormiremus, nec ignota maria veſtigaremus, etſi deniq; ſervitutem barbaræ Tyrannidi, quam tot alij filiorum meorũ tolerant, non ſerviremus, tot tamen támq; illuſtria trophæa ſolâ conjunctione Animorũ, mutuáq; caritate, quam in omnib⁹ erga omnes ardere deprehendo, abundè penſari exiſtimabo. SUPER OMNEM ESSE TAXATIONEM.

76. Neq; verò ſolus ego pretium Charitatis extollo, atq; hanc veluti Evangelicã Margaritam vel ipſi Dei Regno, hoc eſt perfectiſſimæ virtutis omnis imagini, quã exprimere in ſe Orthodoxi omnes jubentur, aut præſtare, aut certè nihil concedere arbitror, verùm ipſe quoq; Pater Æternus eam veluti perfectiſſimam divini ſui Tabernaculi formã conſtituit. Geminos illi Cherubinos auro fuſos puriſſimo Cu-

ſtodes addidit: à quibus tamen nollet vel prono in terram vultu, vel flexis genibus æquabili corporum poſitu id aſſervari, vel adorari, eo videlicet modo, quo Sacerdotes Euchariſticum Ferculum ſuper Aram venerantur. Voluit imò, ut alter ab altero, quàm poſſet longiſſimè, planéq; ad contrariam partem recederet. *Duos Cherubinos aureos & productiles facies* EX UTRAQ; PARTE ORACULI. *Cherub unus ſit in latere uno*, ET ALTER IN ALTERO. His ità conſtitutis, juſſit geminos Angelos ſic effingi, ut oculos non quidẽ in Propitiatorium, ſed in ſe mutuò converterent. RESPICIANTQUE SE MUTUO. Quibus verbis id ſignificare Deum voluiſſe exiſtimo, haud ſibi curæ eſſe, ut in Arcã, séq; ipſum oculos conjiciant, ſi modò mutuo aſpectu defigerentur. Hinc enim dicebat Miniſtros meos diſcere cupio, magìs eorum concordiam, ſtudiúmq; mutuò ſe juvandi mihi cordi eſſe, quàm ut me ſubmiſſo vertice, flexíſq; poplitibus venerentur. *Reſpiciántque ſe mutuò.* Æternam quippe Cõditoris Sapientiã haud quaquã fugiebat,

Exod. 25.18.

ebat,fore,ut mutuos, amicósq; Beatorum Spirituum intuit⁹ consequeretur attentissima, obsequiosissimáq; Divinæ Arcæ custodia. *Respiciántque se mutuò*, VERSIS VULTIBUS IN PROPITIATORIUM. Quòd si enim se diligent, honoris quoq; mei amorẽ, studiúmq; concipient, quantóq; alter in alterius cōmodis promovendis oculatior fuerit, tantò magìs conservandæ Divini Cultûs dignitati, ac Sacrorum Thymiamatum fragrantię advigilabunt. *Respiciántque se mutuò, versis vultibus in Propitiatorium.* Et verò, nemo est, qui nesciat, in Religiosis illis Cœtibus, in quib⁹ Lux ista Charitatis, mutuæq; Concordiæ illibata resplendet, nec ullis umbris inficitur, Religiosæ Disciplinæ, atq; animorum studia vigere, Pietatem efflorescere, omnẽ deniq; virtutẽ sine controversia regnare. Sic est profectò: quò enim privatę erga populares suos affectiones pedẽ vetantur inferre, eo loco propriæ abjectionis & edomandi corporis studiũ, sentiendi præstantia, dicendi ardor, atq; universæ vitæ honestas dignitásq; im̃ota consistunt. At ubi vel

vel levia Discordiæ nativæ vestigia extant, continuò ex illis etiã Cœtibus, qui austeritatem vitæ insignẽ profitebantur, tum Sapientia, tum Modestia, Contemplationis, strenuarúmq; actionum exercitatio, leges ipsę, pulcherrimæq; sanctiones ex ore Numinis à Sanctissimis viris exceptę migrare, factóq; agmine profugere videntur. Quã obrẽ si Dei Sacrarium fideli custodiâ septum, ac cælestibus donis exornatum instructúmq; conservare, adeóq; SS. Triados consultũ honori cupimus, necesse est, ut mutuò nos respiciamus, animósq; nostros mutuis nexibus illigatos Cruci adstringamus. RESPICIANTQUE SE MUTUO, *versis vultib⁹ in Propitiatoriũ.*

77. Atq; hæc illius est forma, qui referre Angelum cupit: tali se amore, mutuóq; aspectu complectuntur, qui Cherubini instar Divinæ Legis Custodes, ac cælestium Mysteriorũ Præcones Mundo se probant. *Respiciántque se mutuò.* Quo circa nemo Angelicâ formâ præditum, Apostolicámque ejus effigiem esse dixerit, cujus animo privati affectûs præstigię sic illuserint, ut alie-

lienigenas averſetur, neminémq; præter Cives ſuos diligat: quæ quidē ſuma Religioſi hominis infelicitas, atq; pernicies eſt. Quòd ſi enim Cherubinus ille, atq; Arcæ Divinæ Cuſtos eſſet, in eum potiùs converteret oculos,qui ex adverſa regione, ſibi objicitur quidē, eodem verò ſecum veſtis habitu, & Religione utitur. *Reſpiciántque ſe mutuò*, quamvis alter in oppoſitum latus ab altero recedat. Et fortè ferri quodam̄odo poſſet hoc Diſcordiæ malum, ſi nos infra Archangelos deprimeret. Verumenimverò in eam humilitatē nos abjicit, ut apud Deum potiori loco ſint bruta Elemēta, quàm Sacerdotes rationis compotes. Quam meam ſententiā non piè magìs,quàm acutè confirmans S. Ambroſius animadvertit,im̄enſam illam Aquarum eluviem,quę totū terrarum orbem occupaverant, tantóq; à ſe intervallo ſejunctæ erant, ad primā Conditoris vocem coijſſe, ſeſéque in præparatas ab eo voragines recepiſſe. *Dixit verò Deus:* CONGREGENTUR AQUÆ *in locum unum.* ET FACTUM EST ITA. Nimirum tumul- *Geneſ. 1. 9.*

mul-

multuosissimi Elementi moles imensæ in fœdus coëunt, cùm humanos Animos interdũ reperire sit, qui, licet sint Chrismate consecrati, divinâ Gratiâ corroborati, Legibus obnoxij, à Mundo secreti, & in ipsa Numinis Sacraria introducti, concordiã tamen recusant. Eapropter Ambrosius. *Dictum est*, inquit, *congregetur Aqua, & congregata est. Frequenter dicitur*, CONGREGETUR POPULUS, ET NON CONGREGATUR. *Non mediocris pudor est*, IMPERIO DEI ELEMENTA PARERE, ET HOMINES NON OBEDIRE. Jam verò si profanæ plebis discordia, populíq; nullo ad virtutẽ cultu eruditi, ac vix bene Baptismo tincti dissidia tantopere sanctissimum Præsulem offenderunt, in quantas iras assurrecturum, quę orationis fulmina jacturũ fuisse putas, si quando simultates inter Animos sanctitati consecratos, & in ipsis Omnipotentis Dei Adytis factas secessiones deprehendisset? *Frequenter dicitur congregetur populus; & non congregatur.* Neque hîc mihi de rudi plebecula, vel de vulgo Apostolicæ Sã-

Lib. 2. Hexam. c. 1. To. 10. 106.

cti-

ctitatis experti ſermo eſt: de ijs loquor, qui poſtquam Mundum, quantus quant⁹ eſt, univerſum Aris Hoſtiam devoverunt, ſubinde Holocauſti longè nobiliſſimi obliti coronã ſanctitatis in ſerviles catenas, quib⁹ aut alijs ſeſe terris alligari, aut ab alijs violenter abſtrahi ſe fœdiſſimâ patientiâ ſuſtinent, degeneri converſione cõmutant. Exclamat proinde Apoſtolus, atque ego, quantâ poſſum vocis contentione cum eodem vociferor. NON EST DISTINCTIO JUDÆI ET GRÆCI. *Nam idẽ Dominus omnium.* Rom.10.12 Non patitur Paulus inter Gentes linguâ, ditione, moribus diverſiſſimas ullum diſcrimen ſtatui, eam ſolùm ob cauſam, quòd cõmuni Conditori ac Domino ſubſint: & negare nos poſſumus, omnẽ inter eos, quibus idem veſtium cultus, Lex una, idem Legislator, unũ imperium eſt, differentiam ac diverſitatẽ ſacrilegij cujuſdã ſpeciem præferre? Quòd ſi verò hoc unquam, in remotis videlicet Regionibus, vel pauciſſimorum vitio eveniret, eos ego ad Alexandri Macedonum Regis acerrrimi tantæ abjectionis Cenſoris

ris tribunal sisto, qui universum Orbem terrarum, ceu gemmam ex Erythræo, aut
Lib. Svasor. To. 9. 140. milij granū complexus est. *Alexander Orbi magnus est: Alexandro Orbis angustus est:* id quod Ethicorum Princeps de Regum maximo litteris prodidit. Nempe ambitiosi Idololatræ pectus omnia Terrarū Regna non impleant; & illius animus, qui Christo se in servitutem addixit, & Apostolis successit, tam angustus sit, ut Civitas eum interdum una, & nonnunquā Oppidulū unum sic expleat, ut nullā præterea de cætera terra glebā admittat? Itáne verò Nos, quorū est, omnes Mundi veteris ac novi, detecti atque incogniti plagas amplecti, ab amore nostro eas regiones omnes excludemus, quæ nobis patriæ non sunt? illos fovebimus, illos diligem⁹, qui eandem nobiscū auram in cunis hauserunt, cæteros omnes, qui extra Civitatem nostram geniti sunt, negligemus, & neque curâ, neque amore nostro dignabimur? At enim, *Non est distinctio Iudæi, & Græci.* Gentium Magistro potiùs auscultemus sinus nostros in
2. Cor. 6. 13. im̄ensum laxanti. *Tanquam filijs dico: Dilatami-*

tamini & vos. Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quibus verbis eos, qui Patriam suam duntaxat ad animum admittunt, in censum Ethnicorum referre Vas Electionis videtur. *Dilatamini*: Non enim, ut fortè putant aliqui, levi piaculo se adstringit, qui eos, quos patriæ suæ mœnia non claudunt, à pectore suo pariter excludit. Enimverò vox me, animúsque deficit, quoties diras illas considero, quibus Deus Am̃onitarum ac Moabitarum populos devovit: cùm eos, latâ lege, à Templi forib⁹ in perpetuum arcuit, vetuítq; ad Sacrificiorum, Victimarum, ac cæterorum sacrorum Rituum com̃unionem unquam admitti. *Ammonites, & Moabites,* ETIAM POST DECIMAM GENERATIONEM *non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum.* Secundùm hæc funestissimi supplicij causa exponitur in hunc modum: *Quia vobis noluerunt occurrere cum pane & aqua* IN VIA, QUANDO EGRESSI ESTIS DE ÆGYPTO. Hoc loco Petrus Damiani vehementissimè ictus, consternatúsque ità differit. Quòd si, inquit, huic Natio-

Deuter. 23. 3.

tioni ſpes omnis ſeſe Levitarum conſortio jungendi in omne ævum abſcinditur, eò quòd Hebræas phalanges, hoſtiles certè, atq; armis paſſim arces oppidáq; in ſervitutem redigentes, ſed in itinere tamen cõſtitutas, & peregrinas hoſpitio excluſiſſet: ecquod demum earum ſolitudinum ac Cænobiorum excidium erit, à quorum inquilinis peregrè adventantes haud magnopere diliguntur? *Nam ſi gentes illæ, legem non habentes, idcirco ab Eccleſia Dei irrevocabiliter excluduntur*, QUONIAM INIMICIS ETIAM SUIS *per humanitatis officiũ* OCCURRERE NEGLEXERUNT: *quàm terribili ſententiâ digni ſunt*, QUI CHARITATEM FRATRIBUS NON IMPENDUNT.

Opuſc. 8. To. 16. 127.

78. Et quamvis iſta haud leviter animum meum moveant, longè tamen majori horrore concutior, cùm in ſacris Litteris lego, ſeveriſſimis pœnis maximóq; Numinis odio vapulâſſe decẽ Tribus, perpetuæq; ſervituti mancipatas fuiſſe, ob eam ſeceſſionem, quâ ſe ab alijs duabus Beniamini videlicet, ac Judæ diviſerunt, quam-

vis ea non prorsus iniqua videretur, siquidem Deo non probata, ab eo tamen prænunciata oraculo fuisset. A me quoq; inquiebat Deus, secedite, quotquot dissidiorum, ac secessionis hujus auctores extitistis, neq; unquam porrò dilecti mihi populi nomen habebitis. *Projecitque Dominus omne semen Israël, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium,* DONEC PROJICERET EOS A FACIE SUA: *ex eo jam tempore*, QUO SCISSUS EST ISRAEL A DOMO DAVID: Seu, ut legunt Hebræi. *Reprobavit Dominus omne semen Israël, donec projiceret eos à facie sua,* QUONIAM SCIDIT ISRAEL A DOMO DAVID. Certè Roboam⁹ superbè supplices rejecerat, & insolenti responso justæ indignationi fomitem ministraverat: & tamen nec impotentis Regis fastus; neq; vectigalium gravissima onera; neque contemptus Civium; neque irrisæ miserorum lachrimæ; nec minarum acerbitas, & denunciatorum suppliciorum inhumanitas Tribuum secessionem excusare, aut ulla ex parte cohonestare potuerunt.

4. Reg. 17. 20.

runt. *Quoniam scidit Israël à domo David.* Expendat modò unusquisque secum, utrũ ijs, qui in oculis Christi, pacem atq; concordiam sanguine suo auctorantis, discessionem moliuntur, ull⁹ excusationi locus, ac venia ulla supersit, cùm neq; flagris concisi, neq; violentis exactionibus vexati, nec ludibrijs atq; injurijs traducti, nec denique servitute oppressi, pessundatíq; fuerint? Dici profectò nequit, quantopere Deus Caritatem ac concordiam inter Famulos ac Fideles suos vigere cupiat. Haud enim dubitavit Filium suum tot cruciatib⁹, barbaræq; adeò carnificinæ objicere, quòd speraret scilicet Apostolos patrij soli oblitos in remota Regna sese partituros esse, ut unum ex omnibus Provincijs Regnum, & Ovile constituerent. *Percutiam Pastorem, & dispergentur Oves Gregis.* UT REPLEATUR TOTUS ORBIS TERRARUM GREGE CHRISTI: quam sententiã S. Ambrosius priori attexuit. Mortem itaq; Jesus oppetat, dum Mundus in unum cogatur, & omniũ Gentium tametsi diversissimarũ inter se, Mens una fiat, &

Matth. 26. 31. Ser. 2. in Psal. 118. To. 10. 294.

Cor

Cor unum. Porrò istud alienigenas conjungendi, & privatas erga patriam affectiones eliminandi consilium multis antè seculis Æterna Sapientia declaravit, eo scilicet tempore, cùm Salomonici Templi toto Orbe celeberrimi consurgere moles cœpit. Hîc potentiæ suæ Regiam, & Oraculorum suorũ Cortinam esse voluit. Passus tamen haud fuit, ut in ejus Ædis structuram, marmor, lignum, aut metallũ ullum conferretur, quod ea terra protulisset, nec aliunde ac peregrinis è Regionib⁹, fuisset advectum. Aurum Ophiræi montes, Cedros ac Marmora Tyrus ac Sidon misêre. Eam itaq; molem tam amplã, atq; magnificam sacrorũ Cænobiorum & Ecclesiæ Christi Typum miratus S. Bruno in hanc sententiam scripsit. Huc adeste, huc oculos animósq; convertite, qui comũnis erga omnes caritatis decus contemnitis, & amorem vestrum patriæ vestræ limitibus circumscribitis. Ex hujus Ædificij magnitudine discite, quàm turpes hæ pectoris vestri angustiæ sint, & vel ex ipsis arboribus, ac lapidibus cognoscite, quàm vene-

nerari extraneos, & cum remotis populis amicitiam jungere, vos oporteat. *Aurum, & lapides, & ligna, cæteráque* QUIBUS TEMPLUM *Dei constructum est*, NON IBI NATA, SED ALIUNDE ALLATA SUNT. *Sic igitur & Ecclesia* EX OMNIBUS GENTIBUS ÆDIFICATA, *omnes homines recipit*. Id quod universum Rex Vates animo percepit, cùm caneret: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Synagogam, inquit, Mosaicam Ecclesia Christi excipiet, tantò illa gloriosior, quãtò Mosem Messias naturę divinę tum Hypostasi, tum dignitate superat. In ea magno numero prodigia coruscabunt, & Bonæ Artes florebunt: ejus monitis obtemperabunt Rerum Domini, & omnes Terrarum Orbis partes cultum atq; obsequiũ deferent. Neq; tamen hæc sunt, quæ, ut eam huic nostræ præponam, me movent; Alię illius gloriæ, longéque illustriora sunt decora. Quippe patrimonia sua Sectatores Evangelij ad Apostolorum pedes abjicient: innumerabiles erunt, qui magnas Majorum opes, avitásque ditiones, ac pater-

Libell. de Laud. Eccl.

Psal. 86. 4.

terna Regna Crucis venerationi postponent, seséque ad Cænobia conferent. Infinita eorum multitudo futura est, qui suū in Deum Amorem ac fidem fortunarum omnium, & ipsius etiā vitæ impendio profitebuntur, colla securibus offerent, ferarum belluarum rictus provocabunt, aquis haurientur, flamis redigentur in cineres. At neque hæc illa sunt trophæa, vel tā nova, vel tam insignia, ut me in stuporem dare possint. En quid mirer, quid stupeam: *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.* ECCE ALIENIGENÆ, ET TYRUS, ET POPULUS ÆTHIOPUM: *hi fuerunt illic.* Hæc nimirum amorum, animorúmq; conjunctio inter remotos adeò, diversósque populos inita cælo ipso majus aliquid, atque augustius ostentat.

79. Jam verò quò copiosior Gloriæ fructus ex hac animorum conjunctione percipitur, eò turpior egestas, majúsq; dedecus nobis incumberet, quæ non solùm illam laudem nobis adimeret, verùm etiā publicâ ignominiâ nos notaret, si distracti in partes, & in factiones divisi, non perin-

de erga alienos atq; advenas, quàm consanguineos & cives animo essemus affecti. Cùm enim rerum contrariarum Virtus in contraria pariter effecta simili ratione desinant, consectarium est, ut si laudem, gloriámq; parit Concordia, infamiam vicissim Divisio generet. Si enim adeò Deo hæc voluntatum consensio, atq; ea, quâ Extraneos complectimur Caritas, placet, necesse est, ut Discordiã vehementissimè oderit, atque persequatur. *Ex eo tempore quo scissus est Israël à Domo David.* Videamus modò, quid causæ sit, quòd Religiosis Cœtibus tam invisa, & sacris Evangelijs tam odiosa esse meruerint ea studia, quibus gentiles proximósque complectimur, & ab alienis remotísque discedimus. Atque ego quidem id inde provenire conjicio, quòd Rationem multóque magìs voluntatem damnat⁹ ille affectus magnopere perturbet, atque corrumpat. Ubi enim privatus hic erga Patriam nostram affectus semel animum occupavit, nulla est seu facultatis tenuitas, seu vitij fœditas, quæ nobis non fucum faciat, quæ non e-

gre-

gregia prçclaráq; nobis res videatur. Haud ſatìs, quid ſentiam expoſuero, niſi Sacros Scriptores, ipsúmque Paulum Apoſtolum imitatus divinarum Litterarum interpretationi, Sanctorúmque Doctorum præceptionibus quædam interſeram, quæ Fabulas, profanámq; Philoſophiam ſapiant. Ulyſſes, poſt expugnatas celeberrimas urbes cum victrici Claſſe plenis velis Ægæum mare ſulçat, nautáſque, ut remis incumbant, cursúmque præcipitent, idemtidem hortatur. Quò verò tu cum tanto apparatu, tantáq; feſtinatione? Ithacam, inquit. Ain' verò tu, Ithacam? Illam ipſam, refert, ut reviſam, ut poſtliminio amplectar. Itáne autem, ut ad infelices illos ſcopulos, deſertum littus illud, ſteriliq; arenâ circumdatum, obſcurum, ignotum Oppidulũ, navim appellant, tot Claſſiarij, tot milites Pelagi furias laceſſunt, & tot Provinciarũ imperium ultrò deſerunt? Sic eſt, reponit Ulyſſes, additq; non ignorare ſe, quàm infelix ea ſit regio, quàm ſterile ſolum, quod petat. Sibi tamen agellum quemlibet qui ex arenis patrijs extet, felicis inſtar Cam-

paniæ, omnem ſcopulum Olympo celebriorem, Agricolas omnes, totidem veluti Achilles, Hectoréſq; videri; cúmq; ipsũ fumũ, qui ex obſcuris mapalibus erumpat, quovis thure Cinnamomóq; ſvaviùs ſibi olere. Quid multis? minori deſiderio Agamemnon ad Mycænarum magnificas Arces, quàm Græcorũ callidiſſimus ad Ithacæ ſuæ tuguria vela faciebat. At itineris illius rationẽ referentẽ Senecã audiam[9]. U-
Epiſt.66. al. 67. LYSSES AD ITHACÆ SUÆ SAXA SIC PROPERAT, *quẽadmodũ Agamemnon ad Mycænarum nobiles muros. Nemo*
Io. 9. 51. *enim Patriam*, QUIA MAGNA EST, AMAT, SED QUIA SUA. En perverſę in Patriam populareſq; ſuos affectionis portentum! En ut Viris cæterà præſtãtiſſimis illudat, & ridiculâ mendacíq; rerũ viliſſimarum ſpecie imponat. Nempe qui eâdem in Urbe, quæ nos aluit, natus eſt, quantumvis craſſæ Minervæ homo, rerúmq; gerendarũ rudis ſit, is nobis ad omnia ſumma natus, & ſapientiſſim[9] videtur: adeóq; eum è Pigmæo Gigantem facim[9]. Hinc eſt, quòd tales eos in publicis, arcaniſ-

nísq; Informationibus deſcribamus, quales nobis privatus affectus depinxit: cum ingenti tum Graduũ, tum Munerum injuria, quæ videlicet in indignos, amicitiâ nos fallente, conferimus. Amatur nimirum, non qui amore noſtro dignus eſt, ſed qui fortunâ naſcendi factus eſt noſter. *Non quia magna*, SED QUIA SUA. Itaque ruditatem ejus, candorem ac ſimplicitatem interpretamur; incuriam, ambitionis fugam; ſuperbiam, magnanimitatem; Litterarum, ſolitudinis, Cellæ odiũ, ardorem animi, & ſalutis alienæ ſtudiũ vocitamus. Quam ob rem velut ille apud Horatium in omni tabella Cupreſſum expingebat; ità nos amicum cuilibet gerendæ Provinciæ, muniiſq; omnibus cum dignitate obeundis aptiſſimum prædicamus. Quo fit, ut Cœtus Religioſi eorum, qui amori ſuo intemperantiùs indulgent, fraude capti malè adminiſtrẽtur, & vel peſſumeant, vel certè incrementum capiant nullũ. *Nemo Patriam amat, quia magna eſt, ſed quia ſua.* Rem fabulæ ſimillimã, veram tamen accipite. Primis ſtatim menſibus

sibus, cùm hanc Præfecturã adijssem Vir gravissimus, rebúsq; gestis haud mediocriter exercitatus è celebri Societatis nostræ Provincia geminum bene longum Indicē ad me misit, tantâ incorruptæ fidei asseveratione, ut eos ego haud aliter, quàm Sancto Spiritu dictante conscriptos legerim. In altero Syllabum texebat complurium Sacerdotum, quos ipse judicaret ob vitæ integritatē, Religiosæ Disciplinæ studium, facultates eximias, Doctrinæ sanitatem, & Virtutis ardorē omni veneratione dignissimos, & cuilibet Magistratui gerendo nō pares modò, verùm etiam natos, factos esse. Alter Catalogus erat eorū, quos bonus ille, ac miseris modis deceptus senex haud paucos recensebat Viros famâ illustres, & in Tabularijs nostris celebres: quos tamen ille remissæ Virtutis, indomitarum cupiditatū, tumultuosi ingenij, manifestæ licentiæ, ac facultatis penè nullius accusabat. Ego subinde, ut tā liberum indicium comprobarem, quâ quisq; patriâ esset ortus, requisivi. Quis crederet? Nullus eorum, quos Index tantopere celebra-

verat, non eodem, quo ipſe, oriundus loco erat: omnes alij, quibus nigrũ Theta affixerat, extranei, diverſáq; in Regione nati. Tum enimverò chartã diſcerpſi, & mendaciſſimi Nuncij privatum erga patriã, nationémq; ſuam ſtudiũ deteſtatus, eas illi litteras reſcripſi, quas juſta ira, facinoris indignitas, & fraudis turpiſſimæ, ſive de induſtria compoſitæ, ſive imprudenter, ob amoris præjudicium admiſſæ iniquitas poſtulare videbantur, & prodigioſæ impoſturæ vehementer offenſus, monſtrum illud fœdiſſimum mecum execrabar, ac devovebam. Heu me miſerum! inquiebam, ſi homini canitie muneribúſq; adminiſtratis venerando fidem adhibuiſſem! Siccine Viri graviſſimi tam miſerè inſaniunt, cùm Nationali Spiritu ebrij aguntur. Ite jam ac dicite Senecã errore lapsũ fuiſſe, cùm Patriam diceret unicuiq; cariſſimam, non eò, quòd famâ celebris, ac potens viribus illa ſit, verùm quòd in ea primam lucem aſpexerit, ac ſubinde adoleverit. *Non quia magna, ſed quia ſua.* Itaq; Viro illi omnes Populares nullis penitus vitijs urgeri, atq; omni

mnì ex parte beati videbantur: nullus verò eorum, qui diversam ab eo patriã essent sortiti, rebus nostris idoneus putabatur. Omnes igitur, qui Religiosos Ordines salvos cupimus, D. O. M. obsecremus, ut hanc plusquam Babylonicæ Perturbationis Arcem funditus eruat, ac luem exitiosissimam procul ab omni illorum ditione submoveat: nempe quæ Religiosi Regiminis Cælum oppugnare non cessat, dum fœdas Larvas, & Virtutis omnis inanes velut aurea Sidera ostentat, & saluberrima illustrissimáq; Societatis Lumina, tanquam fatales exitialésq; Cometas traducit. Actum de nobis est, Patres, nisi nos ab hac peste, quæ Ismaëles Isaacis anteferre, & pulsis in exilium Jacobis Esavos attollere in thronum consvevit, potentissimis præsidijs suis Bonus Deus servaverit. Quemadmodũ si, quod nativum atq; congenitum est, in hortis nostris duntaxat coleremus, nihil præter filices, lappásq; meteremus: ità in Cænobijs quoq; quantamlibet vitæ austeritatẽ professis, cùm patriæ, gentilitatis, ac necessitudinum suarũ ma-

jo-

jorem, quàm promeritorũ ac dignitatis rationem habuerint, novissimi primis anteibunt, & ij ipsi, qui obtegi modio tenebrísq; damnari debuerant, aurea Candelabra clarissimorũ Munerũ occupabunt.

80. Neq; verò vel minora, vel leviora sunt incom̃oda, quæ abalienatio animi parum erga eos, qui alio sub Cælo nati sunt, propitij, aut etiam infesti producit. Enimverò horrorem nobis meritò debet movere Dioscori Alexandrini Patriarchæ vecors amentia, qui ut Flaviano Bizantino Præsuli ægrè faceret, omnem lapidẽ movit, ut Episcopi, quos corruperat, in frequenti Synodo Eutychetem Hæresiarchã ab illo damnatum absolverent. Neq; sacrilegum hominem Ecclesiasticis pœnis exemisse contentus Antistes impius, ipsam quoq; ejus Hæresim ab impietate absolvit, & Orthodoxam pronunciavit: quin ut æmulum suum, si fieri posset, ad desperationẽ adigeret, cum Eutychete conjuravit, dúmque hic Episcopi sui minas ridet, ipse totã illius Diœcesim quanta quanta erat pestiferis erroribus, & in Christum e-

jús-

júſq; Eccleſiam blaſphemis dogmatib⁹ infecit. Lubet S. Leonem audire, qui diſcordiâ furentis Antiſtitis rabiem hiſce verbis deſcribit. *Magnum facinus, Alexandrino Epiſcopo Authore, commiſſum eſt, ut,* DUM IN FRATREM NOSTRUM FLAVIANUM VETERES ÆMULATIONES *& odia privata deſæviunt,* NEC INNOCENTIÆ PROBATISSIMI SACERDOTIS, NEC CHRISTIANÆ FIDEI PARCERETUR. Eo uſque ſe diſcordia & animorum abalienatio provehit, ut ne Religioni quidem parcat, Emiſſarios Luciferi Aris imponat, Hæreſes approbet, & Hæreſiarchas defendat. Atq; hæc Monſtrorum genera præcipuis quibuſq; Sacrorum Ordinum Cœtibus ſe inferunt, niſi privatæ ſimultates, & partium ſtudia tollantur. Quod verò flumen, quod pelagus extinguere Diſcordiæ flammas poterit, quæ animos divino cultui mancipatos ſemel corripuêre? Cedò mihi, inquit S. Chryſoſtomus, hominē quantumvis impium, & ego eum tibi brevi tēporis ſpatio emendatum dabo. Non perin-

Epiſt. 29. To. 27. 7.

inde de ijs differo, quorũ animum Difcordia infedit. Fel enim,quo iftorum corda livent,omnibus Hydris nocentius,quò magis temperare ftudueris, eò fe ampliùs diffundit, atq; exæftuat. Nullum eft vitium, quod Præfidum fermo,induftria,virtus,ac vis non expugnet. Sola Animorum Diffenfio tum divina Antidota, tum Apoftolorum arma eludit. Fuit, qui in Corinthi Catacumbas Orcum ipfum, inauditâ vel inter Ethnicos libidine, inferret, is tamen ab Apoftolo abfente licet, unâ alteráve fententiâ in ruborẽ datus, & paternâ monitione reductus ad frugem fuit, &, uti teftatur os aureum, *Brevi correctus eft.* At verò ut Cainus odia poneret,& invidię atque æmulationis virus evomeret, aut certè infringeret, ipfi⁹ Numinis potentia fruftra fuit. Admonuit hominem Deus,blandè hortatus eft,fuppliciorũ metu, fpe præmiorum folicitavit. *Sed fanatus non eft.* Exclamat eam ob rem Doctor eloquentiffimus: *Hoc vitium fornicatione pejus eft.* Quin igitur, quotquot Religiofis Cœtibus cum imperio præeftis, fpem omnem omittitis

Hom. 44. ad Pop. Antioch. To. 2. o. 137.

operæ veſtræ fructum ullũ percipiendi, ſi quando Domus veſtras Nationalis Affe-ctûs furor invaſerit. Equidem languidos confirmabitis, vulneratos curabitis, in viã errantes, & prolapſos reſtituetis in gradũ, quâvis cryſtallo puriores reddetis, qui nuper à pice ſordebant; ignavos & bonorũ operum pertæſos in altiſſimũ Sinai Verticem promovebitis; in Apoſtolos denique ipſos quoq; Transfugas fingetis. Eos verò, quos patriæ, populariúmq; ſuorum amor faſcinavit, ut ne attingatis ſvadeo: ea enim peſtis neq; Balſamo depellitur, neq; igne purgatur. *Deo ipſius ulceri curam afferente, magis intumeſcebat, & fluctuabat, & ad cædẽ properabat.* Hac ſententiâ Chryſoſtomus animadverſionem ſuam obſignat, ac nobis omnẽ ſpem averſionibus animorum medendi penitus abſtulit.

81. Hîc aliqui Naturã accuſant, quę caritati erga extraneos obſtet, vehementiſſiméq; repugnet. Quàm autem diverſa origo, nataléq; ſolum quàm multiplex, variúmq; primis illis Chriſtianis fuit, qui Apoſtolorũ oratione perſvaſi, Evangelio ſe ſubmi-

misêre? *Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui* Act. 2. 9.
habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ, & advenæ Romani, Cretes & Arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Et de his tamen tot, támq; varijs populis S. Lucas testatur. *Multitudinis autem credentium* Act: 4. 10.
erat cor unum, & anima una. Id quod tũ scilicet accidit, cùm se animo Spiritus Sanctus infundit. Cùm Virtus in perturbationes dominatur, nulla nationũ ac naturę diversitas quidquã virium habet. Fidem vestrã testor, quantũ illud Chaos rerũ est, quod spectatorum oculis Theriacæ Compositores exponunt, antequam unà confundãtur! Ingens aromatum vis, herbarũ, pulverum, succorũ im̃ensa copia prostat. E septuaginta tamen pluribus medicamentis pistillum unũ è buxo, aut pilum Cerrinum paucorum carbonũ ope unũ aliquod corpus efformat colore, sapore, virtute nullâ ex parte diversum, ut res tam multiplices nemo inter se distinguere, nemo aliã ab alia possit arte ullâ separare. Jam verò pos-

ſumúſne pati, ut majorẽ in mortario conjunctionẽ lignum, quàm in Religioſis Ordinibus Divinus Spiritus efficere poſſit? Tot res virtute, formâ, ortu diverſiſſimæ in unum Medicamentum coaleſcant; & animorũ conſenſioni Servi Chriſti obſtabunt? Quid? Amygdali robuſto ſtipiti Perſicæ arboris tenuem ſurculũ Agricola inſerat, continuò Truncus ille peregrinam ſtirpem tanto amore complectitur, ut propriorum fructuum oblitus, totum ſe in admiſſi Hoſpitis poma tranſmutet. Quo verò pudore ſuffundendos, quibus oculis à Chriſto Concordiæ Auctore aſpiciendos eos exiſtimas, qui cùm conjunctionẽ cum extraneis ultra Naturæ vires eſſe cauſati ſint, mendacij ſe coargui à pomarijs deprehendent, fructus à ſtirpe ſua ramíſque omnibus diverſos oſtentantib⁹?

82. Sed exſcindantur ſanè Arbores univerſæ, quæ difficultatis illius, quã objiciebamus, vanitatẽ nobis exprobrant. Non placent exempla Truncorum, & ſensûs expertium ſtipitum. Conjugio nexos, & Patres Familias producam, qui majori erga

ga peregrinos, quàm erga proprios Hæredes caritate flagraverint. Geminos Juvenes peregrè adventantes ędibus suis Loth⁹ exceperat, & quoniam infamis illius Civitatis Tartareis flam̃is, ipsóq; Cacodæmone possessa Nobilitas Hospitibus illudere tentabat, Angelica illa forma, ad obscænum infandúmq; flagitium stimulos addente, Patriarcha optimus ruentis libidinis impetum objectis duabus ex se natis puellis sistendum duxit. *Nolite*, inquit, *fratres*, *nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt Virum: educam eas ad vos, abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo Viris istis nihil mali faciatis.* Nemo vestrûm ignorat, quàm acerbum illud vuln⁹ sit, quod per illatum sanguini suo, à feminis potissimùm, dedecus infligitur. Maluit tamen innocentissimus, ac nobilissimus Vir, fœdissimâ prostitutione maculari genus suum, quàm duorum hospitum, non è diversa duntaxat, verùm etiam ignotâ prorsus Patriâ appulsorum honorẽ in discrimen dare. Sum̃i, infimi, Senatores, Mãcipia, equestris plebejúsq; ordo, inquiebat, Genes. 19. 8.

paniæ, omnem ſcopulum Olympo celebriorem, Agricolas omnes, totidem veluti Achilles, Hectoréſq; videri; cúmq; ipsũ fumũ, qui ex obſcuris mapalibus erumpat, quovis thure Cinnamomóq; ſvaviùs ſibi olere. Quid multis? minori deſiderio Agamemnon ad Mycænarum magnificas Arces, quàm Græcorũ callidiſſimus ad Ithacæ ſuæ tuguria vela faciebat. At itineris illius rationẽ referentẽ Senecã audiam⁹. U-

Epiſt. 66. al. 67. Io. 9. 51. LYSSES AD ITHACÆ SUÆ SAXA SIC PROPERAT, *quẽadmodũ Agamemnon ad Mycænarum nobiles muros. Nemo enim Patriam*, QUIA MAGNA EST, AMAT, SED QUIA SUA. En perverſę in Patriam popularéſq; ſuos affectionis portentum! En ut Viris cæterà præſtãtiſſimis illudat, & ridiculâ mendacíq; rerũ viliſſimarum ſpecie imponat. Nempe qui eâdem in Urbe, quæ nos aluit, natus eſt, quantumvis craſſæ Minervæ homo, rerúmq; gerendarũ rudis ſit, is nobis ad omnia ſum̃a natus, & ſapientiſſim⁹ videtur: adeóq; eum è Pigmæo Gigantem facim⁹. Hinc eſt, quòd tales eos in publicis, arca-

níſ-

niſq; Informationibus deſcribamus, quales nobis privatus affectus depinxit: cum ingenti tum Graduũ, tum Munerum injuria, quæ videlicet in indignos, amicitiâ nos fallente, conferimus. Amatur nimirum, non qui amore noſtro dignus eſt, ſed qui fortunâ naſcendi factus eſt noſter. *Non quia magna*, SED QUIA SUA. Itaque ruditatem ejus, candorem ac ſimplicitatem interpretamur; incuriam, ambitionis fugam; ſuperbiam, magnanimitatem; Litterarum, ſolitudinis, Cellæ odiũ, ardorem animi, & ſalutis alienæ ſtudiũ vocitamus. Quam ob rem velut ille apud Horatium in omni tabella Cupreſſum expingebat; ità nos amicum cuilibet gerendæ Provinciæ, muniiſq; omnibus cum dignitate obeundis aptiſſimum prædicamus. Quo fit, ut Cœtus Religioſi eorum, qui amori ſuo intemperantiùs indulgent, fraude capti malè adminiſtrẽtur, & vel peſſumeant, vel certè incrementum capiant nullũ. *Nemo Patriam amat, quia magna eſt, ſed quia ſua.* Rem fabulæ ſimillimã, veram tamen accipite. Primis ſtatim men-
ſibus

ſibus, cùm hanc Præfecturã adijſſem Vir graviſſimus, rebúſq; geſtis haud mediocriter exercitatus è celebri Societatis noſtræ Provincia geminum bene longum Indicẽ ad me miſit, tantâ incorruptæ fidei aſſeveratione, ut eos ego haud aliter, quàm Sancto Spiritu dictante conſcriptos legerim. In altero Syllabum texebat complurium Sacerdotum, quos ipſe judicaret ob vitæ integritatẽ, Religioſæ Diſciplinæ ſtudium, facultates eximias, Doctrinæ ſanitatem, & Virtutis ardorẽ omni veneratione digniſſimos, & cuilibet Magiſtratui gerendo nõ pares modò, verùm etiam natos, factos eſſe. Alter Catalogus erat eorũ, quos bonus ille, ac miſeris modis deceptus ſenex haud paucos recenſebat Viros famâ illuſtres, & in Tabularijs noſtris celebres; quos tamen ille remiſſæ Virtutis, indomitarum cupiditatũ, tumultuoſi ingenij, manifeſtæ licentiæ, ac facultatis penè nullius accuſabat. Ego ſubinde, ut tã liberum indicium comprobarem, quâ quiſq; patriâ eſſet ortus, requiſivi. Quis crederet? Nullus eorum, quos Index tantopere celebra-

verat, non eodem, quo ipſe, oriundus loco erat: omnes alij, quibus nigrũ Theta affixerat, extranei, diversáq; in Regione nati. Tum enimverò chartã diſcerpſi, & mendaciſſimi Nuncij privatum erga patriã, nationémq; ſuam ſtudiũ deteſtatus, eas illi litteras reſcripſi, quas juſta ira, facinoris indignitas, & fraudis turpiſſimæ, ſive de induſtria compoſitæ, ſive imprudenter, ob amoris præjudicium admiſſæ iniquitas poſtulare videbantur, & prodigioſæ impoſturæ vehementer offenſus, monſtrum illud fœdiſſimum mecum execrabar, ac devovebam. Heu me miſerum! inquiebam, ſi homini canitie muneribúſq; adminiſtratis venerando fidem adhibuiſſem! Siccine Viri graviſſimi tam miſerè inſaniunt, cùm Nationali Spiritu ebrij aguntur. Ite jam ac dicite Senecã errore lapsũ fuiſſe, cùm Patriam diceret unicuiq; cariſſimam, non eò, quòd famâ celebris, ac potens viribus illa ſit, verùm quòd in ea primam lucem aſpexerit, ac ſubinde adoleverit. *Non quia magna, ſed quia ſua.* Itaq; Viro illi omnes Populares nullis penitus vitijs urgeri, atq; omni

mni ex parte beati videbantur: nullus verò eorum, qui diversam ab eo patriã essent sortiti, rebus nostris idoneus putabatur. Omnes igitur, qui Religiosos Ordines salvos cupimus, D. O. M. obsecremus, ut hanc plusquam Babylonicæ Perturbationis Arcem funditus eruat, ac luem exitiosissimam procul ab omni illorum ditione submoveat: nempe quæ Religiosi Regiminis Cælum oppugnare non cessat, dum fœdas Larvas, & Virtutis omnis inanes velut aurea Sidera ostentat, & saluberrima illustrissimáq; Societatis Lumina, tanquam fatales exitialésq; Cometas traducit. Actum de nobis est, Patres, nisi nos ab hac peste, quæ Ismaëles Isaacis anteferre, & pulsis in exilium Jacobis Esavos attollere in thronum consvevit, potentissimis præsidijs suis Bonus Deus servaverit. Quemadmodũ si, quod nativum atq; congenitum est, in hortis nostris duntaxat coleremus, nihil præter filices, lappásq; meteremus: ità in Cænobijs quoq; quantamlibet vitæ austeritatẽ professis, cùm patriæ, gentilitatis, ac necessitudinum suarũ ma-

jo-

jorem, quàm promeritorũ ac dignitatis rationem habuerint, noviſſimi primis anteibunt, & ij ipſi, qui obtegi modio tenebríſq; damnari debuerant, aurea Candelabra clariſſimorũ Munerũ occupabunt.

80. Neq; verò vel minora, vel leviora ſunt incomoda, quæ abalienatio animi parum erga eos, qui alio ſub Cælo nati ſunt, propitij, aut etiam infeſti producit. Enimverò horrorem nobis meritò debet movere Dioſcori Alexandrini Patriarchæ vecors amentia, qui ut Flaviano Bizantino Præſuli ægrè faceret, omnem lapidẽ movit, ut Epiſcopi, quos corruperat, in frequenti Synodo Eutychetem Hæreſiarchã ab illo damnatum abſolverent. Neq; ſacrilegum hominem Eccleſiaſticis pœnis exemiſſe contentus Antiſtes impius, ipſam quoq; ejus Hæreſim ab impietate abſolvit, & Orthodoxam pronunciavit: quin ut æmulum ſuum, ſi fieri poſſet, ad deſperationẽ adigeret, cum Eutychete conjuravit, dúmque hic Epiſcopi ſui minas ridet, ipſe totã illius Diœceſim quanta quanta erat peſtiferis erroribus, & in Chriſtum ejúſ-

júſq; Eccleſiam blaſphemis dogmatib⁹ infecit. Lubet S. Leonem audire, qui diſcordiâ furentis Antiſtitis rabiem hiſce verbis deſcribit. *Magnum facinus, Alexandrino Epiſcopo Authore, commiſſum eſt, ut*, DUM IN FRATREM NOSTRUM FLAVIANUM VETERES ÆMULATIONES *& odia privata deſæviunt*, NEC INNOCENTIÆ PROBATISSIMI SACERDOTIS, NEC CHRISTIANÆ FIDEI PARCERETUR. Eo uſque ſe diſcordia & animorum abalienatio provehit, ut ne Religioni quidem parcat; Emiſſarios Luciferi Aris imponat, Hæreſes approbet, & Hæreſiarchas defendat. Atq; hæc Monſtrorum genera præcipuis quibuſq; Sacrorum Ordinum Cœtibus ſe inferunt, niſi privatæ ſimultates, & partium ſtudia tollantur. Quod verò flumen, quod pelagus extinguere Diſcordiæ flammas poterit, quæ animos divino cultui mancipatos ſemel corripuêre? Cedò mihi, inquit S. Chryſoſtomus, hominẽ quantumvis impium, & ego eum tibi brevi tẽporis ſpatio emendatum dabo. Non per-

Epiſt. 29. To. 27. 7.

in-

inde de ijs dissero, quorũ animum Discordia insedit. Fel enim, quo istorum corda livent, omnibus Hydris nocentius, quò magis temperare studueris, eò se ampliùs diffundit, atq; exæstuat. Nullum est vitium, quod Præsidum sermo, industria, virtus, ac vis non expugnet. Sola Animorum Dissensio tum divina Antidota, tum Apostolorum arma eludit. Fuit, qui in Corinthi Catacumbas Orcum ipsum, inauditâ vel inter Ethnicos libidine, inferret, is tamen ab Apostolo absente licet, unâ alteráve sententiâ in ruborẽ datus, & paternâ monitione reductus ad frugem fuit, &, uti testatur os aureum, *Brevi correctus est.* At verò ut Cainus odia poneret, & invidię atque æmulationis virus evomeret, aut certè infringeret, ipsi⁹ Numinis potentia frustra fuit. Admonuit hominem Deus, blandè hortatus est, suppliciorũ metu, spe præmiorum sollicitavit. *Sed sanatus non est.* Exclamat eam ob rem Doctor eloquentissimus: *Hoc vitium fornicatione pejus est.* Quin igitur, quotquot Religiosis Cœtibus cum imperio præestis, spem omnem omittitis

Hom. 44. ad Pop. Antioch. To. 20. 137.

operæ veſtræ fructum ullũ percipiendi, ſi quando Domus veſtras Nationalis Affectûs furor invaſerit. Equidem languidos confirmabitis, vulneratos curabitis, in viã errantes, & prolapſos reſtituetis in gradũ, quâvis cryſtallo puriores reddetis, qui nuper à pice ſordebant; ignavos & bonorũ operum pertæſos in altiſſimũ Sinai Verticem promovebitis; in Apoſtolos denique ipſos quoq; Transfugas fingetis. Eos verò, quos patriæ, populariúmq; ſuorum amor faſcinavit, ut ne attingatis ſvadeo: ea enim peſtis neq; Balſamo depellitur, neq; igne purgatur. *Deo ipſius ulceri curam afferente, magis intumeſcebat, & fluctuabat, & ad cædẽ properabat.* Hac ſententiâ Chryſoſtomus animadverſionem ſuam obſignat, ác nobis omnẽ ſpem averſionibus animorum medendi penitus abſtulit.

81. Hîc aliqui Naturã accuſant, quę caritati erga extraneos obſtet, vehementiſſiméq; repugnet. Quàm autem diverſa origo, nataléq; ſolum quàm multiplex, variúmq; primis illis Chriſtianis fuit, qui Apoſtolorũ oratione perſvaſi, Evangelio ſe ſubmi-

misêre? *Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui* Act. 2. 9.
habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ, & advenæ Romani, Cretes & Arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Et de his tamen tot, támq; varijs populis S. Lucas testatur. *Multitudinis autem credentium* Act: 4. 10.
erat cor unum, & anima una. Id quod tũ scilicet accidit, cùm se animo Spiritus Sanct⁹ infundit. Cùm Virtus in perturbationes dominatur, nulla nationũ ac naturę diversitas quidquã virium habet. Fidem vestrã testor, quantũ illud Chaos rerũ est, quod spectatorum oculis Theriacæ Compositores exponunt, antequam unà confundãtur! Ingens aromatum vis, herbarũ, pulverum, succorũ iṁensa copia prostat. E septuaginta tamen pluribus medicamentis pistillum unũ è buxo, aut pilum Cerrinum paucorum carbonũ ope unũ aliquod corpus efformat colore, sapore, virtute nullâ ex parte diversum, ut res tam multiplices nemo inter se distinguere, nemo aliã ab alia possit arte ullâ separare. Jam verò possu-

ga peregrinos, quàm erga proprios Hæredes caritate flagraverint. Geminos Juvenes peregrè adventantes ędibus suis Loth⁹ exceperat, & quoniam infamis illius Civitatis Tartareis flam̃is, ipsóq; Cacodæmone possessa Nobilitas Hospitibus illudere tentabat, Angelica illa forma, ad obscænum infandúmq; flagitium stimulos addente, Patriarcha optimus ruentis libidinis impetum objectis duabus ex se natis puellis sistendum duxit. *Nolite*, inquit, *fratres, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt Virum: educam eas ad vos, abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo Viris istis nihil mali faciatis.* Nemo vestrûm ignorat, quàm acerbum illud vuln⁹ sit, quod per illatum sanguini suo, à feminis potissimùm, dedecus infligitur. Maluit tamen innocentissimus, ac nobilissimus Vir, fœdissimâ prostitutione maculari genus suum, quàm duorum hospitum, non è diversa duntaxat, verùm etiam ignotâ prorsus Patriâ appulsorum honorẽ in discrimen dare. Sum̃i, infimi, Senatores, Mãcipia, equestris plebejúsq; ordo, inquiebat, Genes. 19. 8.

ſumúſne pati, ut majorẽ in mortario conjunctionẽ lignum, quàm in Religioſis Ordinibus Divinus Spiritus efficere poſſit? Tot res virtute, formâ, ortu diverſiſſimæ in unum Medicamentum coaleſcant; & animorũ conſenſioni Servi Chriſti obſtabunt? Quid? Amygdali robuſto ſtipiti Perſicæ arboris tenuem ſurculũ Agricola inſerat, continuò Truncus ille peregrinam ſtirpem tanto amore complectitur, ut propriorum fructuum oblitus, totum ſe in admiſſi Hoſpitis poma tranſmutet. Quo verò pudore ſuffundendos, quibus oculis à Chriſto Concordiæ Auctore aſpiciendos eos exiſtimas, qui cùm conjunctionẽ cum extraneis ultra Naturæ vires eſſe cauſati ſint, mendacij ſe coargui à pomarijs deprehendent, fructus à ſtirpe ſua ramíſque omnibus diverſos oſtentantib⁹?

82. Sed exſcindantur ſanè Arbores univerſæ, quæ difficultatis illius, quã objiciebamus, vanitatẽ nobis exprobrant. Non placent exempla Truncorum, & ſensûs expertium ſtipitum. Conjugio nexos, & Patres Familias producam, qui majori erga

ga peregrinos, quàm erga proprios Hæredes caritate flagraverint. Geminos Juvenes peregrè adventantes ędibus suis Loth⁹ exceperat, & quoniam infamis illius Civitatis Tartareis flam̃is, ipsóq; Cacodæmone possessa Nobilitas Hospitibus illudere tentabat, Angelica illa forma, ad obscænum infandúmq; flagitium stimulos addente, Patriarcha optimus ruentis libidinis impetum objectis duabus ex se natis puellis sistendum duxit. *Nolite*, inquit, *fratres*, *nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt Virum: educam eas ad vos, abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo Viris istis nihil mali faciatis*. Nemo vestrûm ignorat, quàm acerbum illud vuln⁹ sit, quod per illatum sanguini suo, à feminis potissimùm, dedecus infligitur. Maluit tamen innocentissimus, ac nobilissimus Vir, fœdissimâ prostitutione maculari genus suum, quàm duorum hospitum, non è diversa duntaxat, verùm etiam ignotâ prorsus Patriâ appulsorum honorẽ in discrimen dare. Sum̃i, infimi, Senatores, Mãcipia, equestris plebejúsq; ordo, inquiebat, Genes. 19.8.

 filia-

filiarum mearum, quotquot domi meæ ſunt, pudorẽ opprimant, dum à tectis meis nullo dedecore affecti prodeant, quos introduxi. Quis jam eſt, qui dicat non poſſe à familiaribus animum, amorémq; avocari, aut in ſinum recipi peregrinos: cùm Hebræus aliquis in urbe flagitioſiſſima omnẽ ſuam Poſteritatẽ furentis plebis impuriſſimæ libidini exponat, eo ſolùm conſilio, ut Juvenes duos alio ex orbe Sodomam advectos tutos ab injuria præſtet?

83. Fuit hic tamen Veri Numinis Cultor; Abraami Fratris Filius erat; Sacrarum Litterarum non rudis, ac Deo familiaris fuerat, adeóq; eo facto minùs mirabilis. En igitur vobis Mulierculã ſuperſtitione impiam, turpi quæſtu infamẽ, ac flagitijs copertã; tantâ tamen erga peregrinos duos milites reverentiâ, ut eos, ne in Civium ſuorum manus inciderent, compoſitis aptè dolis ſervârit, quamvis intelligeret illos exitium Civitati, & Regno ſervitutẽ allaturos. Facti ſeriẽ Joſuæ Hiſtoria recenſet: & S. Ambroſius infinitis laudibus in quodam Commentariorum ſuorum extollit.

RA-

RAHAB EXPLORATORES *Iesu Nave* CIVIBUS SUIS QUÆRENTIBUS DENEGAVIT, *& hostes patriæ, legatos tamen fidei*, MALUIT OCCULTARE, QUAM PERDERE. *Non eam* MINÆ CIVIUM, *non bellorum pericula*, NON INCENDIA PATRIÆ, NON SUORUM DISCRIMINA TERRUERUNT. *Disce Vir Christiane, disce.* Nullũ dicendi finẽ facerem, si exemplis exempla superaddere, innumerabilésq; afferre in medium vellẽ, qui patrij soli obliti Extraneos, & exteris in Regionibus natos amârunt tenerrimè, benignissimè foverunt, ac sumã curâ texerunt. At enim quoniã ab Ambrosio nondũ digressi sum⁹, non possum mihi temperare, quin illustre factum recensenti aures cōmodem. Vercellis de subrogando in demortui locum ejus Urbis Pastore Comitia diversis populorum studijs habebantur: distracta erat Concio, alijs alium è Clero illi Muneri designantibus. Inter hæc Eusebius è remota Regione in eam urbẽ advenit, ac continuò in se omnium studia, oculósq; convertit, a-

In Psal. 37. To. 2. 291.

deóq; eos tum oculorum modeſtiâ, tum verecundiâ vultûs, tum ſermonis, habitûs, actionum omnium gravitate, & plenâ honeſtatis, Prudentiæ, ac conſumatæ virtutis ſpecie ad ſe rapuit, ut ultrò ad ejus pedes ſe ſuffragatores abjicerent, & ſacris eum Infulis exornarent. *Sanctum Euſebium,* QUEM NUNQUAM ANTEA COGNOVERANT, POSTHABITIS CIVIBUS, *ſimul ut viderunt*, & PROBAVERUNT. Et hos quidẽ, utpote Orthodoxos & de Divino quodã genere Magiſtratûs deliberantes, repentè in Virum advenã conſenſiſſe tantopere non miror; Pharaonẽ potiùs unà cum toto Aulæ ſuæ Senatu in Juvenẽ diverſiſſimæ Regionis, Religionis verò multò magis diverſæ, cõditione ſervum, & recèns è carceris tenebris extractum conſpirâſſe, ac Monarchiæ Adminiſtrum, & Imperij Vicarium declarâſſe, obſtupeſco. *Num invenire poterimus talem Virum, qui Spiritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Ioſeph:* TU ERIS SUPER DOMUM MEAM, *& ad tui oris imperium* CUNCTUS POPULUS OBEDI-

Epiſt.82. To.40.104

Geneſ.41. 38.

DIET. Enimverò res hæc eſt ejuſmodi, ut expendi ſinè lachrimis haud poſſit. Vos ego hîc appello, Viri Religioſi, qui privatis Gentilium veſtrorum amicitijs unicè acquieſcitis, age quiſquis es, ſi quidem inter noſtros homines eſt ullus, & temetipſum in Nili fluentis tanquā in ſpeculo contemplare: Ah pudeat inter natale, alienúmq; ſolum diſcrimen facere, dum Tyrannos Ægyptios vides, nullā de Patria quæſtionem movere, Imperiúmq; Virtuti, undecunq; ea eſſet, deferre. Atq; iſthic non de quolibet munere, ſed de ſumma Reip. ac ſceptro cōmittendo agebatur: diſceptabatur non de ſcholaſtica quapiā Cathedra, vel de miniſterio ſplendidiore aſſignando: de Juvene recentes compedū notas circūferente ad Principatum, & ad pluriū Regnorū adminiſtrationem evehendo, præficiendóq; omnibus, quos ampliſſimū illud Imperiū Satrapas, ac Regulos numerabat, ſuffragia ferebantur. Incredibilis ea narratio planéq; fabuloſa videretur, niſi Religio fidē adſtrueret. Itaq; in Ægypto cum ſumā Senatûs univerſi approbatione

 Pha-

Pharao Rex impius lateri ſuo applicat, & in partem imperij vocat Paſtorum prolẽ, Putipharis Servum, à ſe, ſuíſq; tum gente, tum Religione diverſiſſimum, & fieri poſſe credam, ut in Tabernaculis Chriſti nec amentur, nec promoveantur, qui diverſa in Regione natales habuêre? nec ob aliã cauſam, quàm quia peregrini ſunt, quamlibet eorũ facultatẽ, ſapientiam, ingenium, virtutem, aliàque pulcherrima ornamenta veluti ſordes, & quiſquilias abjiciemus?

84. Quod genus Monſtri nuſquã videretur, ſi Religioſorum Virorum animos Contemplatio è luto refigeret, & in Deum attolleret. Nam ſi Deo nos conjunxerimus, cum omnibus pariter nos jungemus. Evadat aliquis noſtrûm in altiſſimã Turrim, & ex Molis illius faſtigio remotos procul montes, campóſq; proſpiciat. Certè mirum in modum ſpectaculo illo tum ædificiorum, tum virentium agrorum ac nemorum procul recedentium oculi recreantur. At ubi, qui culmen inſidet, oculos in adjectas Turri ſemitas dejicit, continuò frigido ſudore perfunditur, tenebris acies

cies oculorum involvitur, vertigine caput rotatur, totúmq; corpus tremore concutitur, ac deorsum nisi alicubi se fulciat, ruit. IN TURRI ALIQUA SUBLIMI *constituti mox atque terram desuper vel modicè deflexi intueri voluerimus*, VERTIGO QUÆDAM NOS ET CALIGO PREHENDIT. Placuit nimirum Deo, nos Naturâ Magistrâ edocere, quanto intervallo nos à vicinis Evangelicarum cogitationum sublimitas abducat. Quare abjectissimo illum esse animo dicamus oportet, qui proximos solùm amat, & remotos aversatur. Sanè si contemplandi studium in sublime nos evexisset, conjunctos potiùs cum difficultate, sepositos cum voluptate spectaremus. Quondam & ipse Apostolorū Princeps Alienigenas omnes velut immundum, & lege vetitum cibum abominabatur. Vix in solario domûs illius, in qua hospitabatur, precibus se dederat, cùm Leopardos atq; Dracones in Turtures atq; Agnos abijsse conspexit. *Quod Deus purificavit*, TU COMMUNE NE DIXERIS. Ingens illud & capacissimum


Hom. 19. in Ep. ad Ephes. To. 42. 139.

Act. 10. 15.

Lin-

Linteum, quod à Tigribus atq; Serpentibus profanatum & contaminatum fuerat, illi, qui prandij tempus precibus, & divinarum meditatione rerum occupaverat, in Catechumenorum, ac Neophytorum Cœtum, Arcámq; se convertit. *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret.* Cælesti illo spectaculo doctus est Petrus, Centuriones piacularibus undis abluere, & Incircumcisos Ethnicósq; homines sanctis electísque Populis exæquare. *Vos scitis, quomodo abominatum sit Viro Iudæo conjungi aut accedere* AD ALIENIGENAM: SED MIHI OSTENDIT DEUS, NEMINEM COMMUNEM, *aut immundum dicere hominem.* Hæc lucra, hos quæstus facit dedita Contemplationi Concordia. Tam latè in omnes sese Religiosus Amor explicat, cùm Animus familiari Numinis consvetudine perfruitur. OSTENDIT DEUS, NEMINEM IMMUNDUM *dicere hominem.* Quæ cùm ità sint, precandi studium eo in Cœtu intercidisse, atq; extinctum dicite, in quo vel minimum Nationalis Affectûs vestigium deprehenderitis.

tis. Nam ubi ea, quæ nobis cum Christo rebúsq; divinis intercedit, necessitudo floret, in imensum se Caritas dilatat, & omnia Nationum discrimina tollit. Hæc ego ità se habere Ignatij nomine confirmo, atq; universis, qui ejus signa sequuntur, & Leges venerantur, edico, nimirum divinis illapsibus vacuos, & à Dei præsentia proscriptos eos omnes esse, qui Regionem à Regione distinguunt, & qui cum Petro, Ignatij ægrotantis Patrono ac Magistro, non universas Terras, Gentésq; omnes animo complexi, cum eodē dicere nequeunt: *Mihi ostendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.* Ità procul dubio sentiunt omnes, semperq; ità sentient.



EX-


EXHORTATIO XXXI.

Pridie Diei B. Aloysio Sacræ.

Et Folium ejus non defluet. *Psal. 1.*

B*EATUM ALOYSIUM ad summam Vitæ sanctitatem Rerum Minimarum Cura provexit. Eam ob rem in otio Villæ Solitudinum, & Anachoretarum asperitatem æquavit: in Ludo Litterario non minùs Condiscipulis suis morum compositione Apostolum, quàm Discipulum diligentiâ Magistris suis se probavit: Quemadmodum eâdem arte Apis, & Aquila, Elephas & Mustella pingitur, sic vera germanáque Virtus non minùs spectatur, cùm contemplatur, quàm cùm ta-*

tacet. Immo quoniam exiguis operibus, & vulgò neglectis plausus, admiratióque plerumque decedit, ideò à Deo maximis præmijs ornantur. Id scilicet intellexit Abrahamus, cùm non minùs religiosè Arietem immolaret, quàm Filium. Quasdam subinde Disciplinæ exterioris veluti ultimas manus, & minutissimos apices à Junioribus longè potiori iure requiras, quas tamen Veterani neque negligunt, neque omninò debent negligere.

85. Rborem Vitæ in beato illo Edeni Viridario plantatã Beatus Aloysius Arbor Evangelica à Christo in Hortum Societatis nostræ dicam, an suæ? translata multis nominibus superat. Poteratilla hominum eorum vitã servare, qui sceleris im̃unes fatalẽ mortis sententiã evasissent; verùm eam, quam in sola corpora vim habebat, ne in Adami quidẽ atque

que Evæ ſalutem exſerüit, nec eam colonis ſuis gratiā unquam reddidit. At verò Aloyſius Gonzaga non ſolùm pluribus adoleſcentibus Innocentiæ atq; Integritatis Im̃ortalitatem ſervavit; verùm innumerabiles Animos Intemperantiæ tabe conſumptos, & in putredinē quodam̃odo reſolutos ad vitā virtutis excitavit, incorruptóſq; deinceps, & caſtos præſtitit. Adde: quòd hęc Arbor & cùm viveret apud nos, & cùm mortis falce decuſſa exaruit, Vitā Gratiæ conſervârit, hodiéq; conſervet non ijs modò, qui coràm ſvaviſſimos Virtutum ejus fructus deguſtârunt, verùm etiā omnibus alijs, qui earum memoriā ſibi refricant, eáſq; vel ſcriptis voluminibus, vel pictis tabellis, ſculptíſque marmoribus expreſſas intuentur. Neq; hic finis eſt decorum, quibus noſtra hæc Arbor exornata refulget, & in ſui admirationem rapit Orbem terrarum. Quandiu illa in Mundi nemore ſtetit, nullum non Apoſtolicæ Vitæ fructum protulit: inediam ſolo pane & aquâ ſolvere ſolitus Aloyſius erat, ſolidas noctes pervigil precibus extraxerat, nul-
lam

lam ferè horam ſine cruenta ſui diverberatione tranſmiſerat: avitis Principatibus ſe abdicârat; honores effugerat; delicijs omnibus im̃ortale bellum indixerat; aſperis cinctibus, flagris, atq; omni genere cruciatuũ adeò ſe torſerat, ut Martyri, quàm Anachoretæ ſimilior videretur. Subinde verò cùm Societatis horto illata tam felix Arbor fuiſſet, omnẽ illam aureorum pomorum, quorum pondere non ad terram quidẽ deprimebatur, ſed ad Cælũ ſeſe ſubrigebat, ſpeciem amiſiſſe videri potuit, & vix tenues frondes Diſciplinæ ejúſq; non aſperrimæ retinuiſſe, quas quidẽ exponere Auditoribus meis citra ruborem nequeo. Videbitis Aloyſiũm jam noſtrũ Icunculâ ſe quâpiam expoliare, chartæ foliũ alteri non priùs com̃odare, quàm ejus rei à Præſide poteſtatẽ impetrâſſet: Doctoris Angelici Libros Condiſcipulis, quib⁹ eos magis, quàm ſibi neceſſarios crediderat, utendos dare: nihil ſupra cæteros eximium admittere; averſari generalẽ impunè quidpiã faciendi veniã; optare pudore ſuffundi; quamlibet conſvetudinem, ac vivendi

proprium nobis morem venerari: silentij legem adeò colere, ut alterum verbũ non adderet, cùm unũ sufficere videretur; meditandi spatia ad horæ quadrantes contrahere; vigilias ne punctum quidem temporis ultra præscriptum producere; inediæ refectionem subrogare, & jejunium oculis magis, quàm ore servare, cùm à re omni penitus, honestâ licet, aspiciendâ sibi temperaret, cùm juberetur infirmã valetudinẽ, & attritas dudũ vires reparare, adhibitis illis qualibuscunq;, sanè frugalib[9], lautitijs, quas Religiosa Paupertas calculo suo approbat, & valetudinarijs nostris Juvenibus indulget, atq; præscribit. Hæ tamen primâ sui specie tenuissimæ frondes, levissimáq; folia tantã Aloysio apud profanam, religiosámque juventutem admirationem, venerationémque peperêre, ut innumerabiles ad amorem Virtutis & Perfectionis studium excitârit. Atq; his eum folijs exornatum Florentina Magdalena inter Cœlites recognovit, cùm laudatã illã in Apocalypsi Arborem rata exclamavit: *Et folia Ligni ad sanitatem gentium.* Quare altissimâ

Apoc. 22. 2.

con-

contemplatione defixa,& extra ſe rapta in cōmuni Parthenonis ſui Aula exclamare perrexit. Deum im̄ortalem, inquiebat, quę quantáq; Aloyſij ſanctitas! nulla vel certè exigua foris, ac tota intus! Aloyſius Martyrib⁹ ſe parē pręſtitit, eámq; Laureā amoris violentiâ ſibi cōparavit. Parū, aut nihil agere viſus eſt, & omne punctū tulit. Ut adeò vix ſciā, an par illi, quā in Aloyſio conſpicio, gloria cæterum Beatorum Cœtum exornet. Frondes illius omnes aliorū fructus vicerunt. Hæc fuit abreptæ à ſenſib⁹ Virginis oratio. Ego verò foliorum ac frōdium ejuſmodi cultū ac curā ijs, qui cras ſua Vota inſtaurabunt, com̄endare conſtitui, demonſtraturus ſcilicet, quàm præclara, pretioſáq; ſit in Adoleſcentibus Religioſis illa diligentia, accuratióq; Diſciplinæ, quæ, cùm temerè intuentibus minima videatur, Folium quodam̄odo Arboris Apoſtolicæ vocari poteſt. Certè de quocunq; dici, perinde ac de Aloyſio illud poterit: *Et folium ejus non defluet*; de eodē tum homines, tum Angeli ſententiam, quę

 ſe-

ſequitur,pronunciabunt. *Et omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.*

86. Dilecta Deo Sponſa eam ſibi perſvaſionẽ induerat, Perfectionem Chriſtianam in ſum̃a quadã Vitæ auſteritate conſiſtere, tantóq; mentis ſuper mortalia omnia eminentis faſtigio ſitã eſſe, ut ad ſupremũ Cælum, vel certè cum Paulo ad tertium uſq; ſe ſubvehat. Id nempe voces
cant. 1. 13. illæ indicabant. *Botrus Cypri, Dilectus meus mihi.* Is, inquit, quẽ diligo, Racemus eſt è fecundiſſimo, apriciſſimóq; totius Orientis Regno collectus, maximis Æſtatis, & Autumni caloribus maturatus, Torcularium vehementiſſimis compreſſionibus ſubjectus; ad purum ſuomet & adſcititio æſtu excoctus, qui deniq; in Vite floruerit, quem claviculi, flagella, vimina Palis alligant, & ſæpe Vinitoris ferrum violârit. At enim hallucinari eam, oppidóq; decipi teſtatus Æterni Patris Filius, tu me, inquit, Racemum vocas pedibus calcatũ, ac Botrum appellas falce reciſum? Flos ſum, & qualis paſſim in campis enaſcitur, quẽ nul-

læ

læ ſpinæ vallârunt, nulla vaſa cuſtodiunt, nullus Agricolarum labor excoluit. *Ego* FLOS CAMPI. Sunt, qui exiſtiment Perfectionem Religioſam ex auſteritate vitæ, aſperitate victûs atq; veſtitûs, vigilandi pertinaciâ, duritie lecti, ſqualore habitationis; vel demum è carnificina membrorum efflorеſcere; quæ ſanè res ſunt prorſus eximiæ, & ſanctiſſimorum Virorũ uſu, nec paucorũ de Societate noſtra conſvetudine frequentatæ, quæq; illuſtres olim Coronas parant, & Ergaſtalis Martyrum Cænobia ſacra æquiparant. Has tamen exercitationes non ſemper vel valetudo, vel laborioſorum munerũ ratio admittit: neq; ſemper neceſſarias ſibi putare debet, qui inter primos Chriſti ſervos numerari cupit. Sunt pariter alij, qui arbitrentur, inter nos procul illum à perfectione Vitæ abeſſe, qui non excedat Europâ, ab uno in alium Orbem excurrat, Oceanos, & ignota maria naviget, ſemel iterúmque Æquatorem tranſmittat; vitam inter Barbaros agat; cum Tyrannis congrediatur; ac pro Religione virgis humeros, pe-

ctus lanceis impias inter Gentes exponat. Quæ si, ut isti putant, ità se haberent, neque Aloysium inter Sanctos numerarem⁹, nec ulla foret Scholasticis nostris spes sanctitatis adipiscendæ relicta. Non est, inquit Christus, non est tam ærumnosa ad Vitã via. Martyribus, Anachoretis, ac cæteris austeræ professionis Sectatoribus Engaddi Botrus sum. Ijs pariter, qui vitæ integritate Angelos imitantur, obedientiæ se victimas imolant, ac Leges Constitutionésque Religiosè custodiunt, quæ videlicet Servorum meorũ omnes corporis sensus, animíq; facultates arctissimis nexibus vinciunt, ut nullã in partem se comovere queant, nisi vincula, quæ Religio injecit, Præses laxaverit; his, inquam, *Ego flos campi sum.* Oculos in Aloysium convertite, qui Anachoretarum austeritatem in ea vitæ scholasticæ moderatione accurationéq; æquavit. In Urbe Roma vitã transegit: cum Litteratis Viris, ac Præceptorib⁹ bonarũ artium versatus est; Philosophos ac Theologos audijt: Principes Viros invisit, ac vicissim ab ijs est salutatus. Nihilo tamẽ

mi-

minus, cùm ſub ea Cæli, & moderatiſſimæ Diſciplinæ temperie degeret, non innocens modò, ſed ſanctus, & Martyribus ſuppar extitit. Ne igitur fidem illis, qui me Botrum violenter expreſſum duntaxat vocant, ſed mihi ut habeatis jubeo, qui me ipſum Lilij nomine, quod in opaca valle inter cęteras herbas aſſurgit, compello, delicati ſanè ac teneri, quia floris, ſed ſancti, quia candidi: & quoniam odorum mihi abundè eſt, ſatis habeo, ſi in ima valle floream, neq; montium eminere faſtigijs ac digito mõſtrari ambio. *Ego* FLOS CAMPI, *&* LILIUM CONVALLIUM. Ità Sponſus dixit: ità fecit Aloyſius, tantã Religioſæ vitæ perfectionem ijs adminiculis adeptus, quæ in ſpeciem infirma tenuiáq; videbantur: útq; ſe purum ab omni labe ſervavit, cùm auſteritati vitæ pro arbitrio, utpote domi ſuæ atq; inter ſuos agens, fræna laxaret, ità deinceps, cùm Societati nomen dediſſet, minimarum earum animadverſionum, & extremarũ, ut ità dicam, linearum, quæ ob tenuitatem ſuam Evangelicæ Arboris frõdes potiùs ac folia,

 quàm

quàm fructus esse dicendæ sunt, observatione diligentissimâ se in absolutam omnis perfectionis imaginem efformavit.

87. Neq; mirationem facere debet, quòd rerum humilium atq; infimarũ accuratio ad tantam celsitudinem hominem provehat, proximéque Deo admoveat. Cùm enim Virtutis excellentia non à materia, ut sic dicam, actionum exteriorum, sed à nobilitate finis, quem sibi præstituit animus, proficiscatur, fieri utiq; potest, ut ea non minùs in conformatione foliorum, quàm in productione pomorum resplendeat. Certè non minore contentione animi artísve peritiâ opus est, ut Pigmæum graphicè pingas, quàm ut Gigantem nativis coloribus exprimas: majorem scilicet colorũ copiam, non majus artis ingenium præ Tulipa Mons postulat: nempe paucis peniculi ductibus Apenninum Pictor absolvit, sed ut Anemonem describat, multis, iisq; exquisitissimæ subtilitatis lineis non perinde facili opere consequitur: Lacteus ille candor, ardenti rubore permistus, & versicolor species, quâ minimus ille flosculus

lus mirum in modum à natura pictus est, arte multâ, atq; operâ indiget. *Pictor eâdem arte facit* MUREM, *quâ* ELEPHANTEM (verba sunt Augustini) DIVERSO OPERE, SED ARTE UNA. Ejusdem Virtutis est Sophismata Socratis, & Pauli ratiocinationes Christi causâ mente complecti, serióq; secum expendere. Dū Caritas imperet, atq; omnia in salutem animorum, & propagationem Evangelij dirigantur, demandati quisq; muneris, qualecunq; tandem illud sit, ductū toto mentis impetu sequatur. Ad quæ confirmanda miram vim habent ea, quæ mox dicturus sum.

Serm. 72. de Temp. To. 42. 135.

88. Equidem nemo est, qui non magnopere miretur inauditā post homines natos, & humanâ majorem animi magnitudinem, quâ se ad sacrificiū Abrahamus accinxit, gladiúmq; altè in cervicem Filij extulit, mox in parata ad id pyra subjectis flamīs Holocaustū Deo futuri. Verumenimverò diversa Divi Zenonis sententia est, haud minùs Abrahamum demirantis, nec minori plausu ejus fortitudinem cele-

brantis, cùm ille, restituto in libertatem Isaaco, Arietem, quem veprib⁹ impeditum fortè repererat, succidaneam Victimam super tumultuariam Aram jugulatum Hæredis Holocausto substituit. Cujus admirationis causam haud aliam ab ea, quam ipse nuper attuleram, Zeno habuit: quippe cùm Victimam Patriarcha mutaret, mentem haud mutavit, & eâdem Religione, pari præscriptorum Rituum observantiâ, Fide, amorísq; vehementiâ dedit Arietem, quâ paulò antè gladium strinxerat in Filij necem. Sed audiamus Zenonem. A FILIO AD AGNUM *transtulit dexterã: nec* MUTATUS *est, cùm esset* VICTIMA COMMUTATA. *Cum tanta lætitia* ARIETEM *obtulit, cum quanta obtulerat &* FILIUM. Sic, ut arbitror, Abrahamus, cùm temerè oblatam Hostiam in Ara componeret, Deum precatus: Domine, inquiebat, quemadmodum ego hoc Animal honori tuo cremo, ità pro ejusdem Gloriæ tuæ studio non solùm stirpis meæ unicum germen, sed omnes omninò, quos ex eo mihi posteros spondes, Victores licet,

Serm. 2. de Abrah. To. 1 3. 155.

cet, laureatos, & diademate redimitos, in cinerē resolverem. Similem prorsus agendi rationē Aloysius tenuit, cùm à Sacrarū Litterarū lectione ad Aristotelis, atq; Euclidis spinosissimas Quæstiones enodandas rediret. Haud minùs in lachrimas solvebatur, cùm Poëma Virgilij profanis cōtextùm Fabulis, quàm cùm Salomonis Epithalamium divinissimis Mysterijs plenū evolveret. Cùm enim Poëtarum mendacia recognosceret, ità scilicet lectionē illā suscipiebat, ut tenerā ætatem versiculorū svavitate ad Christi Calicem degustandū invitaret: quemadmodū Divinorum Oraculorum, ac Psalmorum Meditatione ad profliganda vitia, reducendósq; cum Deo in gratiā perduelles sese armabat. Parum igitur refert, quā rē agat, qui Deum amat, cùm Divini Amoris hoc propriū sit, è cujuslibet Adiaphoris operis luto virtutis gem̄as colligere, & è turbido salsóq; profanæ, ac penè dixissem sacrilegæ Litteraturæ pelago pretiosa Corallia extrahere Cogitationum Apostolicarum.

89. Eapropter Ambrosius affirmavit, non

non eum à Deo magni fieri, qui maximis in negotijs versetur, sed qui res usitatas, ac vulgares, non usitato neq; vulgari mentis

Epist. 82. affectu peragat. *Non census divitem facit,*

To.40.114. SED ANIMUS. Quis, rogo, mente cõplecti, aut oratione possit explicare, imensæ illius Charitatis affectus, vota, suspiria, sensúsq; altissimos, quos in Nazarethana Domo Virgo Deipara concepit, & ad Cęlum transmisit, cùm Divini Verbi Mater effecta est? Et tamen ineffabili illo comercio absoluto, dimissóq; Archangelo, cùm acu prehensâ telã inconsutilis illi⁹ Tunicæ ordiri cœpit, quâ conceptum Dei Filium subinde vestiret, incomparabiliter majorẽ meritorũ quæstum fecit, quàm cùm eundẽ carne vestivit, & intra viscera sua Hospitem accepit. Quis autem unquam sibi persvasisset, Mariam Virginem eo tempore, quo Dei Mater esse cœpit, minùs grandem in ejus oculis fuisse, quàm cùm Filio vestem confecit? Atqui extra quæstionẽ est, Eam, cùm omnes semper vires in agẽdo exereret, &, ut Scholæ loquuntur, cum omni Gratiæ intensione operaretur, mul-

to majore charitatis ardore fila duxisse, & Divino Infanti fascias acu distinxisse, quàm, devocato in sinũ suũ è Patris dextera coævo illi Filio, Incarnationis Mysteriũ absolverit. *Non census divitem facit*, SED ANIMUS. Qui, quod agendum est, agere novit, quamlibet glebam in Smaragdos sibi convertit: neq; est ullum in Societate nostra op⁹ tam abjectum, aut ab Evangelica perfectione suapte natura tam alienum, quod in Amoris Holocaustum verti nequeat. Audeo dicere, ipsas animi relaxationes Quadragintadialis Abstinentiæ vicẽ explere, ipsos Crucibus Lusus æquari; siquidem voluntatis erga Deum propensio in Obedientiæ Victimas, & in moderatæ Prudentiæ quietem eos cõmutare Virtutis industria noverit, eo nempe consilio, ut ad labores diutius perferendos vires instaurentur, quas Religiosum jugum, & vitæ asperitas haud mediocriter solet atterere.

90. Videtis Aloysium, scipione nexum, Septembri mense ex Urbe proficiscentẽ? Sanè quisquis Evangelicarum Frondium de-

decus minùs perſpectum habebat, ſi fortè in eum iter agentem incidiſſet, quærere non ſine admiratione potuit, eſſétne Juvenis, quem eo corporis habitu cerneret, Aloyſius ille Gonzaga, qui, repudiato Principatu, latè omnia Sanctitatis odore reſpergere diceretur? Certior ſubinde factus, ipſiſſimum eſſe, quonã autem, ſubjunxiſſet, baculo fultus proficiſcitur? An fortè Nazarethum, aut Hieroſolymas Dei Hominis cunas ac tumulum veneraturus abit? minimè gentium. At certè Ægyptum ille petit Anachoretarum Coloniam in Thebaidis Solitudines inducturus; vel in Africam iter intendit, Romanæ Religionis candorem redditurus Æthiopib⁹, quos ab ea Græcorum impia ſeceſſio abſtraxerat? Nequaquam. Igitur ad proximum maris portum ſe conferre credend⁹ eſt, ut Catholicorum Regum Claſſibus ad Indos naviget? Nihil horum. Quorſum ergo vadit, quem terminum ſibi Gonzaga præſtituit? Quem inquis? Tuſculum ajo: neq; eo conſilio ad locum illum excurrit, ut in aliquam ex ijs cavernis, quæ ſub colli-

libus illis dehiſcunt, ſe abdat, & contemplationi rerum divinarum procul à turbis, ac frequentia hominum ſacro in otio acquieſcat. Verùm eam ob cauſam, illuc ſe confert, ut corpus recreet, ut animum laxet, ut afflictas ſtudiorum contentione vires redintegret. Atq; hic, inquis, ille eſt Aloyſius, de quo tam mira prædicantur, & quem Cælitibus adſcribendum ſperamus? Sanè: neq; id incredibile ulli videri debet, qui novit Arborũ Evangelicarũ Folijs, hoc eſt operib⁹ exilib⁹ quidẽ, ſed à radice Virtutis corroboratis, idem, quod ſolidioribus Fructib⁹ auſteritatis Religioſæ, actionúmque Apoſtolicarum pretium ac pondus eſſe. In Tuſculum ſe Aloyſius recipit; neq; ideò tamen aut ſanctus minùs, aut minùs perfect⁹ exiſtimari à quoquã debet. Quam rem ut demonſtrem apertiùs, neceſſariò referenda mihi Auguſtini oratio eſt, quâ Chriſti Divinitatem elevantis Arij riſum compeſcuit. Orientem univerſum Tartareus ille Cerberus perſonans; Itáne, inquiebat, Chriſtum vos Deum creditis? Itáne excidit vobis, illum, Octaviano Auguſto im-

imperante in ſtabulo natum è femina fuiſſe? Quin autem tu, reponit Auguſtinus, ſemel omnia dicis? Ais, qui natus ſit, Deum non eſſe: at ego eum, qui natus è Virgine ſit, Deum eſſe contendo. Quare cui naſci, utpote mortalibus omnibus comunis fortuna vilis eſt, is ſingulare illud, atq; eximium in Chriſti Nativitate veneretur, quia nemo hominum niſi è gemino parente naſcitur. *Ecce venit*, ECCE NASCITUR. *Contempturus fortè eras*, QUOD NASCERETUR, *non contemnis*, QUOMODO NASCERETUR. *Contemnere cœperas, quia vides, qui natus eſt: crede, quod non vides*, QUIA DE VIRGINE NATUS EST. QUANTULUS EST, *inquis, qui natus eſt?* SED QUANTUS EST, *qui de Virgine natus eſt*. Hîc ego vos appello, quos Aloyſij in Tuſculanum ſeceſſus offenderat. Eò ſe, inquam, Seraphicus Juvenis recipit, ſed ut Tuſculum in Carmelum, & Algidi ſylvas in Scetis aſperas rupes convertat. In qua enim ab humana conſvetudine remotiſſima Nitria tam ardentes de cœleſtibus rebus

Hom. 32. ex 50. Jo. 26. 199.

bus ſermones ab Anachoretis ſtoreâ te-ctis, ac cinere conſperſis habiti ſunt, quales herbidis in thoris reſidentes, & lęta illa viridaria perambulantes Philoſophi noſtri coram Aloyſio ſacrorum illorũ, ac Spiritu Sancto pleniſſimorũ colloquiorum Arbitro, ac Moderatore inſtituerunt, quos quidem ille Cœtus Sionæi Cœnaculi ardoribus comparare ſolitus erat. Peragrabat Aloyſius amœniſſimos eos & manu cõſitos Colles. At enim beata ejuſdem ac ſodalium ſuſpiria Villã quamlibet in Templum, Tumulos in totidẽ Aras, arboreta in terreſtrem Paradiſum, & vivaria omnia in Piſcinas Probaticas morbis omnibus ſalutares cõmutabant. Haud pauciores paſſus ſolo, quàm Cælo imprimebat. Ex umbris illis Cæleſtium notionum lucẽ trahebat. Pomaria perambulabat ille quidem, ſed tam alieno ab ijs ſpectaculis animo, adeò in Chriſtum defixo, & Spiritûs Sancti deliciis ebrio, ut aliã ab alia Villa non dignoſceret, nec animadverteret, an mõtes ſcanderet, vel è montibus in plana deſcenderet. Magnificas Ædes Principum intuebatur,

verùm tam longè aberat, ut ullâ invidiâ Dominos prosequeretur, ut etiam magnopere miseraretur. Fontes aspiciebat, verùm à consideratione aquarū, quibus Platani rigabantur, ad venerationem lachrimarum, quibus peccata eluimus, mentem transferebat. Pneumatica, Hydraulicáq; Organa, & dulces avium cantus audiebat: sed cùm his aures cōmodaret, animum interim Sacri psallentiū Monachorū Chori, Beatorúmq; Spirituū Concentus, quibus Cælestis Regia personat, occupabant. Ex omni flore scalam sibi ad æternitatem fabricabatur: in re qualibet ejus Conditorem adorabat: è nulla non valle discebat, se Christi causâ infra omnes abjicere: quámq; detestanda esset ignaviæ otiíque sterilitas ab omni cespite ac virgulto monebatur. Quid multis? Virtutis sibi ludum in pratorum amœnitate pandebat, è Latio Palæstinam sibi fingebat, & in Agro Lacúque Albanis ac Nemorensibus, verā Promissionis Terram reperiebat. *Quantulus est, qui natus est!* SED QUANTUS EST *qui de Virgine natus est!* Quod sanctitatis ar-

argumentum esse potest in Juvene qui è Cænobio in Villam digreditur? At quantæ sanctitatis indicium Juvenis præbet, qui Villas in Olivarum montem; Tusculanas Pergulas in Engaddi Vineas; Voluptatis Regnum, in Calvarij Clivi Theatrum funestissimum; apricationes in Collationes Patrum, & Anachoretarum colloquia cōmutat: efficítq;, ut Collegij Romani juventus inter nemorum frigora prodigiosæ cujusdam & Autumnalis Pentecostes flāmas ac linguas experiretur? Tantū nimirum pretium, tanta Frondium illarū efficacitas est, cùm eas Religiosus ardor protulerit, & Amoris industria ordinârit.

91. Quam rem penitiùs intelligemus, si cum Aloysio nostro è rure in Lycæum remigrabimus. Dici non potest, quot Juvenes ille à licentia vitæ avocârit, cùm Theologiæ operā daret. Quis nobilium, & ingeniosissimorum adolescentum numerū ineat, quos solus Aloysij aspectus Mundo abstulit, & Sacris Ordinibus transcripsit? Quid? cùm Nostros quoq; homines idem ille aspectus sic cōmoverit, ut Europæas

Cathedras cum Expeditionibus Asiaticis comutarent, aut vitam pro Religione posituri, aut vitã Religionis Barbaris illis Gẽtibus impertituri. Unde autẽ Aloysio nostro tanta vis ad excitandas adeò prodigiosas, & humanis viribus superiores animorũ conversiones: quibus artibus id consecutũ fuisse arbitrabimur? An fortè in omnium oculis divina patiebatur, & mentẽ altissimâ contemplatione defixam corpus quoque sequebatur raptum in äëra, & cælestibus radijs circumfusum anticipatæ Beatitatis spectaculo intuentes suspendebat? An inter cæteros assidentis tempora cælestibus corollis evincta spectabantur? Num in ejus vultum prodigiosa se lumina Cælo demittebant? Enimverò qui hæc de Aloysio fingeret, illi per mẽdaciũ assentaretur. Magistrum audiebat, dictata stylo excipiebat, disputabat, Quæstiones movebat, ad objecta respõdebat, id quod scilicet Scholasticorũ nostrorũ nemo non facit. Quî factũ igitur est, ut à nullo nostrûm divers⁹ ea in alijs efficeret, quę nemo nostrûm effecit unquã, nemo efficit? At enim id in schola

la & inter Condiſcipulos Aloyſius præſtitit, quod Regibus in Tugurio Chriſtus. Equidē iſthic nullum prodigij ullius veſtigium apparebat, neq; ideò tamen minùs ad Infantis centonibus involuti pedes tria coronata capita jacuêre. Auguſtinum audiamus. *Iacebat in Præſepio Puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate,* SED MAGNUM ALIQUID LATEBAT IN PARVO. Sanè Beatum noſtrū tum exercitatio Litteraria, tum veſtis paupertas contemptibilem faciebat, ſed enim in eo ipſo ſcholaſtico pulvere, in quo pariter cum alijs è ſeculo Juvenibus verſabatur, neſcio quis Virtutis fulgor, animíque magnitudo relucebat, quâ omnes in admirationem rapiebantur. *Iacebat contemptibilis paupertate, ſed* MAGNUM ALIQUID *latebat in parvo.* Argumentabatur, non ut ruboris cuipiam cauſa eſſet; diſputabat, non ut Sapientiæ famam conquireret; ingeniū ſtudijs acuebat, ac præclara illius ſpecimina edebat, non ut ulli palmam præriperet: ſed quòd ità Obedientia juberet. Nemini contentione labo-

Serm. 35. de Temp. To. 41. 108.

ris cedebat; ſed eo potiſſimùm loco ac gradu reponi cupiebat, à quo univerſi refugiebant: erat tanquam unus è nobis; verùm demiſſione animi, modeſtiâ, temperantiâ, pietate, ſeſe affliƈtandi, ac Deo conjungendi ſtudio, prô quantum ſupra nos omnes eminebat! *Iacebat*, ſi vitā cōmunem ſpeƈtes: *ſed magnum aliquid latebat in parvo:* Si nimirum humanā litteraturam Divinitati ab eo conſecratā conſideres. Hæc illa Anima erat, quâ Aloyſius humanæ ſapientiæ, & conſvetarū, nihílq; à vulgo abhorrentiū aƈtionū cadaver animabat, hæc, inquam, vis erat, quæ ſtudioſæ Juventutis licentiam caſtigabat, & pietatem accendebat.

92. Quam ob rem foret ille nimiū ſimplex, qui de Aloyſio crederet, quod de illo fingere Piƈturæ placuit. Errat, qui ſecum ità ratiocinatur: Nempe haud difficile fuit Aloyſio, eas animorum mutationes efficere, cùm ejus latus Angeli ſtipârint, illi ſeſe Cælū aperuerit, & ex ejus vultu cæleſtes radij abſiſtere conſpeƈti ſint. Id quidem vos à Piƈtoribus ità videtis expreſsū.

Ve-

Verùm id, quod in pictis tabellis proponitur, in Beato Juvene vel à paucis, vel parũ manifestè, cùm è conclavi prodiret in publicum, deprehensum est. Haud legimus, eum in hominum frequentia à sensib⁹ abalienatum in sublime raptum fuisse, neq;, cùm in Sodalium Cœtu versaretur, luce collustratũ, nec Angeli præsentiâ aspectabili fruitum esse. At neq;, quẽ Aloysij humeris Pictores imponunt, cum ille hominem attactu suo sanitati restituit, sed ut ægrum è terra sustulerat, ità deportavit ad Xenodochium, & morti proximum in lecto deposuit. Et sanè in eo facto prodigiosa illius Charitas fuit, at nulla Miraculi cujuspiã umbra. Nostris ille instrumentis ad emendandos homines, sed arte videlicet suâ usus est. Quã rem ut pleniùs edisserã, accipite, quid Cresino cuidã homini Libertino in hac Urbe acciderit. Emerat hic sub ipsa Urbis mœnia agellum perexiguũ, eúmq; brevi tempore tam fertilem reddidit, ut amplissimis Senatorum Latifundijs invidiã moveret. Quam ob rem non defuerunt vicini Coloni, qui hominẽ veneficij

arcessèrent, ut qui pessimis artibus solũ excantaret, ac fruges alienas pelliceret. Dictâ igitur die in Foro Romano præstò fuit, jámq; Tribubus in suffragiũ ituris, palàm confessus est, non habere se, quo accusationẽ declinaret, nec recusare flam̃as, quibus, utì præstigiator, exureretur; id unũ postulare, ut Augures Veneficij ordinẽ, modũ, atq; instrumenta priùs recognoscerent. Ingens animorũ expectatio coorta, nec dubitabant Judices, volumina Viperarũ, virgásq; serpentũ spiris implexas ab eo in medium proferendas esse: cùm ille vomerum ac Ligonum mole ac soliditate com̃unem modum excedentium magnum numerum ante Rostra projecit; adduxerátq; etiam quatuor juga boum nitidâ cute, ac robore præstanti, Filiam præterea validã, ac sole perustam. Tum verò, Hæ sunt, inquit, artes ô Romani, hæc tota præstigiarum mearum ratio. Nec mora continuò totâ concione plaudente, absolutus, & meritis laudibus cohonestat⁹ est. Id totum Plinius narrat in hunc modum. *Instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit*

Lib. 18. c. 6 Nat. Hist. To. 57. 157.

xit FILIAM VALIDAM, *atque, ut ait Piso, bene curatam, ac vestitam, ferramenta egregiè facta*, GRAVES LIGONES, VOMERES PONDEROSOS, BOVES SATUROS. *Postea dixit:* VENEFICIA MEA, *Quirites*, HÆC SUNT; *nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigiliásque & sudores.* OMNIUM SENTENTIJS EST ABSOLUTUS. Ijsdē, ut arbitror, verbis è Cælo Aloysius compellaret eos, qui putarent, sanctitatē suam à prodigiosis Raptibus & splendoribus inusitatis dimanâsse. Ne, quæso vos, existimate eos, quos in virtute progressus feci, familiari cum Angelis consvetudini; objectísq; Cælitum spectaculis referri acceptos debere. Quantulumcunq; præstiti, id omne ijsdem, quibus vos, legibus, pari vitæ ac studiorum ratione assecut⁹ sum. Hęc atria, scholę, Aulę, Horti, Civitas hæc eadem, quā incolitis, inaspecti Martyrij mei Arena extitit, hoc stadium cælestes has mihi palmas peperit. Ità planè diceret Aloysius, nec aliter se res habuit. Non plura, quàm nos, tēpora precib⁹

dedit, ſed nempe mentē nulla res alio abducebat: ſed eam rem veluti votorum metã, ac deliciarum ſuarum fontem ſuſpirabat: ſed ad eam tantâ curâ præparabat ſeſe, quantâ nos ſupremum Chriſti Tribunal adiremus. Studijs operã navabat, uti nos: ſed mente ſemper in Deum defixâ, certus ſapientiæ pompã non facere, nec niſi ad ſalutē, atq; utilitatē populorum eam adhibere. Fratrum ſuorum pedes, more noſtro deoſculabatur; verùm eos, quibus accidebat in genua, loco Cathedræq; dignitate antevertere neutiquam cupiebat. Deniq; quidquid ageret Aloyſius, non ad conſvetudinem, ſed ad pietatē exigebat, ſtudiosè, non temerè, non in ſpeciē, ſed ex animi ſui ſenſu perficiebat. *Graves ligones, vomeres ponderoſos, boves ſaturos.* Non itaq;, non ſunt nobis ad Virtutis facē exemplo noſtro proximis præferendã leges aliæ, aliæq; conſvetudines neceſſariæ, quàm noſtrę: certóq; nobis perſvadere poſſum⁹, fore, ut quemadmodum Aloyſium noſtrum Magnum effecêre res comuni uſu tritæ, ità uſitatã vivendi rationē, actionéſq; minimè

mè ſingulares nobis ad inſignem virtutem ſanctitatémq; maximis Cælitum parem abundè ſufficiant. Nempe ut Creſinus agrum haberet uberrimum, malis artibus, malorúmq; Geniorum ope opus non habuit. Ligones, ac Boves, at hi quidē bene paſti, & illi egregiè limati efficiunt, ut Cōſularium Virorum ac Conſulum im̄enſa prædia meſſis æquet agelli, quem triduo gemini vomeres totū proſcindunt. Quòd ſi ergò Scholaſtici noſtri ea ſervaverint, quæ ſtudiorum ratio ijs & præſcribit, & indulget, nihil porrò dubitent, in minimarum rerum accuratione, quamvis abſint Heroica illa Magnificáq; opera, ſatis eſſe præſidij, ut in Viros Apoſtolicos evadant, & Apoſtolis digna præmia conſequantur.

93. Quid ſi autem non ſufficere ſolùm res ſuâ naturâ non magnas, verùm etiam, ſi ritè illas peragere noveris, ad nobiliſſimas promerendas Coronas majorē quàm grādes illas habere vim dixero? Ajo enimverò, teſtémque ejus rei vel ſcriptorē externum adduco. Nemo erat inter Græcos, qui Epaminondæ Imperatoris artes non ma-

magnopere collaudaret; at Plutarch⁹ illũ Ædilẽ magis, & Viarum Curatorẽ, quàm Ducem Copiarum mirabatur. Cujus rei causam Trajano Cæsari reddit Auctor laudatus, sapientérq; animadvertit, ipso illo belli apparatu, famâ, gloriâ, stipendijs, imperio, triumpho, quæ sum̃um imperium comitantur, ignavos quoq;, & quibus nulla pietas in patriam, plurimùm extimulari, ut fortiter illud administrent. Contrà humilitas, & obscuritas muneris à Fontium, & Aquæ ductuum curâ Prefectũ avocat. Solus Epaminondas inventus est, qui eâdẽ sedulitate siphones, & canales sordibus purgaret, quâ hostium spolijs forum ornavit, & cæsorum corporibus fossas implevit. Idem prorsus in hac divina Religiosorum Ordinum Republicâ videre licet, in qua grandia facinora ipsam quoq; tepidorum hominum socordiam stimulant, & frigus accendunt: è contrariò in rerum minimarum accuratione, ac ignobilium administratione munerum ferventissimi quiq; languere solent, nisi Christi Amor suâ eos luce collustret, demonstrétque

De civil. Inst. ad Traj. To. 110. 17.

quàm

quàm im̃ensum ijs pretium sit; eósq; desiderio amplexandæ Crucis, & in partem cum ejus ignominijs veniendi vehementer inflam̃et. Provincijs præesse, Collegia regere, magnis in Urbibus ad concionem dicere, Divina Volumina interpretari, ex uno in alium orbem navigare, Antipodas erudire, Schismaticos ab errore deducere, Tyrannos reprehendere, Principes officij admonere, multorum est: & quamvis multo sudore ac sanguine procurationes ejusmodi stare consveverint, vix tamen supplices eorum libellos, qui ignota tentare maria, ad Cocincinam, ac Japoniam dimitti postulant, Præpositorum nostrorum scrinia capiunt. Ut adeò, si Præfecturas Collegiorum excipias, pleraq; illa, quę nominavimus, negentur innumeris, nec ulli, qui non eadem sæpe vota iteraverit, committantur. Ex alia verò parte accuratissimum Disciplinæ Religiosæ studium inculcatur omnibus, & paucis persvadetur. Quamvis Jeremiæ sceptrum non vigilet modò semper, verùm etiam in negligentes non raò distringatur. Quot Cœtus totius an-

anni spatio à carnib⁹ abstinent? Quàm verò pauci sunt Anachoretarum, qui, licet summam asperitatem, & perpetuam penè inediam profiteantur, & nunquam vel ova, vel lac, quæq; ex his esculenta coquuntur, attingant, manum à salino contineant, ut paucas herbas, quibus famem solantur, sapore qualicunq; imbuant? Siccíne verò tot sunt, qui à Butyri, obsoniorúmq; delicijs sibi temperant, & paucissimos sit reperire, qui salis exquisitissimâ diligentiâ dimensi condimentum, ne dum omnem ej⁹ usum sibi interdicunt? Neq; hoc mirum vobis videatur, ea enim ab altilibus alitibúsq; abstinentia Tubam inflat, plausum canit, & admirationem sectatoribus suis conciliat: neq; est inter mortales ullus, qui rigidæ illius abstinentiæ cultorem non homine majorem, & ex merito quidem æstimet. At enim ad condimenta nemo advertit animum. Atq; ideò non victûs illecebrosioris continentia, sed major attentio famæ illa demum res est, quæ maximos Exercitus sub ejus virtutis, quæ à carnibus temperat, signis colligit; cùm ex sexcen-

tis

tis fortè ne unum quidem reperias, qui olerum condimenta posthabeat; quorum scilicet neglectus solam à Deo laudem, nullam à populis admirationem reportat. Id totum, quod diximus, à Petro Damiani celebri Solitudinum Magistro animadversum fuit. *In his despicabilibus rebus*, inquit, ET GRAVIOR *abstinentia*, ET MINOR *est gloria: Faciliùs enim carne*, QUAM SALE, *quis abstinet. Quamquam & parentes nostros de Paradiso Pomum projecit, non* PIGMENTUM. *Quia non est in culpa, quod pluris emi*, SED QUOD POSSIT AVIDIUS CONCUPISCI. Hic Vir, inquiunt omnes, hic est, qui pedem è Cænobio nunquam effert, ut liberiorem auram capiat: quò fit, ut omnibus, qui fortè supervenêre, digito monstretur, & cum omniū stupore suspiciatur. Quis autē unquam ceu Virtutis prodigium adoravit Juvenem illum, cui vitam, quàm Modestiam ponere facilius est? qui mavult extremum spiritū morti impendere, quàm per ea tempora, quæ Silentio consecrata sunt, vocem mittere? Et sunt tamen multa homi-

Ex Epist. 7. To. 14. 22.

minum millia, quæ rigidiſſimis incluſa ſeptis vitā exigunt, & Eccleſia Chriſti Religioſas Familias per Centurias numerat, quæ, quid ſit animū relaxare, penitus ignorant. Interim non omnibus Juvenib⁹, aut Senibus, quantamlibet vitæ aſperitatē profeſſis aut modeſtia dejicit oculos, aut Lex Silentij Linguam premit, & os obſignat.

94. Nollem ſanè gravis auribus veſtris eſſe, idem tamen, quod Plutarchus de geſtis ab Epaminonda Magiſtratibus tradidit, referre ad Abrahami gloriam percuperem. Liceat itaq; per vos mihi, memorandum illud, & nunquam ſatis celebrandum inviĉtiſſimi & obedientiſſimi Viri Sacrificium retraĉtare, quamvis ſub diſſertationis hujus exordium multus mihi ſuper eo ſermo fuerit. Sanè omnes magnum illum Patriarcham in Monte ſacrificantem vehementer obſtupeſcimus. Et vos quidem Abrahamum ſuſpicitis, cùm Filium vinculis adſtringit, & Victimam deſtinat; eúmq; pariter omnes Sacrarum Litterarum Interpretes maximopere comendant. Ego verò,

verò, videte, quàm ſim temerarius, non e-
um adoro, cùm in unicam prolem ferrum
ſtringit, ſed cùm id in Arietis jugulũ ac vi-
ſcera demittit. Coṁovebatur Animo Pa-
triarcha, quis enim dubitat? ac mirè diſ-
cruciabatur, cùm inſontem Juvenem vin-
culis oneratũ pyræ imponeret: ità tamen
ſecum ratiocinabatur: Sanè ſpem omnem
poſteritatis meæ hic enſis truncabit: ſed
quotquot olim futuri homines ſunt,
hoc meum facinus celebrabunt, dicént-
que repertum fuiſſe hominem, qui ab-
ruperit viſcera ſua, & unicam prolem, ut
Numini obſequeretur, ſuâ manu jugulâ-
rit. Certè Hærede carebo, ſed & Æmulo,
qui admirabilis Holocauſti gloriâ mecum
conferri poſſit. Novi fore, ut Pater Æter-
nus Filium ſuum hominum ſervandorum
causâ hominem jubeat naſci, ſed me-
um ego ex hominibus, illi ut obedi-
am, exturbo. Moriatur Iſaacus, ſed
æternùm vivat Abrahami Religio, cui
hæc Victima Æternum Sacerdotii Regnũ
deferet. Hæc ſecum Hebræorum maxi-
mus, cùm ſanctiſſimo conſilio in pignoris

cariſſimi necẽ enſem ſtringeret. Continuò ubi Arietem Filio ſubſtituere juſſus eſt, omnis ille gloriæ, ac nobiliſſimi triumphi apparat⁹ evanuit. Immo quanto Heroëm illum pudore perfuſum exiſtimatis, cùm è Monte deſcendentem Servi in valle relicti occuparent, interrogarentq; quàm nobilem Victimã im̃olâſſet, cujus causâ domo digreſſus, ac tridui emenſo itinere Montem conſcendiſſet, novum utiq; ac retroactis ſeculis inauditum ſacrificium perpetraturus: atq; ille aliud reſpondere nõ poſſet, quàm Arietem, eúmq; non ſuum, ſed temerè inter virgulta deprehenſum Numini à ſe datum, crematúmq; fuiſſe. Nihil horum invictiſſimum Virum latebat, cùm Filio pecudem ſubrogavit; neq; ſui dedecoris ignarus, omnes tamen cæremonias, quas in conſecratione Filij adhibuerat, in Arietis ſacrificio ſervavit. Et huc, niſi fallor, reſpexit Ambroſius, cùm de Abrahamo in hanc ſententiã ſcriberet. *Vbi abſtinere à Filio juſſus eſt, gladium libenter recondit: & qui immolare Vnigenitum Fidei intentione properabat,* MAJORE PIETATIS STU-

Epiſt.45. ad Siſyn. To.40. 80.

STUDIO FESTINAVIT OVEM SUBROGARE SACRIFICIO. Planè quò minùs in vulgus probabile, ac minùs celebratũ opus eſt, tantò magis operantis in Deum Amor reſplendet, ſiquidem eâdem, quâ ad ſuſcipiendas arduas, magnanimas, & Virtutis admiratoribus venerabiles expeditiones ferebatur, religione, accurationéq; perfecerit.

95. Age enim, quanta eorum multitudo fuit, qui Apoſtolorum temporibus ampliſſima patrimonia Evangelio poſtpoſuerunt? Attamen Maria Magdalena, ſolius unguenti effuſione, cùm avita prædia, opéſq; nihilominus retineret, omnem illorum liberalitatem ſuperavit, qui cum Anania ſuis ſe bonis abdicârunt: & horum quidem nomina tacentur, illã verò tum Evãgeliſtę collaudârunt, tum Chriſtus Amantium Reginã appellavit. Adeò ſcilicet verum eſt, res minimas in maximas evadere, ſi ab Intentionis ſanctitate, operíſq; opportunitate ſuſtolluntur. Exiguum profectò illud erat, quod Magdalena Chriſto largita eſt, ſed illud ſcilicet dedit, quod amabat

maximè; ſed in omnium factum illud non modò non laudantium, verùm etiã improbantium conſpectu dedit: ſed anguſtum illud Alabaſtrum imẽnſo quodã amore replevit, plúſque inde pietatis effudit quàm Nardi. Quam in rem animadvertendum eſt, licet homines omnes integris membris in lucem edantur, ac pleriq; etiã reperiantur, quibus nec digitus, nec oculus deſit, pauciſſimos tamen eſſe formoſos, eò quòd dignitas oris, ac totius corporis majeſtas ab ultima exquiſitiſſimáq; proportione pendeat, quæ indeprehenſis quodamodo lineis alium ab alio vultu diſtinguit, & è Monſtro Heroëm efformat. Pergamus.

96. Quis eſt, qui non adoret in Chriſto vel Crucem, quam pertulit; vel flagra, quę ſuſtinuit; vel Clavos, quibus transfixus eſt; vel vulnera, quibus Redemptionis noſtræ lytrum perſolvit? Iſaias tamen poſtquam obiter ſævitiem ferramentorũ attigiſſet, linguæ ſilentium collaudat, neq; de Scribarũ, à quibus accuſabatur, calumnijs, neque de iniquiſſimo Præſidis judicio, quo Iſai. 53. 7. damnabatur, conquerentis. *Oblatus eſt*, *quia*

quia ipse voluit, ET NON APERUIT OS SUUM: *quasi* AGNUS CORAM TONDENTE SE OBMUTESCET, *& non aperiet os suum.* Non atrocitas & multitudo vulnerũ toto corpore patientium, sed oris ad omnes injurias occlusi constantia in admirationem Evangelicũ Vatem rapuit. Et meritò; sunt quippe innumerabiles tum inter Idololatras, tum milites in acie universi, qui gladijs occurrunt, mortem provocent, nec pauci eam inferant sibi. At vix ullũ reperias, qui ictꝰ non exclamet, & injurias injurijs non repẽdat. Idcirco Ambrosius Christum, cùm accusaretur, veneratus. *Dominus*, inquit, *calumnijs appetitus* SILENTIUM DETULIT TRIUMPHALE. Jam verò si ad acerbissimos Christi patientis dolores, qui omnes omnium Martyrum cruciatus longissimè superârunt, & Terrarum Orbi salutem attulerunt, vix animum reflectunt Prophetæ, cùm eos cum Servatoris silentio, quod nos in illo fortè ne advertimus quidem, componunt, quis deinceps ausit negare, res minimas cum maximis in con-

Serm. 17. in Psal. 118. To. 10. 329.

tentionē venire, ac ſæpe numero palmam auferre, nempe quas nullâ plerumq; homines laude dignantur, & hoc ipſo nomine multo cum majore, atque inſuperabili propè difficultate prægrandibus illis executioni mandantur.

97. Erit fortè, qui dicat, tam minutam, exquiſitámq; in agendo diligentiam Vitæ noſtræ generi haud admodū convenire, quæ, cùm ſit Apoſtolica, & ſum̄orum juxta infimorúmq; conſvetudini obnoxia, tā anxijs ſcrupuloſíſq; curis implicari non debeat: vel eam etiā ob cauſam, quòd ab ea circumſpectione Maximi quiq; Operarij, quibus ætas, & rerum geſtarū gloria auctoritatem contulit, abhorrere videantur. Diluamus objecta, & orationi finē imponamus. Et primò quidem confiteor, à Societatis noſtræ Hominibus, inter Indos maximè, Miſſionéſq; Europæas verſantib⁹ difficulter admodum eam taciturnitatem, modeſtiam, interiorem exteriorémq; cōpoſitionem ac pacem̄ ſervari poſſe, quam Aloyſius exemplo, & S. Pater latâ Lege præſcripſit ijs, qui cras Religioſum Sacramen-

mentum instaurabunt. At non perinde fateor, eos impunè posse rerum istarum incurios esse. Quin imò tametsi Scholasticorum placida solitudo, & Missionariorum irrequieti labores multùm inter se dissidere videantur, ab illa tamen hos magnopere confirmari ac corroborari contendo. Causam, cur ità sentiam, accipite. Posteaquã nasciturum Joannem Archagelus docuisset, continuò ejus Pater obmutuit, Mater se occultavit. Infans vix in lucẽ editus ab ipsis, ut ità dicã, uberib⁹ in sylvas migravit, & triginta ipsos annos se in cavernis abdidit, ac vivum sepelivit. Quis nõ in Zachariæ Domo Carthusias adumbrari dicat, & Joannem toto vitæ suæ tempore mutũ futurũ, & nullâ emissâ voce moriturũ pronunciet? Atqui Joanne nihil eloquentius, & quantus quantus erit, vox erit, nec ullus totâ Palæstinâ vel Regũ Aulas frequentabit sæpiùs, vel majorẽ populi frequentiã habebit, vel acriùs, crebriúsq; in morũ corruptelas invehetur. QUANTO SILENTIO VOX NASCITUR? *Quantâ* TACITURNITATE TUBA

Chrysol. Ser. 92. To. 3. 96.

sæculis inclamatura GENERATUR! Ain' verò Joannem nasci, cùm pater tacet, mater latet; ac subinde in tricesimũ usq; annũ mutũ in nemore delitescere? Ergo non solùm non dicet ad populũ, verùm ne ullo quidẽ verbo Leges patrias defendet, & improbos castigabit. Rectè tu quidẽ præfaris, at pessimè colligis. Ipsa eum Taciturnitas in vivam Verbi vocẽ fingit, ac præparat. Thomã Aquinatem Condiscipuli Bovem mutum vocitârant, at non multò pòst inter Professores Theologos Tonitrui Filium, & Sapientiæ Tubam Academiæ miratæ sunt. Itaq; rerum minimarum accuratio sedula, quamvis cũ Apostolicis muneribꝰ conjungi semper haud possit, domi nostræ Apostolos formabit interim, & in totum Orbem Terrarum ex his parietibus dimittet.

98. Sic est profectò: nam Vitulus ubi primùm terrã attigit, exsultat, & campos haud segniùs, quàm equinꝰ pullus itidẽ à partu recens percurrit, sed nempe Bos ille deinceps erit incessu tardissimus. Contrà Falcones intra ovi ambitũ crescunt, & diu an-

angusto illo putamine, ceu carcere attinentur, at neq; statim, cùm excluduntur, avolant; quin menses totos investes & implumes in nidi stramentis imoti, & velut capti membris, residésq; jacent. At enim quē prima ætas tam tardū & desidem finxit, is supra nubes sese evehit, atq; ab alio ad aliū polū fulminis instar evolabit. Ità prorsus Juventuti Religiosæ usuvenit. Illos illos Christi Vinea strenuissimos Colonos accipiet, qui in ea ætatis mediocritate, statuæ quodamodo, stupidíq; atq; ad laborē inepti videbuntur. Ille Regum ac Principum Aulis moderabitur, qui modò prodire è conclavi veretur. Illius Eloquentia Italiā universā personabit, cujus lingua modò vix unā alterámve syllabā eluctatur. Omnes ætatis suæ Apostolos antecellet, non qui eminere inter Condiscipulos studet, sed qui in postremum locū rejici, & tanquā abortiv⁹ abjici gaudet. In adjectos Urbi agros convertite oculos, atq; animadvertite, semen illud in altiorē, uberiorémq; spicā assurgere, quod per hyemem minùs excrevit, & minimùm sese à terra

sustulit. Quis agriculturæ imperitus est adeò, ut ad sementē depascendam non pecudum greges im̃ittat, optétq; eos culmos verno tempore humillimos esse, quos in im̃ensum excrescere cupit sub æstatem. Quanto igitur Religiosi Juvenis, & studijs operam dantis conditio pugnare cum Evangelij Præcone videtur, tanto ea magis teneros animos confirmat, & ad uberiorē Animarum messem faciendam informat.

99. Opponebant deinde, si rectè memini, Religiosarū Frondium Contemptores, Foliorū ejusmodi ne umbram quidē in maximis, fecundissimísq; Arboribus conspici: vel, ut dicam apertiùs, exquisitam illam Aloysij diligentiam, & Scholasticorū nostrorum penè superstitiosam Religionē Viris ætate, auctoritatéq; prçstantib⁹ haudquaquam in usu esse. Et primùm quidem nego hæc, ut affirmas, ità se habere: imò fateor ingenuè, me, cùm in hoc Collegio degerem, è gravissimis doctissimísq; Viris illud Religiosæ Disciplinæ studiū, illam sui vincendi alacritatē didicisse, quam in me ipso exprimere, & quodam̃odo ijs reprçsētare

tare haud potui. Sacerdos quilibet,& quivis è numero Veteranorũ viva quędã mihi Constitutionum nostrarum Epitome, & animata rectè vivendi forma videbatur. Et quemadmodum eâ tempestate, accuratione, sedulitatéq;, quam svadem⁹, Senes nostri mirè floruerunt, ità certò mihi persvadeo, eam plus, quàm unquam aliàs, florere, atq; uberes fruct⁹ proferre apud potissimam partem eorum, qui celeberrimæ hujus Academię Mysticum Corpus componunt. Fac autem vera esse, quæ sunt falsissima; Cedò, verecundia illa, & solitudinis studium, quod Juniorib⁹ svademus, in Veteranis emeritísq; non spectetur: quid tum? Num ideò illi à custodia sensuum, & Legum observantia remittere quidquam debent, quia contraria istorum exempla sunt? Neutiquam profectò: fieri enim potest, ut, quod vobis sũmopere necessarium est, eo illi fortè non egeant. Illi, cùm ea, quâ vos, ætate essent, nullam sibi Frondẽ avelli, nullum excuti folium passi sunt, & juvenilium annorum exemplis testantur, ac clamant: *Fuimus, sicut vos.* Atq; hanc

hanc meam ſententiam confirmat, quod notat Plinius, ſummâ nimirum curâ, ſtudióque intra Conchyliorum ſinus Margaritam formari, quòd tonitrua illi pallorẽ inducant, & candorem adimant nullo deinceps ævo recuperandum. Ait igitur. *Partum Concharũ eſſe Margaritas:* EUNDEM PALLERE, CÆLO MINANTE CONCEPTUM. Unionem hunc, poſtquam ſemel è Concha excluſus fuerit, vel ſub dio conſtitue, quo tempore turbines ſæviunt, fulgura micant, Cælum omne tonitruis fulminibúſq; miſcetur, videbis profectò, neq; colorem mutare, nec min⁹ candidum, teretémq; inter omnes tumultuantis aëris furias perſiſtere, quàm ſi ſudo Cęlo depromptus, & in eburneis thecis, & inter Serum vellera collocatus fuiſſet. Videtis, quanto plurib⁹ adminiculis opus habeant ea, quę creſcunt, quàm quę jam maturuêre, perfectáq; ſunt. Corporib⁹, animíſq; illis, cùm adoleſcunt; his cùm ad Perfectionem Apoſtolicam informantur nullâ ſatis cautelâ proſpectum eſt. Ij verò, quos ſenectus & multa exercitatio in vir-

Lib. 9. c. 35. To. 57. 64.

tu-

tute confirmavit, & contra omne genus vitiorum obarmavit, nullâ, vel certè mediocri circumſpectione opus habent. Caſtaneam recèns ſatam quot præſidijs defendimus? eam non ſemel circumfodim⁹, irrigamus quotidie; ad palos religamus; ab omni parte ſpinis circumplectimus. Quilibet eam æſtus adurit, nullo non vento curvatur, quovis morbo affligitur, atq; inareſcit. Eadémq; adulta, juſtámq; magnitudinem aſſecuta non modò non colitur, aut cuſtoditur; verùm licet in eam Tauri arietent, ſecures vibrentur, truncum ipſum exurant, vaſtóq; hiatu excavent flam̃æ, floret illa nihilominus, & nuces ſuas profert, fructum è tot injurijs referens. Nemo, ut opinor, non videt, quàm graphicè Natura hujus Arboris paradigmate Arbores Gratiæ deſcribat: quib⁹ cùm adoleſcunt, Zephyri quoq; incom̃odant, & Capræ morſus exitium infert: ſubinde verò nec Aprorum dentes, nec Elephantorum Proboſcides, neq; Militum arma, neq; tempeſtatum furiæ; nec terreſtres deniq; cæleſtéſque flam̃æ quidquam faceſſunt negotij.

Quam

Quam ob rem nemini posthac mirum videatur, si majorem à tenera ætate, quàm à matura, cõfirmatáq; circũspectionem cautelámq; requirim⁹. Certè Benedicto, sancto licet, cùm recèns se in solitudinem cõtulisset, & vel maximè studio virtutis inardesceret, vultûs nescio cuj⁹ aspectus vi tantâ Ignis Tartarei pectus accenderat, ut spinis opprimend⁹, & cruore fuerit restinguend⁹: deinceps verò cùm ætate Religiosáq; Professione jam multùm processisset, Virginib⁹ quoq; imperavit, quin ullum Castitati suæ periculum crearetur.

100. Huc accedit, quòd proceræ, grandésq; Arbores, si quam fortè Frondium inopiam patiuntur, eam ubertate pomorum, suíq; Autumni fertilitate compensent. Nempe cùm Preces Horarias suis temporibus recitent; Cælestem Hostiam quotidie super Aras im̃olent: Evangelium pro concione explanent perfrequenter: de com̃issis suis se accusantes pro sacro Tribunali patienter auscultent, ac benignè dimittant, Urbes instituant, Juventutem in litteris ac pietate instruant, Sacra Volumi-

mina ab impiorum calumnijs vindicent; salutaria consilia suggerant; editis in lucem libris Religionem propugnent; Hæreses profligent; vera stabiliant, falsa confutent: æquitatem tueantur; solentur oppressos; ad Modestiam, & Justitiam Principes, Viros exhortentur: Ecclesiam denique tum probatissimæ vitæ præclaris exemplis consecrent, tum Sacræ Theologiæ armis comuniant; efficiunt profectò, ut levem quempiam defectum seu violati silentij, seu actionis non usq; adeò castigatæ, quem fortè in ijs notaverim⁹, excusare, condonaréq; tantis Viris possim⁹. Rem unam si addam, finem dicendi fecero. Periodum quandam Caij Gracchi comptulam magis, ac tinnulam, quàm pulchram, & gravem Academici quidam laudib⁹ in Cælum ferebant. Enimverò tam putidam adulationem non tulit Castritius, & vitium orationis malè sibi cohęrentis detexit. Secundùm hæc Juvenes illi, qui paulò antè Gracchum adorabant, eum aspernari, & Eloquentiæ Laureâ & famâ spoliatum in postremis Declamatorum reponere

coe-

cœperunt. Cùm Castritius; Heus vos, inquit, parciùs ista: magìs enim in tantum Virum peccatis, cùm contemnitis, quàm nuper laudando peccaveratis. Certè Caij Period9 illa laudes vestras non merebatur: verùm hoc non obstat, quo minùs omnes celeberrimi huj9 Oratoris eruditionem, copiam, ac vim dicendi admirari debeamus. Quem enim tot inter præclarissimæ facundiæ Lumina paucarum vocum obscuritas, atq; licentia offendit, is iniqu9 est Judex, & dign9, qui procul à Litteris omnibus relegetur. *Hæc ego*, inquit, *admonui non ut Cajo Graccho vitio darem (Dij enim mentem meliorem mihi) nam si quicquam in tam fortis facundiæ Viro vitij, vel erroris esse dici potest*, ID OMNE ET AUCTORITAS EJUS EXHAUSIT, *& vetustas consumpsit*. Ità profectò, si ulla levioris cujuspiam Legis in Operarijs de Ecclesia, & Ordine Religioso optimè meritis incuria notari posset, eam qualemcunq; maculam lachrimę populorum, quos ad frugem reduxerunt, eluerent: conscriptorum Voluminum, sanctionúmq;, quas in ijs Aucto-

ctorib⁹ Sacrorum Præsulum Senatus rogavit, subscripserúntq; Concilia, gloria opprimeret. Cæterum (si quidem eâ fide, quam Religiosissimo huic Collegio debeo, fatendum est, quod sentio) negari prorsus nequit, earum Frondium curam, quas exquisitissimâ diligentiâ Beatus Aloysius custodivit, omni ætati pernecessariam esse, non minùs, quàm Sampson quolibet vitæ suæ tempore capillis suis, re videlicet in speciem minimâ, sed si vim eorum ac virtutē spectem⁹, longè potētissimâ, vehemēter op⁹ habuit, ut quod de ipso Paulinus dixit, de quolibet nostrûm prædixisse videri possit. *Invictus*, CRINE SERVATO, ABSCISSO CAPTIVUS, *&* *iterum fortis* RENATO. Perinde ac si dicas: *Folium ejus non defluet: & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.* Epist. 4. To. 52. 28.

Sic auguror.



EXHORTATIO XXXII.

In Pervigilio B. Aloysij.

Justum deduxit Dominus per vias rectas. *Sap. 10.*

QUàm plenè, perfectéque nuncupatis à se tribus Votis satisfecerit B. Aloysius, eius Vita demonstrat. Ut Domi nostræ Pauper esse posset, tum paternis opibus, tum propriarum virtutum thesauris, quibus Domi suæ affluebat, exuit sese. Integritatis suæ Candorem in omnes, quibuscum versabatur, transfundebat. Obedientiæ studio Deum pro Deo liquit. Nos quoque Mundum totum Christo dedimus: est tamen interdum,

qui

qui alium ſibi è fumo, aut luto comminiſcatur, ac ſtruat, & ob res nihili Diadema Paupertatis amittat. Ità noſtræ Mentis munditiés, niſi ſenſus omnes imperio frenet, Coronâ caret. Quòd ſi denique Deum ipſum Aloyſius quodammodo fugit, ut Moderatoribuſ obtemperaret, quâ ratione Obedientiæ per ſanctiſſimas eas actiones, quas imperat, ad Deum nos trahentis ductum ſequi recuſabimus?

101.  Te miſerum, Aloyſi, qui ſimul ac Dei Domũ ingreſſus es, ſimul libertatem, auctoritatem, clientes, famulos, paternæ domûs cōmoda, & avitos Principatus amiſeris, ad eam egeſtatem ac mendicitatem redactus, ut ſub alieni tecti anguſtijs habitares, neq; veſtem, quâ tegebaris, dicere tuam poſſes! depoſitis quin etiam ipſo in limine Caſtilionenſis Marchionis titulis, gratiáq;, quâ apud tot

Regnorum, quæ per utrumq; Orbem ad Orientem, Occcidentémq; Solem extenduntur, Potentissimum Monarcham plurimâ florebas. Hoc nimirum erat, quod Moderatori tuo, cùm te ad Tirocinium nostrum exiguo stipatum famulitio deduceret, copiosissimas lachrimas expressit, cùm Principem adolescentem eâ indole, atq; expectatione in Demissionis, Paupertatísq; Religiosæ tenebras in omne temp[9] abstrudi, & ad nihilum quodamodo redigi videret. Certè nec ipse temperare mihi à fletu possum, si quando in memoriam revoco, vel expressam litteris recognosco tã grandem Juvenis nobilissimi mutationem, qui ex amplissima fortuna in tantam humilitatem se demiserit, ut inter Alumnos Societatis illius, quæ semper quidem Minima, sed eâ tempestate vix bene nata, inter calumnias, insectationésq; adolescebat, censeri, ac minimus pauperrimúsq; Sodalium omnium esse cõcupiverit. Facit ea res, ut exclamem denuò: Infelicem te, Aloysi, cui dies una, velut alteri cuidam Jobo, non res modò universas, sed vel ipsam omnis

mnis

mnis dignitatis ac priſtinæ fortunæ umbrã ſpeciémq; abſtulit! Atq; in hunc modum ego cum Beati Juvenis familia diſſerebam. At longè diverſa S. Fulgentij oratio eſt, qui dum cæleſti luce colluſtratus ex illo Aloyſij fortunarum naufragio Apoſtolicæ Perfectionis Evangelicam Margaritã conſpicatur emergere, magnis vocibus ejulat⁹ noſtros interrumpens, acritérq; caſtigans; Itáne vos, inquit, in ea jactura rerum inaniſſimarum, quam Aloyſius facit, lachrimas profunditis, nec in verarum, perpetuarúmq; divitiarũ quæſtu, quib⁹ ejus Anim⁹, quò ſpoliatior, eò ſanctior, ditatur, gaudio exſilitis? Certè Marchionatum ille perdidit; quid tum? ſed adeptus eſt Sanctitatẽ. Princeps eſſe deſijt; eſto: ſed Apoſtol⁹ eſſe incepit. *Et quidem ſine domo*, SED NON SINE DOMINO: *ſine veſte*, SED NON SINE FIDE: *ſine cibo*, SED NON SINE CHRISTO: *ſine bona valetudine corporis, ſed non ſine robore Charitatis.* Nempe! ab ijs, qui paternâ ditione cedentem irridebant, maledictis proſciſſus eſt, ſed ob animi magnitudinem reb⁹ humanis altio- *Epiſt. 2. To. 16. 5.*

rem Angelorũ Societate, ac, ſi fieri poteſt, invidiâ dignus eſt habitus. *Canibus expoſitũ, ſed Socium Angelorum.* Eâdem Fidei firmitate ſubnixus Auguſtinus, omnes Honorũ Titulos, quos Aloyſius in ipſo Societatis ingreſſu abjecit, ſolo Juſti nomine abundè compenſatos fuiſſe teſtatur: quod quidẽ decus anguſto duarum ſyllabarum ambitu circumſcribitur, verùm iṁenſi adeò pretij, Dignitatis tam infinitæ res eſt, ut exclamet: QUID SIT GRANDIUS ISTA BREVITATE, *non video.* Nam qui Juſtum dicit Aloyſium, is eum pariter Charitatis Formã, omnis Virtutis, ac Perfectionis ſpeculum, Cherubinorum Collegam, dilectum Chriſto Filium dicit. Equidem huic Angelo noſtro nominis illius gloria permagno ſtetit, ut quæ longiſſimi, ac difficillimi cursûs in Paupertatis, Caſtitatis, atq; Obedientiæ ſtadio peracti præmium extiterit: quo circa cum Gregorio Nyſſeno dicere meritò poſſumus. *Quot, quantiſque Virtutibus* HOC SACRO NOMINE *homo dignus efficitur!* Age modò, & quâ felicitate trium earum Virtutũ ſta-

In Pſal. 117. To. 12. 3. 70

In Vita Moyſis. To. 13. 56

ſtadium percurrerit Aloyſius, ſigillatim expendamus, eo conſilio, ut ejus exemplo incitati ſic noſtra Vota inſtauremus, ut eandẽ cum illo palmam, & paris curſûs par præmium referamus, & de noſtrûm ſingulis dici poſſit, quod Spiritus Sanctus de Aloyſio prænunciavit: JUSTUM *deduxit Dominus per vias rectas.*

102. Equidem haud ſatis aſſequor, ecquis ille Magnes fuerit, qui Aloyſium è paterna domo in noſtrã pertraxerit. Palatiũ habitabat reb⁹ omnibus inſtructiſſimum; ſupellex erat copioſiſſima, inſtrumentum argenteũ, Aulæis ſtrata pavimenta, egregijs ſpolijs, ac trophæis, quę Majores illius de hoſtibus ſum̃a cum gloria reportârant, exornati parietes, Abaci gem̃is opulenti. Et in hac humanarum fortunarũ affluentia non deerãt innocẽtiſſimo Juveni Chriſtianarum Virtutũ opes: inediam pane, frigidáq; ſolvebat: flagris ſe cruentabat; catenis corpus adſtringebat; diù noctúq; rerum divinarũ contemplationi vacabat; animi demum munditie cæleſtes Genios æquabat. Quid igitur neceſſe fuit, cum

tanto parentum dolore atq; indignatione ad Paupertatẽ noſtrã à Principatu ſuo cõfugere, utiq; cùm in Arce ſua vitã degeret ſanctiſſimã? Haud nego, Joſephum è Putipharis Ædibus fugã arripuiſſe, ſed ut enormis Incontinentiæ dedecus vitaret. Quid autẽ Aloyſium domo ſuâ expulit, in qua illibatũ Virginitatis florẽ ſervârat? Sanè de patris ſui Tentorio digreſſus eſt Abraham⁹: verùm ut peregrè Deum, ejúſq; cultum addiſceret, quẽ in patria non didicerat. Quid autem vel ad pietatẽ, vel ad omnẽ Virtutẽ Aloyſio defuit Caſtilione? Haud vereor dicere, illum domi noſtræ & precib⁹ minùs prolixè vacâſſe, minúſq; ſeverè ſuũ corpus accepiſſe, quàm ſuæ. Verùm enimverò in omni illa maximarũ Virtutũ copia, quâ in paternis ædibus affluebat, ſola illi Paupertas defuit, cujus deſiderio ęſtuans giganteis paſſibus ad Noſtrę Crucis vexillum per calcatum patrẽ, per calcatã matrẽ evolavit; provinciã longè difficillimã ſuſcepit; inextricabiles Labyrinthos evaſit; inſuperabiles obices perrupit; lachrimarũ torrentes, quos ejus advo-

luti

luti genib⁹ Clientes profundebant, & fratres in sinũ inundabant, transmisit; ut laboriosæ Vitæ absynthiũ è Penuriæ uberib⁹ sugeret. Idẽ proinde Aloysio, quod Dei Filio usuvenit. Hic cùm Patris esset in sinu, æterno imperio, sanctitate infinitâ rerũ omnium obsequijs, Cæli Terræq; opibus fuebatur. *Horum omnium æterna in Cælis affluẽtia suppetebat*, SED PAUPERTAS NON INVENIEBATUR IN EIS. *Porrò in terris abundabat, & nesciebat homo pretium ejus.* HANC ITAQUE DEI FILIUS CONCUPISCENS DESCENDIT, UT EAM ELIGAT SIBI, *& nobis quoque suâ æstimatione faciat pretiosam.* In hanc sententiam Bernadus de Verbo Æterno disserüit, & de Aloysio nostro vix non est vaticinatus. Serm. in Vigil. Nativit. To.41.140.

103. Hic certè cùm Comitibus suis, ac familiaribus extremùm vale dixisset, essetque ad egentissimum conclave deductus, ingentem animo lætitiã concepit, quòd se conclusum ijs parietibus videret, qui non solùm ornamentis omnibus carerent, verùm etiam Præsepij nuditatem simillimo

ſchemate repræſentarent, & apparatum omnem, lectulo eóq; perangusto, ſcabello humili, menſulâ duobus aſſeribus compactâ, & nihil præter precum Horariarum codicem, pióſq; libellos aliquot ſustinente, concluderent. Quibus gaudijs ob repertam tandem tot votis expetitam Inopiam tunc inceſſerit Aloyſius, quàm planè extra ſe poſitus, & in Deum abreptus fuerit, ij ſcilicet noverunt, qui parietibus illis ſvaviſſima figentem oſcula, qui pavimentum, & aſſeres illos lachrimis perfundentem, qui demiſſo in genua corpore, ductíſque ex imo pectore ſuſpirijs Conclave cōſecrantem aſpexerunt, in quo velut in Sacratiſſimo Templo totum Deo ſacrificabat Orbem Terrarum. Exultabat, pſallebat, & rorantes lachrimis oculos ad Cælū convertens; Ergò, inquiebat, Petro me Sodalem tandem aliquando addidi? ergò demum mihi ad Christi meâ cauſâ in ſtabulo nati pedes abjecto ijſdē uti vocib⁹ licet? *Ecce nos reliquimus omnia.* Has inter voces ardentiáq; ſuſpiria idē ille Aloyſius, cui nuper nobilitas ſua, Principatúſq; tam gra-

Matth. 19. 2.

gravis erat, dolebat modò, quòd non plurium Provinciarum, Orbísq; universi Rex esset: ratus se nihil admodum Christo donâsse, cùm Arces duntaxat, Oppidáq; supremo licet imperio à se possessa, illi transcripserit. Utinã, exclamabat, centum viginti septẽ Provincijs cum Assvero imperarem, quàm volupe mihi foret, eas omnes à me rejicere, & Dei ac Domini mei pedibus universas substernere!

104. Quibus porrò laudibus tantã animi divitias aspernantis magnitudinem celebraturum fuisse Syracidem existimaris, qui rem prodigio similem, atq; ad eam diẽ inauditã appellavit hominem mortalẽ auri fulgorem non per scopulos quoque & præcipites voragines insequi? *Post aurũ non abijt, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Quid, inquam, dicturũ fuisse putatis, si Juvenẽ vidisset proximâ Regibus stirpe prognatũ, non modò divitias non consectari, verùm etiam velis remísq; fugere, nec ob aliã causam paternis ditionib⁹ se abdicare, quàm ut in Societate Jesu

Eccles. 31. 9.

ſu quovis mendico pauperiorem vitã vive-
Epiſt.24. ret? *Laudatur*, inquit Bernardus, *& admi-*
To.58.333. *rabilis prædicatur, qui poſt aurum non abijt:* QUI VERO ET ABJICIT, *plus nihil merebitur?* Equidem quid eâ re promerit⁹ ſit Aloyſius, nec ego vobis exponere, nec plenè vos intelligere poteſtis, niſi ad præmium illud, quod Chriſtus ei, qui hauſtam è puteo ſuo aquam Evangelij ſui Præconibus propinâſſet, ſe collaturũ ſpopondit, animum advertatis. Nam ſi Fideijuſſorem, & Remuneratorẽ habet Deum, qui pauculũ frigidæ, viliſſimum ſcilicet & inemptum liquorẽ, ſuâ causâ Miniſtris ſuis obtulerit: ecquod demum illius præmium erit, qui tantas opes, quas habebat, pro Deo reliquit, & univerſa etiam, quæ non habebat, voluntate deſerüit?

105. At enim nemo eſt noſtrûm, qui Gonzagæ curſum in ſtadio Paupertatis, impreſsáq; ab eo veſtigia, hac quidem ten⁹ non fuerit aſſecutus. Tametſi enim pauci ſint eorũ, qui me hoc loco dicentẽ audiunt, qui Chriſti causâ in Gazophylacium, quod ipſe in Calvario monte primus conſti-

ſtituit, Provincias ac Principatus, ditionéſque ampliſſimas, quas ijs naſcendi fortuna contulerat, injecerint, omnes tamẽ graviſſima illa duo Minuta, hoc eſt domũ ſuam, totúmq; illud, ſeu tenue, ſeu opulentũ patrimoniũ, quod à parentibus expectabant, immisêre. Ut adeò Bernardus ſtatuam, quam Religioſæ Paupertati erexerat, nobis quoq; omnibus ponat, & ea, quib⁹ nos ipſi exuimus, ijs, quibus Jobus eſt exutus, exæquans, quemadmodũ afflictiſſimi, fortiſſimíq; Viri ſimulacrum ijs verbis exornavit: *Sua patienter amiſit*; ità effigies quoque noſtras ſimili elogio cohoneſtat. *Sua libenter dimiſit, & liberaliter diſtribuit.* *Epiſt.* 23. *To.* 58. 332.

106. In eo igitur rei iſtius cardo vertitur, ut quemadmodũ Aloyſium paternorum abdicatione bonorũ, & juratæ Deo Paupertatis religione ſecuti ſum⁹, ſic ejuſdem conſtantiſſimã in propoſito fidem, & ſeverã adeò abſtinentiam, ut nunquam, citra expreſſam Præſidũ veniam, vel ſcriptorium calamũ mutuum dare, vel ſumere ſit auſus, pari quoq; ſedulitate conſectemur. Omnes ejus opes erant ſimplex è charta

Icun-

Icuncula S. Catharinæ Virginis & Martyris, ac Patronæ ſuæ effigies, ejúſq; habendæ non ſolùm ab omnibus Præſidibus, quos alios alióſq; interdũ erat nactus, poteſtatẽ impetrare, verùm, quotieſcunque Vota inſtaurabat, in eorũ denuò man⁹ referre conſveverat. Quâ re id ſcilicet eſt cõſecut⁹, ut eam Perfectionis abſolutiſſimæ Formã, ad quam Nazianzenus Heroëm ſuum fingit, & optare ſe potiùs, quàm ſperare poſſe profitetur, ad vivũ exprimeret.

Orat. con. Max. To. 59.106. *Ad Deum colligatur*, NIHIL PRÆTER CRUCEM, ET CORPUS HABENS. Quid? non expreſſit eam modò, verùm etiam ſuperavit: nam è duabus rebus, quas Nazianzenus Pauperi ſuo indulſit, Corpus videlicet, ac Crucem, hanc ſolã Aloyſius retinuit; illo, quod ſolis pene oſſibus conſtabat, Moderatorum ſuorum voluntati prorſus permiſſo.

107. Neq; ſatis habuit, tam inopem vitã inter nos agere, niſi eandem egeſtatem, & abjectiſſimum miſerrimúmq; vivendi genus è Domo noſtra in magnificas Arces Caſtilionenſium Regulorum unà ſecum trans-

transferret. Cùm enim à Præsidibus suis juberetur, unum alterúmve mensem Castilione apud Matrem habitare, continuò eã in has leges adegit, ut à mensa, si quidẽ cõvivã se habere vellet, omnẽ Dominæ, ac solitæ Majestatis speciẽ ablegaret, & Structore, Pincernáq; jussis secedere, ipsa sibi epulas ministraret, ac potũ misceret. Nunquã sine horrore pictos acu tapetes, auro illusa peristromata, & cæterum Palatij nuper sui luxum aspiciebat: ità quoque cùm honores illi haberentur à subditis, & à cõsanguineis magnificè lautéq; acciperetur, expostulare cum ijs acriter solebat, quòd ejusmodi officijs, utpote Paupertati Matri ac Reginæ suæ invisis, gravissimã injuriam facerent. Quo fiebat, ut, quod Christianis Athletis cruciatus ac Martyrium, tum carceris squalor, tum catenarum im̃ania pondera, tum deniq; pectines, equuleíq; pariebant, id sanctissimus noster Scholasticus in amplissimis Necessariorum suorum Aulis, ac Diætis reperiret; cùm delicias illas tormentum longè acerbissimum, & honores ignominias morte graviores du-

ducerет. Ut adeò idem ego de Aloyſio poſſim dicere, quod de S. Alexio Petrus Damiani ſcripſit. *Novo atque* INSOLITO MARTYRIJ GENERE *dimicavit. Martyribus enim carcer erat pœna, catena preſſura:* ISTA VERO PROPRIA DOMUS AURATIS DECORATA TRICLINIJS. *Illis fuit pœna ſupplicium:* HUIC E CONTRARIO BLANDIMENTA TORMENTUM. Quid, quæſo vos, de Aloyſij nuditate, atq; amore Paupertatis dici amplius poteſt, cùm ea illum in ipſa divitiarum, honorúmq; affluentia Martyrem, & abdicatione Principatûs æqualem Petro, vel etiam ſuperiorem effecerit?

Serm. 29. To. 14. 147.

108. Atqui nos quoque, quæ Divina Clementia eſt, tã nobili Paupertatis amatæ ſplendore feliciſſimo noſtro Mendico aut non multùm conceſſimus, aut, ne ſol⁹ eſſet, effecimus. Fuit profectò, fuit quondam tempus, cùm aſſutos veſti centones, ceu totidem gem̃as encauſto incluſas veneraremur. Ille nobis potus ambroſiâ ſvavior videbatur, qui erat ſimpliciſſimus: cibus

bus ille nobis, velut cęleste Manna, & Angelorũ panis sapiebat maximè, cui nullum saporem condimenta conciliâssent. Commoditates omnes cane pejus & angue detestabamur, incom̃oda verò delicias æstimabamus. Peregrinantibus Scipio, ac Pera tota supellex viatoria, nostræq; quadrigæ fuerunt. Ad hospitales pauperũ domos, velut ad aurea Cæsarum tecta cursu contendimus: nulla res erat adeò tenuis, adeò nullius pretij, quæ citra Præsidum veniam retenta non in colubrũ nobis verteretur diù noctúq; præcordia nostra lancinantem. Hæreditates opulentas abjicere nobis jucundius fuerat, quàm alijs adire: nemo deniq; est eorum, quos præsentes intueor, qui pari cum Aloysio voluptate Christi Paupertatem non fuerit amplexatus, eámq; non sibi duxerit gloriosam. Id solùm nos inter & Aloysium potest esse discriminis, quòd ille Paupertatem, qualẽ sub ipsum è Mundo excessum professus est, ad extremum vitæ spiritum constantissimè retinuerit: nostrûm contrà aliquis, qui primo Vitæ Religiosę tempore illã ceu

Matrem coluit, subinde vitet ut Novercam, aut veluti peregrinam à se agnosci dissimulet.

109. Nollem profectò, id alicui de Societate in hoc Paupertatis Curriculo evenire, quod Petro quondam mare Tiberiadis naviganti legimus accidisse. Vix ille Servatorem in Littore stantem conspicatus fuerat, cùm procul exclamans, *Domine*, inquiebat, *si tu es, jube me venire ad te super aquas*. Factâ subinde ejus rei potestate, potentissimo illo VENI confirmatâ, continuò ardentissimus Apostolus in medias undas prosilijt, tantâ Fidei in Magistrum firmitate, ut siccis pedibus, haud aliter, quàm si solida super marmora incederet, fluctibus inambularet. Hîc Ambrosius, sit vobis, inquit, Petrum è navi se demittentem vidisse satis: & à considerando illius itinere animos, oculósque avocate: quem enim insultantem undis paulò antè mirati velut Angelum suspexistis, cum vos deinceps Cotis instar ac plumbi descendere, atque submergi videbitis. *Ambulavit in mari Petrus* MAGIS DILECTIONE, *quàm pedibus. Non enim*

Matth. 14. 28.

Serm. 47. To. 10. 162.

enim videbat, ubi pedum vestigia poneret, videbat autem UBI FIGERET VESTIGIUM CHARITATIS. *Non cogitat labentes aquas, nec fluenta currentia, & dum Christum respicit*, NON RESPICIT ELEMENTUM. At enim, qui nuper in suo ad Christum itinere undas supervolabat, is haud multò pòst, cùm propiùs ad metam accederet, naufragium in ipso penè portu faciebat. Tenere proinde se non potest Ambrosius, quò minùs suam Petro ignaviam exprobret, cujus videlicet vitio in Monstrum Inconstantię Prodigium Charitatis abierat. *Cur tam modicæ Fidei es, ut non eâ fide*, QUA VENIRE COEPERAS, PERVENIRES? Eâdem scilicet S. Doctoris sententiâ vapularent ij, qui, postquam ad decurrendum votæ Paupertatis stadium magnis animis è carceribus evolâssent, in ipso demum metæ conspectu vel claudicarent, vel im̃oti consisterent. Cujus verò rei exclamaret Ambrosius; unquam passi penuriam estis, cùm rebus omnibus tam generosè vos abdicâstis? Numquid non illi vos estis, quibus rerum

omnium egestatem jucundã faciebat spes præmij, virtutis quæstus, tranquillitas animi, Perfectionis ac Gloriæ pignus, quod nobilissimi Voti fidelis custodia vobis exhibebat, atq; æternæ felicitatis hæreditatem Crucis Testamento legabat? Quid ergò est, quòd egregium cursum abrumpitis? cur prehensâ penè metâ restitatis, & palmam vobis è manibus extorqueri sinitis? *Cur tam modicæ fidei es, ut non eâ fide, quâ venire cœperas, pervenires? Dum cunctaris, & dubitas*, ITER QUOD INGRESSUS FUERAS, PERDIDISTI. O nos infelices! qui, si cœptũm cursum urgere cũ Aloysio perrexissem[9], mortẽ, subjecto pedibus nostris Orbe terrarum, ceu totidem Apostoli oppetijssemus; nunc verò, cùm medio in cursu substitimus, non quidem usurpatæ Proprietatis rei (hoc enim vocabulum ignotum est auribus nostris, erítq; semper) sed nec Apostoli, nec ut par est, verè Pauperes moriemur.

110. Quin igitur Joannem Chrysostomum audimus eorum infelicitatem, qui perexigui laboris, paucorúmq; passuũ tædio

dio Paupertatis præmijs exciderunt, miſerantem pariter, & increpantem: CONTEMNAMUS, inquit, PECUNIAS; NE CONTEMNAMUR A CHRISTO. At quid loquor? Hoc enim tonitru non percelluntur, quibus Voti hujus minor eſt cura, & religio: de Pecunia enim nullus inter nos ſermo eſt. Non aurum, non argentum currentes retinet, & ne metam contingamus in cauſa eſt: pro ſe quiſque ſcilicet cum Petro profiteri poteſt: *Argentum & aurum non eſt mihi:* ſed nihili res illi demum obices ſunt, quibus ab imitatione Aloyſij, & promiſſo Pauperibus Diademate retrahimur. Quamobrem continere lachrimas nemo poteſt, qui noſtros homines videt, tantam tantarum rerum ob res vanas, inanes, ac planè nullas jacturam facere. Narrat Plinius, Gentes quaſdam ad Aquilonem, & Polum ſitas omni vini uſu, ac cognitione carere: eam ob rem ex herbis ſuccum exprimere, quo ſe non ſecus ad temulantiam uſque ingurgitent, quàm ſi Cretenſibus in vineis convivarentur. Quam Gentis vecordiam ſtomacha-

Hom. 27. in c. 3. Ep. ad Rom. To. 41. 75.

Act. 3. 6.

tus Historicus, Sanè, inquit, ut Rationem deperdas, & copioso sapidissimóq; Falerno mentẽ obnubiles, vitium est, sed veniâ dignum; at verò inebriare sese liberaliori aquæ potu, quam vilissimus ac nullius illecebræ liquor adulterârit, furor est, cui nulla possit excusatio reperiri. *Heu mira vitiorum solertia! Inventum est*, QUEMADMODUM AQUA QUOQUE INEBRIARET. Equidem, si vera fateri volumus, hæc criminatio præ Populis illis nos lõgè magis tangit. Nã si quis inter Christianos, ut Principatum retineat, aut opulẽti patrimonij cōmoda conservet, sua Christũ præmia, felicitatémq;, quam Pauperibus promisit, habere sibi jubeat, Fide potiùs quàm Prudentiâ laborare dicendus est. At verò, qui calcato, foret licet aureus, toto terrarum Orbe, Sacra intra Cænobia se recepit, si deinde in sphæra è buxo vel charta animum figat, non tam impietatis ille, quàm furoris atq; amentiæ manifestũ indicium exhibet. Quod insaniæ genus haud alio Helleboro curari potest, quàm quod loco à me nuper indicato S. Chrysosto-

Lib.14.c.22.
Ia.57.&16.

ſtomus temperavit: repudiare videlicet, abjiceréq; magno,conſtantíq; animo centones omnes, qui Evangelicæ nuditatis Tabernaculũ non tam tegunt, quàm dehoneſtant. *Inſumat, ut colligat: ſpargat, ut congreget. Sementem igitur faciamus, Cælum tanquam agrum colentes.* Itáne verò Tritico ſe privet agricola, & in glebam bonas fruges abjiciat: & Nobis grave ſcilicet erit, pauca illa ſegmenta Cælo comendare, & medias inter ſtellas diſſeminare, quamvis illa ſi retineantur, eam Purpurã, quam vacuis ab omni cupiditate mentib⁹ Chriſtus texit, Nobis ſuffurentur. Non eſt,non eſt, inquam,ſementis,ſed nundinatio Paupertas. Nã qui ſeminat, id nempe metit,quod ſparſit,cum fęnore quidem,haud nego,ſed tamen rem eandem. *Felix commercium*, UBI DATUR LUTUM, ET TOLLITUR AURUM: quemadmodum ad Agnetem Auguſtam ſcripſit Petrus Damiani. Quod conſilium Aloyſius toto illo tempore, quo inter nos vixit, ſequi haud potuit; nihil enim habuit unquam, quod tam lucroſo quæſtui locaret. Quamobrem

Lib.7.Ep.7. To.14.98.

cùm nullâ re ſpoliare ſe poſſet, ut qui penitus haberet nihil, ideò reb⁹ caducis omnibus nudus Apoſtolicæ Egeſtatis noviſſimas metas curſu contigit, & magnam vitę ſanctitatem adeptus eſt, quia ſum̃am ſemper Inopiam eſt conſectatus.

III. Quòd ſi verò Gonzaga in Voti mitioris primâ ſemitâ Mundum conculcavit, quo putamus odio eum vitâſſe in poſteriore, multóq; quàm illa anguſtiore calle? In illa terram effugit; in hoc ſuum ipſe corp⁹ voluntarijs pœnis inſectatus eſt. Illa ſpinis conſtrata lacinias omnes ſuperfluę vanitatis abrumpit, & ex ipſo quoq; neceſſario veſtitu aliquid abſtrahit. Nihil enim eſt adeò tenue, atq; deſpectum, cujus dominium Paupertas pręmiorum ſuorum cupidis relinquat. Ex quo pronum eſt, cogitare, quanto ſit anguſtior ſemita Caſtitatis, Virtutis tanto ſeverioris, ac ſuſpicacioris, cùm à Paupertate modicum deflexiſſe grande ſcelus haud ſit, ab illa verò vel latum unguem diſcedere nemo ſinè flagitio poſſit. Hinc eſt, quòd Caſtitas, ut res ſibi adverſantes repellat, non ſpinas objiciat, ſed enſes

ſes expediat; non pungat, ſed laniet, nec in veſtem duntaxat, ſed in corpus atq; ipſas venas deſæviat. Id ſcilicet prævidens David. *Accingere*, inquit, *gladio tuo ſuper femur tuũ potentiſſime:* nempe veluti exponit Hieronymus, *ut ſcias* SEMPER VIRGINITATEM GLADIUM HABERE PUDICITIÆ, PER QUEM TRUNCAT OPERA CARNIS. Atq; hæc ſenſuum omnium carnificina non priùs finem accipit, quàm carnẽ quodam̃odo in ſpiritum converterit, effeceritq; ut corp⁹, quod priùs funeſtos cladibus ſcopulos, & infames naufragijs Syrtes paſſim objiciebat, ſubinde Temperantiæ Portum, & Integritatis Arcem ſe præbeat. *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Animavertite, monet Idiota, quemadmodũ in Caſtitatis ſtadio currentium Renes, qui priùs terrorem Temperantiæ, atq; exitium admovebant, eam modò emaculent, & ad conſectandum puriſſimum vitæ candorẽ exhortentur. RENES IPSI, *in quibus maximè ſolet eſſe inclinatio ad concupiſcentiam, non ſolùm non inclinant ad malum,* SED PO-

Pſal. 44. 3.
Epiſt. 140. To.17.327.
Pſal. 15. 7.
Idiota in Pſal. 15. To.34.162.

TIUS INCREPANT, *hoc eſt, retrahunt, etiã uſq; ad noctẽ: id eſt eò uſq;* UT ETIAM IPSI ULTRO CORPUS AFFLIGANT. *Afflictio enim ſæpe per noctem ſolet deſignari.* Lumbi mei, inquit David, qui quondã innocentiam meã oppugnabant, & aliquando profligaverant, nunc, poſtquam Pudicitiæ ſtadiũ decurrere cœpi, Cilicijs caſtigati, ferreis catenis onerati, verberibus contuſi, acutis ſtimulis cõpuncti, ac cruentati pro illa depugnant, illã tuentur, nec jam inſidijs eam circũveniunt, ſed fortiſſimo præſidio comuniunt. *Inſuper & uſq; ad noctẽ* INCREPUERUNT ME RENES MEI.

112. Quamvis autẽ hic Caſtitatis Gradus, quẽ modò deſcripſim⁹, inſignis prorſus, atq; eximius ſit, altiùs ſe tamen Aloyſij Virtus extulit. Haud enim Beato Juveni ſatis erat, ſi cryſtallinus ille fons Integritatis intra ipſum (ſinite, ut ità dicam) reſtagnaret, & propriũ pectus nativâ glacie cõſtrigeret, ſed voluit inſuper, ut Fluminis inſtar ad emundandos exemplo ſuo alios derivaretur. Quocirca ſi Davidem increpu-

puerunt Renes sui, dicendum de Aloysij sensibus est, eos non ipsi modò, verùm etiã universis, à quib⁹ aspiciebatur, sanctitatẽ afflâsse. Negare enim quis potest, ipsum ejus Corpus improbis hominibus turpitudinem suam exprobrâsse, cùm solus ej⁹ aspectus sordes absterserit, libidinem compresserit, contulerit sanctitatẽ: ídq; adeò præstiterit, quod à Seculi sui Virginibus Tertullianus requisivit? *Quicumque malus cogitatus* IPSA SEVERITATE FRANGATUR. Superi boni! Quot petulantes Juvenes, conspecto in Scholis Aloysio, adeò comoti sunt, ut prioris vitæ licentiam pudori, Virtuti procacitatẽ, se deniq; ipsos desertis Rosarijs Voluptatũ, spinosis exercitationib⁹ Religiosa intra Cænobia consecrarent?

Lib. de veland. Virg. To. 5 8. 220.

113. Neq; tamen hic pudor sic in Aloysio singularis fuit, ut non unicuiq; Societatis hujus Filiorum proprius sit, quorũ Lilia si mentes duntaxat eorũ candore suo imbuant, Casti appellari non possunt, nisi colorem suum ac frigus in omnium, quibuscum versantur, pectora pariter transfundant.

Cant. 5. dant. *Species ejus ut Libani.* Animadvertit hoc loco Richardus, Libanum non albũ, Cap. 39. in Cant. sed dealbantẽ appellari. *Libanus enim non tantùm est candid⁹*, SED ETIAM CAN- To. 78. 144. DIDATIO. Quam ob rem, si quis foret ex Ignatij Filijs, qui crederet, sat longè se in Semita Castitatis progressum fuisse, eò quòd in animo suo florere Temperantiã, nec ullam spinam persentiscat, is vehemẽter se decipit. Quemadmodũ enim Continentia ejusmodi profanis hominibus satis est; ità ea Viris Evangelio consecratis, & Ministris Sacrorum nequaquã sufficit. Sed qualẽ ab Infulatis Capitib⁹ auro Ostróq; fulgentib⁹ Castitatẽ Petrus Damiani exigat, audiam⁹, unde facilè licebit cognoscere, qualem ab ijs, qui sacra intra Cænobia Crucem humeris, horridas capite spinas circumferunt, munditiã, sanctitatémque Lib. 4. Ep. 1. To. 14. 38. requirat. *In alijs certè quibuscunque personis non exigitur fecunditas Castitatis: in Episcopo autem inutilis esse Castitas jure decernitur, quæ se sic exhibet sterilem,* UT ALIAM NON PARIAT CASTITATEM. Non potest inquã, nõ potest Religiosa Casti-

ſtitatis vocari, quæ ab animo in vultũ non exuberat, & radijs ſuis non omnes Intemperantiæ nebulas ſolo ſui aſpectu reſolvit. Quid verò mirum, ſi de Caſtitate noſtra, quã Parens Auctórq; noſter Ignatius Angelicæ parẽ eſſe voluit, ità diſſerã, cùm de Pudicitia Chriſtiani cujuslibet, ſive Miles ille, ſive Paſtor eſſet, multò ampliùs dixerit Tertullianus? Et ne quis credat exaggerari à me iſta, en vobis ipſa Scriptoris Verba. PUDICITIÆ CHRISTIANÆ SATIS NON EST ESSE, *verùm & videri.* TANTA ENIM DEBET ESSE PLENITUDO EJUS, UT EMANET AB ANIMO IN HABITUM, *& eructet à conſcientia in ſuperficiem, & foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam.* Atq; hic, Divinâ favente Clementiâ, Societatis Pudor, hæc Caſtitatis ſpecies fuit: quæ Aloyſium ipſum impulit, ut extra Urbem Mediolanenſem prodiret, eam ſolùm ob cauſam, ut Scholaſticos noſtros, pro more Seminariorum noſtrorũ, ad vicinã Villam animi gratiâ proficiſcentes aſpiceret, & miraretur. Deum im̃ortalem! quantã illam

De cultu Fem. To. 5 l. 2 36.

Vir-

Virgineæ Modeſtiæ ſpeciem noſtris per id tempus hominibus ineſſe oportuit, quę Aloyſio intaminato prorſus, Juveni dicã, an Angelo? admirationis, ac reverentiæ cauſa eſſe potuit? Et quis neſcit, in pleriſque Religioſæ vitæ ſtudia Juvenum noſtrorũ gravitate, ſpecieq; quâdã Angelicâ excitari, ſive cùm per Atria Scholarũ incedunt, ſive cùm in ſubſellijs Magiſtros audiunt; ſive deniq;, cùm rebus Divinis, poſitis humi genibus, interſunt in Templo?

114. Atq; hæc ſola demum forma eſt, quæ intentis in nos oculis ſenſum pietatis imprimit, & fragrantiã Caſtitatis latè diffundit. Religioſus oculus, quemadmodũ parẽ cum Sole vim obtinet fecundandi, ſic diverſam in fecundando rationẽ tenet ac modũ. Equidem niſi Planeta ille ſe retegat, palámq; oſtendat, neq; Prata virorẽ, neq; Flores incrementũ capiunt. At verò ſenſus noſtri, niſi occludantur, & lateant, pro fertilitate ſterilitatẽ afferunt. Obſignata ſilentio labra, dum per plateas populo frequentes incedimus, multâ illâ eloquentiâ ſuâ tranſeuntibus Temperantiam per-

persvadent. Oculi pudore dejecti, quemadmodum profanarum cogitationũ fœnũ ſiccant; ità in animis Modeſtiã noſtrã cõmendantiũ Flores Honeſtatis parturiunt. Nec aliter, ac dico, prænunciatũ in Sacris Canticis fuit, in quib⁹ ità Chriſtus de Eccleſia ſua diſſerit. HORTUS CONCLUSUS, *fons ſignatus:* EMISSIONES TUÆ PARADISUS. Quî tu verò, inquit Gilbertus, clauſum Virginis Hortum appellas, è quo interim omnis Honeſtatis copia profluit? *Hortus* CONCLUSUS: EMISSIONES TUÆ *Paradiſus?* Sic eſt, inquit Magnus ille Abbas, neq; poteſt eâ ſententiâ quidquã eſſe luculentius. Hoc enim, quod laudamus, Clauſtrũ, non modò non obſtat, verùm magnopere neceſſariũ eſt, ut integer ex eo prodeat caſtiſſimorum fructuũ Hortus. *Vtrumque habes,* ET PARADISUM CONCLUSUM, ET PARADISUM EMISSUM. *Ille intus eſt*, HIC DE ILLO PROCEDIT. Et profectò, ſi hâc cuſtodiâ Senſus noſtri deſtituerentur, non modò nulli ſalutaris foret animi corporíſq; noſtri mundities, verùm

Cant. 4. 13.

Serm. 35. in Cant. To. 5 8. 492.

rùm nec ipsi satis cautum esset. Quod ut demonstrē, animadvertite, Nilum, quamvis, ut aliquibus placuit, de Euphrate verò certissimū est, è Paradiso Terrestri promanet, habueritq; limpidissimas in fonte undas, adeò tamen turbidum, ac lutulentum utrumq; se in pelagus exonerare, ut magnā ejus partem inficiant, ac fœdè cōmaculent. Cuj⁹ rei illa videlicet causa est, quòd alveos suos non rarò egressi sordes omnes, quibus Ægyptus, Chaldæáq; stercoratur, colligant, ac secum vehant. Perinde prorsus agitur cum Sensibus nostris: quorū si ullus se paulò latiùs explicet, aut leviter se attollat, haud perinde leviter se inquinare consvevit. Atq; ideò Ambrosi⁹, divino prorsus consilio aggerem impenetrabilē, ac severissimā custodiam ijs circumdedit, quibus sese nunquā non continerent, atque cōmunirent. CITO LUTUM COLLIGIT AMNIS EXUNDANS. Hoc nimirum est, in stadio Castitatis magnis passibus progredi: si in eo ità Sensus Corpúsq; nostrum reliquerim⁹, quemadmodum in Semita Paupertatis res

Lib. 1. Off. c. 3. To. 58. 4.

cæ-

cæteras omnes, quæ Mundus appellantur, abjeceramus.

115. Sed iſta quoq; reliquiſſe parũ eſt, ſi quidẽ ad Obedientiæ Metã decurrere cũ Aloyſio voluerimus. Hæ ſunt enimverò fauces, quas tum ille, tum omnes qui eas tentaverunt, arctiſſimas experti ſunt; nemo verò ſatis oratione poteſt explicare. Adeò enim anguſti impeditíq; calles ad hoc Votum ducunt, ut iter agentibus ne animum quidẽ ac voluntatẽ ſecum intrò ferre patiantur. Hic igitur non Mundus, quod ſanè multum eſt; non Corpus, quod multò ampliùs; ſed Animus quoq;, ad quem nihil ſunt cætera omnia, ponendus, & exuend⁹ eſt. *Relinquẽdæ ſunt* ET PROPRIÆ VOLUNTATES, *ſi volumus illum ſequi, qui non habuit, ubi caput ſuum reclinaret.* Hæc eſt Petri Damiani de hac Palæſtra ſententia. Cujus curſûs naturã expendens Joannes Chryſoſtomus, dicere haud dubitavit, adeò difficilem in eo ſe movendi rationem eſſe, ut, cùm unum duntaxat in eo gradum promoviſſent Angeli, immortales inde coronas, & præmia ſint æterna conſe-

Serm. 9. To. 14. 124.

De Laud. S. Pauli Hō. 1.
Io. 37. 168.
Psal. 102.

cuti. *Quid ergo in Angelis magnificum prædicamus? Profectò,* QUIA CUM OMNI CURA OBEDIUNT DEO. *Quod David quoque admirando dicebat: Potentes virtute* FACIENTES VERBUM ILLIUS. HUIC ENIM BONO ÆQUALE EST NIHIL. Quòd si tamen Aloysij Obedientiam cum Obedientia cōparem Angelorum, videntur hi mihi per stratam Rosis viam, ille per ardentes prunas incessisse. Et Angelorum quidem Obedientiæ non alia materies fuit, quàm Deus-Homo, cui Spiritus illi in sua ad felicitatem via cōstituti deferre obsequium, & penitus se dedicare jubebantur. Quæ autem sors felicior, majórq; beatitas excogitari potest! quæ semita planior, floridiórq; fingi? Ab Aloysio verò id Obedientia postulabat, ut, à rerum divinarum contemplatione animum avocaret, ne corporis jam dudum afflicti vires penitus pessumdaret. Quo fiebat, ut, cùm ad Aras in genua provolut⁹ menti suæ Deum illapsurum persentisceret, eum, objectis repagulis, aditu prohiberet, parendi necessitate eò adduct⁹, ut impio-


piorum hominum linguâ, non ſine ingenti dolentis ac verecundantis animi ſenſu eum cõpellaret: RECEDE, inquiens, A NOBIS, *& ſcientiam viarum tuarum* NOLUMUS. Miſerum enimverò Aloyſium, qui coactus ſit in hoc ſalebroſæ ſemitæ ultimo exitu non animam modò ſuam, verùm etiam Deum relinquere. Iob. 21. 14.

116. Et erit quiſpiam, qui hujus invictiſſimi & nobiliſſimi Herois Obedientiam, qui non in ſe modò, verùm etiam in Deum, Dei causâ (ſit venia verbo) contumax & perduellis extitit, ullo paradigmate ſe illuſtraturum confidat? Sunt, qui Abrahami Sacrificium, cui fortiſſimus ille Senex Filium ſibi cariſſimum, atq; unicum deſtinabat, ſatis admirari haud poſſunt: & vos quidem, inquit Auguſtinus, ſublatum altè ferrum, & inflexam obnoxiámque vulneri Victimam aſpicitis, & inde ſtupori veſtro cauſam arceſſitis? At enim mirari deſinetis, ſi quis ille ſit, qui manum Patris ad Filij perniciem impellit, expenderitis. Nempe repoſcenti Deo, quem dedit, ſit licet ille primogenitus, reddere Pater po-

Serm.71. de Temp. To.42.133. teſt, quando itá illi viſum eſt. *Attendis, quis feriat, & quem feriat?* ATTENDE, QUIS JUBEAT. Potuit itaque Patriarcha obſequi Deo, & Hæredi ſuo mente magis, quàm re necem inferre. Quâ verò ratione potuit Aloyſius hominis cujuſpiam imperio adeò comoveri, ut Deo nuncium remitteret; ut non modò eum pro veteri ſuo inſtituto non quæreret, ſed oblatum quoque à ſe dimitteret? Mirum dictu! Repertus eſt Juvenis, qui, quamvis eſſet ex amore, charitatéque divinâ conflatus, auſus tamen non eſt, vel breviſſimo temporis ſpatio, quo genua flecteret, illi ſe conjungere, quem amabat flagrantiſſimè, quíque ſe ultrò dabat amplectendum? Sanè talis ſupplicij genus ne à damnatis quidem Orcus repoſcit: quo loco unicuique permiſſum eſt, Dei meminiſſe, ac de Divinis rebus diu ſecum colloqui: quamvis perduelles illi clementiſſimam indulgentiam abjiciant, atque contemnant. Num ergò Aloyſium Obedientia Damni pœnâ mulctat, ídque majore propemodum ſeveritate, quàm apud Inferos rebelles An-

Angeli plectantur? Rem, utì gesta est, narras: sic enim in hoc Religiosæ servitutis stadio sudavit & alsit Aloÿsius, ut, si modò metam illius contingeret, & præmium referret à SS. Triados contemplatione, quæ summa erat omnium ejus votorum, ultrò sibi exilium indicere minimè dubitaverit. Quis autem nobis veniæ aut excusationis locus superesset, si quando in hoc Cursu animo deficeremus: maximè cùm Obedientia Precationis, Lectionis sacræ, Disciplinæ Religiosæ, austeritatis, & Animarum studia, compositionem morum, animi demissionem, Concordiam, contentionem laboris, industriam, eruditionem, amorem erga Proximos, Honorum fugam, rerum humanarum contemptum, Crucis amplexum, aliáque hujusmodi à nobis postulans, non solùm non abducat à Deo, sed ad eum nos adducat. Erítne autem inter nos aliquis infelix adeò, qui, cùm B. Aloysius Jesum suum, ut ità dicam, perdere, quàm Obedientiam mavult, Obedientiam abjiciat, ut ne Deum

acquirat ? Sed iſta queri me hujus loci, in quo verba facio, ſanctitas vetat, planéque mihi perſvadet, neminem ex hoc Collegio fore, de quo non eandem ſententiam, quam ipſo dicendi principio de Aloyſio noſtro protuli, proferre quoque ſub orationis exitum queam: JUSTUM DEDUXIT DOMINUS PER VIAS RECTAS.



EX-

EXHORTATIO XXXIII.

Ad Provinciæ Romanæ Præpositos & PP. Conregatos in Collegio Romano.

Feria 6. Poſt 2. Dominicam Paſchatis.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro Ovibus ſuis. *Joann. 10.*

S*Acrorum Cœtuum Præfectum geminæ partes abſolvunt: Religioſus videlicet in Subditos ſuos Amor, & ſanctum ſui ipſius Odium. Proinde parum ſolicitus, ut placeat, ut verò proſit, ſummopere ac ſolùm curans ſanctitatem pariter, & tranquillita-*

tem eorum, quibus imperat, promovet. Quem in finem eorum necessitatibus provideat, postulatis aurem accommodet, Virtutem exstimulet, Disciplinæ negligentes castiget, studiosos collaudet, Lapsos, suique pœnitentes erigat, atque confirmet, opem ministret egẽtibus, benemeritis præmia persolvat. Eundem semper tenorem, ac vultum servet, in iubendo, in audiendo, in vivendo. Cùm viderint Subditi mercedem Virtuti, Desidiæ pœnas decerni, sibique persvaserint, Edicta concipi à Præposito precibus intento, non ab irato dictari, Legislatorem adorabunt, & quælibet Domus Cælum referet totidem Angelis, quot incolis, habitatum.

117. Um, quod multorum à me vota postulaverant, Provinciæ hujus Moderatores, qui pro communi utilitate ad præsentem Congregationē, magno quidē incom̃odo suo, convenêre, alloqui, &, quod Reip. nostræ beneverteret, conferre cum ijs sensus meos in animum induxissem, subijt primùm, nostræ Societatis Filijs sub aspectum ponere, quãtâ observantiâ Patres Animorum suorum, & Collegiorum nostrorũ Rectores colendi ab ipsis essent. Jámq; mecum gravissimum illud Vatis Oraculum retractabã: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*: ídq; pluribꝰ exponere more meo decreverã: cùm occurrit animo, explorare priùs, ecquod hodiernâ luce, quâ dicturus eram, Evangelium Sacerdotes ad Aram recitaremus. Itaq;, cùm audirē, Christum Joannis ore sacros Præsides ità compellantē: *Bonus Pastor animã suam dat pro ovibus suis*: haud leve piaculũ admissurus mihi videbar, si argumentum Auditoribus hisce meis planè propriũ longé-

Psal. 104. 15.

géq; accomodatiſſimũ neglexiſſem. Quã ob rem ſententiæ illius Interpretẽ agam, &, quando Meſſias Paſtores omnes commiſſi ſibi Gregis tam amantes fore ſibi pollicetur, ut, pro eo mortẽ oppetere non dubitent, demonſtrabo, ejus, qui veros, egregióſq; Evangelij ſectatores regendos ſuſcepit, geminas has eſſe partes; Benignũ ſcilicet erga Subditos animum, & ſui ipſius Negligentẽ. BONUS PASTOR ANIMAM SUAM DAT PRO OVIBUS SUIS. Geminæ hæ Conditiones gemini illi acutiſſimi Clavi ſunt, quibus moleſtiſſimo Præfecturæ ſuæ Trunco configuntur, qui Religioſis hominibus præſunt; at enim ijs ipſis, qui Muneris hujus acerbiſſimũ tormentũ nunc quidem tolerant; ſubinde, nec ità multò pòſt, ſpinę in roſas, cruciat⁹ in delicias, Crúxq; ipſa in Solium ſeſe convertet.

118. Nemo unquã Religioſorum Clauſtrorum ver⁹ ac fidelis Cuſtos erit, niſi qui comodorum ſuorum oblitus totũ ſe procurandis ſacrarũ Familiarum utilitatibus dedicârit. Id ſanè Ordinis ſui Præſulibus

edi-

edixit Gilbertus, & ipse Claræ-Vallensis Cœtûs Antistes. Hoc agite, inquit, Præsules venerandi, & cum animis vestris reputate Cistertium, cæteráq;, quib⁹ præestis, Cænobia eo loco à vobis habenda esse, quo Sionis Arx à tot undiq; hostibus impetita Davidi fuit; atq; idẽ vobis mandatũ fuisse arbitramini, quod ille Propugnaculi sui Præfectis præscripsit. *Circumdate Sion*, *Psal. 47. 13.* inquit Psalmista, *& complectimini eam.* Omnes Domiciliorum vestrorũ angulos explorate, atq; percurrite: sedulóq;, quid Monachorum vestrorum seu animis, seu corporibus desit, recognoscite. *Circumdate Sion*, CIRCUMDATE MEDITANDO. *Serm. 4. in Cant. To. 109. 20.* Quibus verbis etsi satis luculenter ostendatur ea, quæ locum inter, atq; ejus Gubernatorem conjunctio intercedit, nõ tamen exponit, quàm à se debeat alienus esse, qui præest. Nam qui urbem aliquam circumit, Civium necessitates, ac Propugnaculorum vitia inspecturus, liberas ille nihilominus eodem tempore, quo Urbis incolumitati prospicit, manus habet, ut corporis sui cõmoda curet, vestẽ colligat,
ca-

capillum componat, ſudorem abſtergat, eáſq; mutuo affrictu foveat, & à frigore tueatur. Nihil verò harũ utilitatum ſibi exhibere is poteſt, qui exploratã à ſe Arcẽ ambire brachijs cupit. Atq; huc, ut arbitror, Vates reſpexit, cùm Amplexũ cum Circuitione conjunxit: indicaturus videlicet, quanta neceſſitas Arcium Præfectis incumbat, privatorũ cōmodorum nullam penitus rationẽ habendi. *Circumdate Sion, & complectimini eam. Circumdate meditando: Complectimini amando.* Sub hæc Gilbertus Religioſæ provinciæ gravitatẽ exaggerare pergit. *Plus aliquid innuere videtur* COMPLEXUS, QUAM CIRCUITUS. *Circuitus de alio in aliud facit tranſitũ,* COMPLEXVS SIMVL CONTINET TOTVM. Exiſtimat igitur piꝰ Antiſtes, omnes, quibꝰ Servorũ Dei cura cõmiſſa eſt, tam arcto complexu creditum induſtriæ ſuæ Tabernaculum adſtringere debere, ut ne digito quidem quidquã proprij emolumenti attingant, oculóſq; ſemper in ſingulos, atq; univerſos ſubditos ſuos intentos habeant; ut ne unum unicum

præ-

prætereant, quem non curent, quem non tueantur, atq; custodiant. *Complectimini amando. Complexus* SIMVL CONTINET TOTVM.

119. Hæc tamen quantumcunq; arctæ conjunctionis Forma, quam Superiores inter atq; Inferiores Gilbertus intercedere cupit, non adæquat sublimem illã Ideam, ad quam Augustinus Christianas Præfecturas exegit. Sanè præstat cognitioni amplexus, sed enim qui amplectitur, quod sinistrâ tenet, dextrâ manu retinere haud potest. Hinc scilicet discrimen illud oritur inter partes, quæ tenentur, cùm alias præstantior manus foveat, alias leviore videlicet brachio esse cõtentas oporteat. Quocirca Doctissimus Theologus Præpositos monet, ut non alio modo sacris Tabernaculis præsint, quàm quo ejusdem Corporis membris Anima prȩsidet. Hȩc enim nõ solùm tota in toto, sed in minima quoque & inaspecta Hominis parte tota est. Vt adeò tenuissimum sinistri pedis ossiculum gloriari possit, in qualibet sua, quantumcunq; tenui ac despectâ portione, totã Ani-

nimæ ſubſtantiã reſidere: prorſus ad eum modum, quo illa in Capite, in Pectore, & in cæteris corporis membris cõmoratur.

Lib. de Immort. Anim. To. 86. 9. 7.

Anima verò nõ modò VNIVERSÆ MOLI *corporis ſui, ſed etiam unicuique* PARTICVLÆ *illi⁹* TOTA SIMVL ADEST. En! quàm imẽnſam, & incredibilem curã à nobis Præfecturæ noſtræ ratio requirat. Quiſquis nimirum in homines imperium nactus eſt, is tantâ vigilantiâ, ſolicitudine, Charitate ſervire illis cogitur, ut ſingulis ità conſulat, & eorum quemq; ſic perficiat, ac ſi ad eum ſolum omnia ejus conſilia, rationes omnes referrentur. VNICVIQ; PARTICVLÆ TOTA SIMVL ADEST. Sit ſanè in ſpeculis Præſes, invigilétque, ne vel Collegium, vel Religioſa Reſpublica, cujus obſequio Providentia divina, ſimul ac Prꝗfecturam tradidit, eum cõſecravit, quidquam detrimẽti patiatur: nõ debet is tamen, ſe muneris ſui rationi ſatisfeciſſe, arbitrari; niſi eodem temporis puncto in unumquemq; Filiorum ſuorum, cui Paterfamilias datus eſt, intentos oculos habuerit. Quam ob rem licet induſtrijs ve-

ſtris

ſtris aucti Collegij proventus, ac Templo frequentia conciliata fuiſſet; licet Academiæ celebritas facta, & Magiſtrorum ac Voluminum noſtrorum fama per Europã univerſam dilatata fuiſſet, ſiquidẽ interim minimorum noſtrorum fratrum alicui vel idonea neceſſitati morbóq; remedia, vel conſequendæ ſanctitatis deſiderio inflammando ſtimuli defuerint, non jam Dei in Ovilium ſuorum adminiſtratione Vicarij, ſed Ovium Proditores eſſemus; quorum culpâ videlicet illæ vel à Virtute aberrâſſent, vel ſuis fuiſſent doloribꝰ ac malis permiſſæ. Haud igitur ſatis eſt, te noſtris hominibus, quos regis, ſic adeſſe, quemadmodum vel oculus fronti, vel caput corpori prę̨ſtò eſt, cùm ambo, ſi fortè ad conſiderandũ membri cujuſpiam vulnus ſe verterint, neceſſariò cætera inobſervata prætereant. Tum deniq; Legitimis Paſtoribus promiſſa præmia conſequemur, cùm eâdem attentione Operarij cujuslibet profectum accurabimus, quâ Domûs univerſæ incolumitati, honeſtatíq; proſpeximus. *Anima non modò univerſæ moli corpo-*

ris

ris sui, sed etiam UNICUIQUE PARTICULÆ *illius* TOTA SIMUL ADEST.

120. Quid si verò ne in hac quidem adeò exquisita vigilantia Præsidi Religioso acquiescendum esse demonstravero? Imò licet incomparabilē illā Animæ toto corpore diffusæ pręsentiā, quę se totam indulget toti, & cuilibet particulæ corporis vitā vigorémq; ministrat, æquaremus, multùm tamen ab imitatione primorū & Apostolicorū Antistitū, & Christianæ Fidei Curatorū recederem⁹. Animos adhibete. Equidē human⁹ Anim⁹ cujuslibet digiti articulū occupat; at verò si fortè cōtingat aliquem ex ijs aut pravo humore corruptū sanie marcescere, aut accepto fortè vulnere acribus emplastris adstringi, licet eum ille non deserat, non tamen in eum ità sese transmutat, ut affectā partem à putore tueatur, vel ejus cruciatus mitiget. Contrà verò, qui Christi Exercitus ejus nomine ducit, is ut eos defendat, & conservet, in quemlibet se militem transformat, quo eum vel à fuga retrahat, vel ad pugnā accen-

cendat. OMNIBUS OMNIA *fact⁹* 1. Cor. 9. 25.
sum, exclamat Apostolus, *ut* OMNES *facerem salvos*. Ecquando autem inter tot Animarũ Myriadas vel una reperta est; quæ ut Corporis utilitati consuleret; vel ullã suarum facultatũ imutârit, vel de Perfectionis suæ excellentia quidquã detraxerit. Imò, tantùm abest, ut anim⁹ in partẽ ærumnarũ cũ corpore veniat, ut, cum hoc seu vehementiâ febrium, seu ferri acie confectum ceciderit, & obrutum terrâ vermib⁹ in prædam, ac cibũ cesserit, ipse lætus ac hilaris ad Cęlum evolet, cum Angelis impósterum regnaturus. At enim hunc agendi modum tenere non potest, qui Religiosis Familijs præest: nam ut earum profectum urgeat, & levamenta procuret, non privata tantùm solatia illi negligenda, verùm etiam proprię virtutis incremẽta posthabẽda sunt. Qua in re Paul⁹ eousq; progressus est, ut populorũ juvandorum studio ipsius Dei aspectum differre, & si modò Hebræos Cruci submitteret, paria cũ Lucifero tormenta perferre mallet. *Non enim* Orat. 1.
quod suum est, quærit, SED QUOD FI- To. 1. 15. 21.

LIORUM, *quos per Evangelium genuit. Christum, qui nostrâ causâ maledictum factus est, imitatur, aut ut moderatiùs dicam, primus post Christum,* EORUM CAUSA, ETIAM TANQUAM IMPIUS ALIQUID PERPETI NON RECUSAT, MODO IPSI SALUTEM CONSEQUANTUR. Ità Gregorius Nazianzenus. Quæ nobilissimi sacrificij præstantia non adeò singularis ac propria Paulo fuit, ut non pariter omnibus Ecclesiastico Magistratu potientibus ex æquo conveniat. HIC *enim*, prosequitur Nazianzenus, *spiritualis* OMNIS IMPERIJ FINIS EST, UBIQUE PRIVATA UTILITATE NEGLECTA, COMMODIS ALIORUM CONSULERE. Hinc colligi velim, quàm indignus ille sit, qui Dei Minister appelletur, qui tantùm abest, ut cupiditatē aliquam suam coërceat, ac frangat, ut insuper subditis suis necessitatē imponat, privatis suis desiderijs obsecundandi, nec quiescat, nisi totus Cœtus gustum ad palatum suū fingat, cum sensu suo conspiret, ingenij ac opinionū suarū ludibria calculo

culò ſuo cõprobet: niſi deniq; quidquid ipſi in ſententia obfirmati miréq; ſibi placentis Animi ſuperbia, vel error, rerúmq; ignorantia dictaverit, oraculorum inſtar ſuſpiciatur. Non eſt hæc profectò Spiritualis Principatûs deſcriptio. *Vbique*, ſcilicet, PRIVATA UTILITATE NEGLECTA *commodis aliorum conſulere:* nec Paulinæ docilitatis expreſſio, ità de ſe ipſo loquentis. *Nam cùm liber eſſem ex omnibus*, OMNIUM *me ſervùm feci, ut plures lucrifacerem. Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, qui ſub Lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem. Factus ſum infirmis infirmus.* Niſi ergò exploremus, quam in partem nobis ſubjectorũ ſtudia propendeant, Apoſtolici Viri figurã corrumpimus. Quare non modò adigendi non ſunt, qui nobis parent, ut ad eam formam, quam ipſi nobis deſcripſimus, civilis cultûs, pietatis, ac vitæ omnis, ſe conforment, ſed nos potiùs deſcendere àd eorum conſvetudinem; divinare ſtudia, propenſiones explorare debemus. *Omnibus omnia factus ſum.* Et quid mirum, ſi hæc ego à vobis, juxta ac me ipſo requiram, cùm Chri-

1. Cor. 9. 19.

ſtus ipſe apertè denunciet, illum denique verum & legitimum, nec Mercenariū Paſtorem eſſe, qui non dubitet emori, ſi modò Gregibus ſuis neque ſalubres rivuli deſint, nec læta pabula deficiant. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro Ovibus ſuis.*

121. Atq; hæc quidē ejus Curæ, quâ ſuorum cōmodis devinciuntur Præſides, rudia quodamodo lineamenta ſunt, quā forſan difficultate ſuâ vincit privatæ utilitatis incuria, quam inſeparabili vinculo cum ſacra Præfectura conjunctam eſſe me dicere memini. Eum videlicet, qui Religioſi Imperij jus habet, nunquā oportere vel vultum, vel animum mutare ob eam cauſam, quòd vel debitis honoribus, obſervantiáq; non colatur à ſubditis, vel injurijs inſuper afficiatur. Patiamur ſanè, dumodo neque Numini, neq; Conſtitutionibus noſtris injuriā inferant, nullam apud eos auctoritatem, nullam exiſtimationem eſſe noſtri: Imò, ſi quidem id citra Dei offenſam, ac piaculum fieri poteſt, feramus etiam ſermonibus traduci, & haberi contemptui. Quēadmodum enim, cùm Leges violantur, exar-

ardeſcere, juſtáq; irâ inflamãri Præſes, & poſthabitis quibuſcunq; oblatrantium ululatibus, vel blandientium adulationibus, ſeverè in refractarios, & Crucis Tranſfugas animadvertere debet, ſic citra gravẽ notam odiſſe illum, vel caſtigare nequit, à quo non amatur, vel contemnitur. Id quod ſubditis ſuis pro concione S. Ennodius Papienſis Antiſtes edixit: *Neque futurum eſſe quemquam polliceor, qui me*, NISI CUM DEO NOSTRO, POSSIT OFFENDERE. Nemo itaq; Religioſorũ Paſtorum privatas ſecũ vindictas coquat, tametſi eos Præfecturæ ſuę dignitas à privatis injurijs fortè non defendiſſet. Tum deniq; ſe læſos, & indignis modis vexatos exiſtiment, cùm divinam Gloriam nigris vitiorum vaporibus inobſcuratam, & profanarum cupiditatũ luto cõtaminatas Legis Tabulas fuiſſe deprehenderint. Ut adeò, ſi contemptũ Præſidis à violatione Voti ſejungere poſſent contumaces, refigi Edicta ſua, & curas ſuas rideri læto animo ferrent. Nam qui ſoli⁹ amore Chriſti Gregem ejus paſcit, ſolam in ijs Virtutis inopi-

Opuſcul. 3. To. 27. 210.

am, & indomitarum cupiditatum Leprā detestatur, cæterorum incurius omnium. *Qui me* NISI CUM DEO NOSTRO, *possit offendere*. Faciāt, scribant, loquantur, quidquid ipsis de nobis libuerit, nec ullum nos offendendi periculum exhorrescant, si modò eos insigni morū exemplo, ac sanctitate vitā agitare, fixum, ratúmq; sit.

122. Quæ sanè præclara sententia sacrilegam illam substructionem fundit⁹ everteret, cui Romana Respublica potestatis suæ amplitudinem, & imperij fastigium imposuit. Cùm enim contraria prorsus ijs, quæ modò dicebam⁹, sentirent Magistratuum Latinorum Principes, nihil pensi habebant, subditos, sociósq; populos fœdis libidinibus inquinari, simultates privatas vi, fraude persequi; contribules suos fortunis omnibus per sum̄am iniquitatē evertere, universam Numinibus Religionem sacrilegâ impietate abrogare: ac si modò pacatam Urbem, populum dicto audientem, tributarias provincias, & tam ad bellum expeditas, quàm rebellare nescias haberent, sinebant eos in omne vitiorum gen⁹

im-

impetu ruere, parum ſoliciti, an ſua Deis reverentia, & vitæ integritas cõſtaret. Atque hanc profanæ Politicæ impietatem in divinis de Civitate Dei voluminibus recẽſet, gravitérq; inſectatur Auguſtinus. *Non jubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quàm bonis*, SED QUAM SUBDITIS REGNENT. *Provinciæ Regibus*, NON TANQUAM RECTORIBUS MORUM *ſed tanquam deliciarũ ſuarum Proviſoribus ſerviant.* Ità nimirum Priſci Romani Ægyptios imitati, non Cœlum ſuſpexerunt, ſed in ſola vanitatis, ac caducæ felicitatis cultura oculos animóſq; fixerunt: rati ſe præclarè Remp. adminiſtrâſſe, ſi, quamvis rapinæ, atq; licentiæ impunè graſſarentur, nulli tamen querelarũ, ac ſeditionum tumultus audirentur. *Nec curant iſti, quantâ morum peſſimorũ* LABE AC DEDECORE IMPLEATUR, SED TANTUMMODO UT CONSISTAT AC MANEAT. A qua tam exitiabili peſte, perniciosíſq; conſilijs, quibus primos Imperij Romani Fundatores Orcus imbuit, Cœtus omnes Nomini ſuo

Lib. 2. de Civit. Dei c. 20.

cõſecratos ſervet incolumes Bonũ Numẽ!
At enim hęc quoq; ſcabies Pręſidẽ illũ penitus occuparet, qui vitijs eorũ, quos regit, parum admodùm, aut nihil cõmoveretur, dum̃odo ab ea Diſciplinæ perturbatione querelæ abeſſent, & Rectoris lenitas cõmendaretur, ut qui diſſimulatis quibuſcũque Legum injurijs, id ſolùm curet, id unicè conſectetur, ut ſubditis acceptus, & utriſq; bene jucundéq; ſit. An non in hos majore quidẽ cum probro caderet, quod de Dominæ Urbis Conſulibus olim dixerat Auguſtinus. *Nec curant iſti, quantâ morum labe impleatur*, SED TANTUMMODO, *ut conſiſtat, & maneat.*

123. Eã ob rẽ idẽ Auguſtin⁹ tã præpoſterã ſubditis placẽdi ambitionẽ, tum quoq;, cùm iſti Deo diſplicere non verentur, dedignatus ipſo Electionis ſuæ anniverſario die palàm Hipponenſibus ſuis Civibus edixit, non morari ſe vel eorum amicitiam, vel approbationem, niſi vitæ inculpatæ probitate, & inſigni Virtute id efficerent, ut cruciatuum æternorum periculum exhorreſcere ipſe non deberet: eo ſiquidem me-

metu ſe percelli, ſi nimirum adulantium lenocinijs placatus peccantibus ignoſceret, eóſq; ad ſumos ſacrorum honorũ gradus proveheret, à quibus viciſſim prudentia ſua in agendo, & in ſcribendo eruditio in Cælum tolleretur. Dehiſcent, inquiebat, Inferi mihi, ſi quando plaudentium hilaritas ſeveritatem meam exarmârit, & divini cultûs incenſum ſtudium reſtinxerit. Forem ſanè putidiſſimæ ambitionis vile mancipium, ſi peccatis veſtris connivẽdo veluti Sampſon aliquis in Adulationis veſtræ ſinu obdormiſcerem: in quo jacenti non exacutâ novaculâ, ſed fractis, mollibúſque aſſentantium blanditijs rediviva quæpiam Dalila robur illud adimeret, quo commiſſæ mihi Provinciæ vitia profligare conſveveram. *Periculum meum eſt, ſi attendam*, QUOMODO LAUDETIS, *&* *diſſimulem* QUOMODO VIVATIS. *Nolite me contriſtare pravis moribus veſtris, quia delectatio mea non eſt in hac vita*, NISI VESTRA BONA VITA. Eandem ob cauſam Chryſoſtomus mirum in modum angebatur, cùm auditores ſuos nominis

Hom. 25. & 28. ex 50. To. 26. 187. 197.

ſui, quàm doctrinæ ſtudioſiores eſſe ſuſpicaretur. Quid enim, inquiebat, proderit, cùm coram Chriſti Tribunali laureâ redimitus conſtitero, quam qualicunq; demũ Eloquentiæ meæ, quâ vobis ſacras Litteras expono, texuiſtis; ſi diſſimulatorum in vobis vitiorum reo Judex æquiſſimus objiciat, divinâ gloriâ potiorem mihi nominis mei celebritatem fuiſſe; & morum veſtrorum corruptelas, ſuarúmque Legum injurias illis à me condonatas eſſe, qui frequentiam dicenti faciebant, ac plauſum.
Hom. 44. in Acta. To. 36. 90. *Credite mihi*, DE SALUTE MEA DESPERAVI. *Oculos veſtros dediſſetis mihi: Amam⁹, & amamur: ſed hoc non eſt*, QUOD NUNC QUÆRITUR. *Quod lucrum vel meæ charitatis, vel veſtræ*, QUANDO IN DIVINIS NON PROCEDITIS? *amplioris triſtitiæ inde occaſio.* Videtis, opinor, diſſimulationis adulationi impenſæ fructũ. Mutuo amore devincti ſumus, ſed Deo inviſi. Honore invicem afficimur, ſed à Chriſto reprehendimur. Pacem colim⁹, eámq; tranquillitatẽ nulli clamores, querelæ nullæ, inviſum ſcilicet Rectoribus, exi-

exitiale ſubditis malũ, perturbant: ſed interim Cælum tonat, & ſua in nos fulmina torquet, ipsáq; adeò Tartara infeſtis ululatibus tranquillitatẽ noſtram exſibilant. Ea enimverò univerſa iminerent Cœtib⁹ illis, in quibus per execrabilem ac Simoniacam nundinationem ſacrarum Legum auctoritatem Majores Minoribus privatæ amicitiæ mercede divenderent.

124. Et ſanè Perfidiã ejuſmodi tantò majore riſu Cacodæmon exploderet, quò magis palàm eſt, nunquã ſubditos ſuum erga Moderatores illos, à quibus infrenantur, ſtudiũ, amorémq; remittere, ſempérq; fucatã illius, ſimulatámq; amicitiam eſſe, qui ſtatuta convellit. Agite enim, quis unquam vehementiùs in Iſraëlitas oratione invectus eſt, quàm Joannes, qui Jordanis in Littore concionat⁹ viperis totã latè Regionem implevit; paleis ignẽ ſubjecit; ſecures in arbores infructuoſas vibravit, nulli hominum generi pepercit, nec militum arma, nec Scribarũ auctoritatẽ, nec dominantium Pontificum Thiaras reveritus, omnes ſub duriſſimæ abſtinentiæ jugũ miſit,

ſit, ad ſacrorum cultum adegit, & vitam omnem proborum utilitati mancipandã edixit. Ad hunc tamen tam àcrẽ pravarum conſvetudinum Cenſorem deſertis mœnib⁹ urbes properabant: Principes Viri ultrò ſe conferebant: huic iñumerabilis multitudo aures prębebat, & Meſſię titulos, ſacríq; thuris honores certatim deferebat. Adeò ſcilicet verũ eſt, Præſidum æquitate ſubjectorum ſtudia nequaquã iminui. Eã ob rem Chryſoſtom⁹, poſtquã Baptiſtæ minas toties, támq; acerbè in præſentes juxta & abſentes intentatas amplificâſſet, ignar⁹ planè, magíſne illorum pietatem, quos nulla minarum attrocitas à Præcurſoris veneratione abduxerat, aut huj⁹ conſtantiã mirari, debeat; cuj⁹ ſeveritatem in caſtigandis ac refrenandis improbis, nec Auditorum frequentia, nec venerantium obſequium, veneratióq; inflexiſſet: *Et tamen*, inquit, PROPTER ILLUM, *relictis civitatibus, concurrebant, quatenus illud ſacrum caput viderent.* VERUNTAMEN IPSUM NIHIL HORUM EMOLLIVIT. Jã verò, ut neq; frequentiã, neq; grati-

Hom. 17. in c. 10. ad Rõ. Io. 42. 55.

tiã deperdunt invictæ Mentes illæ, quę labis omnis expertes eos cupiunt, quib⁹ Jus dicunt; ità nemo ab ijs, quib⁹ improbitas callum obduxit, fidele obſequium ſibi unquã promittat. Quapropter æterni Verbi Vicarios null⁹ timor, ne inviſi ſuis vivant, à denſandis Horti divini ſepib⁹ abſterreat: neq; ob eam cauſam, quòd contra ſe temerariorum hominum rabiem, & eorum, in quos animadvertêre, vindictas ſint concitaturi, unquam omittant, injectâ manu, errantes in viam reducere, & à Legum cõtemptoribus pœnas repoſcere. Oppidò námq; fallitur, qui vel obedientiam, vel benevolentiam ab ijs ſperat, quos exigua virtutis cura remordet: hominib⁹ enim Jugi impatientibus inviſi ſunt omnes, qui aut virtutem promovent, aut vitæ licentiam non inobſervatam impunitámq; dimittunt. Et vos, inquit Auguſtinus, Animarum Paſtores, exiſtimatis, Clerico illi ac Laico non ingratos, nõ inviſos vos eſſe, qui novit, dignitatem Infuláſq; vos deponere malle, quàm irreligioſos ad Sacerdotum ſubſellia, & ad Templum improbos admit-

mittere? Ego quidem, quod mearum est partiū, ago, scribo, dissero, & quod ad conservandā integritatē Christianā attinet, studiosè provideo, nec moror, quid ganniat, qui vel suspectam doctrinam, vel solutam Legib⁹ vivendi rationem profitetur. Neq; enim hos ego nunc primùm, cùm eorum sententias impugnare, & mores coarguere cœpi, habere inimicos occipio: postquam enim sibi persvaserunt, fore, ut nunquam cupiditatibus eorū salutis meę securitatem, gloriámq; Crucis sacrificarē, jam tum studia mea cane pejùs & angue sunt aversati: quamvis doloso cinere silentij odiorū suorum flamas absconderent, spe freti taciturnitate suâ effecturos sese, ut & ipse vocē continerē, nec veritatē oratione defenderē, nec virgas in eorū terga expedirē. *Quod libet, sentiant, qui fortè indignātur, quia talia disputo. Scio nāq; qui sapiūt, amāt inde me, quia nō sine causa scriptū est, corripe sapientē, & amabit te; corripe insipientē, & adjiciet odisse te. Nō dixit incipiet,* SED ADJICIET, *quia jam oderat.* Adde, licet fortè qui Disciplinā Religiosam odêre, nos ama-

Hom. 49. ex 50.
Io. 26. 225.
Prov. 9.

re

re vellent, hanc tamen eorū amicitiā repudiare nos oportere, ut quæ non modò pręfecturā nostram neq; gratā neq; venerabilem faciat, verùm etiā haud parum dehonestet. Solus Amor, quem Justitia parit, & cui constans ardor virtutis succū vigorémq; ministrat, is est, qui Præsidi ornamentū, ac gloriam confert. Sanctū Ennodium audire libeat, præclarè prorsus, quòd Benevolentiæ genus imperia reddat illustria, describentem. ALIUS *vulgi aurâ, gratiâ lenocinãte, cõmendatur*: TIBI RIGIDA *circa culpabiles* DISTRICTIO DEDIT AFFECTUM. DIGNUS PONTIFICE AMOR EST, QUEM CENSURA CONCILIAT: DEVENUSTAT *institutionis genium*, QUI PER SOLAM GRATIAM VULT PLACERE. Perinde scilicet nobis, ac Medicis accidit, è quibus eos præcipuè tum ægri amant, tum Urbes in pretio habent, qui nõ modò depravatis ægrotantium cupiditatibus indulgentiâ servili non obsequuntur; sed, posthabitis quibuscunq; blanditijs, seriæ ac severæ curæ se accingunt, putredinem

Dict. 3. To. 27. 227.

nem amaris potionibus aut antevertunt; aut tollunt, & carcinomata ferro persequuntur & igni. Ità pariter si Vitibus sensus inesset, odissent illæ proculdubio Vinitorem, qui pampinis parceret, & luxuriare palmitem impunè sineret: illũ verò amarent, optarentque; qui falce imodicam crescendi licentiam castigaret, & palmitem justis terminis circumscriberet; utiq; copiosiorem subinde vindemiã daturum. *Dignus Pontifice* AMOR *est*, *quem* CENSURA *conciliat*. Deniq;, qui paternæ dom⁹ delicijs contemptis, ad asperas Golgothæ rupes sese contulit, non optat scilicet absq; lucro virtutis in Cruce vitã agere, &, quantumvis natura recalcitret, eã ille ratione domat, majoríq; eum amore observantiáq; prosequitur, à quo ad regnum exstimulatur, quàm cuj⁹ indulgentiâ, dissimulationéq; segnities sua fovetur, piaculatib⁹ olim ignib⁹ punienda.

125. Quòd si verò aliquem placendi suis Cacoëthes ejusmodi invasisset, ut imperare suorum ingratijs planè nequeat, en tibi artem, quâ subditorum amorem tibi concili-

cilies. Eorum tum animi, tum corporum necessitatibus ità consule, tanquam eæ te, non illos premerent: videbísq; continuò pedib⁹ tuis omnes accidere, brachia collo tuo innectere, Patrē longè optimum appellare, fateri se filios, qui vitā ipsam tanto erga se studio paternæq; providentiæ rependere debeant. Id nimirum est, quod S. Joannes Chrysostomus in oratione, precibúsq; Chananeæ animadvertit Filiæ suæ morbum suam propriè calamitatē appellantis. *Miserere mei Fili David. Non dicit, miserere filiæ meæ, sed miserere* MEI. Prô quanto in nos amore Sacrorum Ordinum Filij exardescerent, si tam paterna nobis viscera, tantum erga necessitates suas studium esse crederent, ut in eo solùm omnes nostras cogitationes, curásq; versari existimarent, quâ ratione eas sublevare, atq; explere possemus. Atq; hæc providentia nō debet solis spiritualiū necessitatum limitibus circumscribi: sed ad quamcunq; corporis inopiā, & hominis exterioris non inhonesta desideria extendi. Quare toto cælo aberrant Antistites illi, qui ritè administratæ

Hom. 53. in c. 15. Matth. To. 2. 5. 271.

Præfecturæ gloriã ſibi arrogant, cùm, nullo ne minimo quidem Religioſarum conſvetudinũ neglectu diſſimulato, pietatem quidem promovent, ſed interim perexiguam rationem habent rerum earum, quibus attritæ labore vires inſtaurentur. Quòd ſi eſt aliquis ex iſtorum numero, meminerit ille, à Divino Verbo, cùm reparare genus noſtrum conſtituiſſet, non animam duntaxat humanã aſſumptam fuiſſe, ſed cum animo ſimul ac corpore Divinam ſuam Naturam Hypoſtaticâ Unione junxiſſe. Expendat quoq;, ne ipſam quidẽ SS. Triadem ità duntaxat Adami Animam condidiſſe, ut Angelis deinceps formandi corporis provinciam delegârit, ſed illam quidem ſimplici habitu inſpirâſſe, hoc verò Lutum noſtrum accuratiſſimâ diligentiâ, multo labore, ac proprijs, ut ità dicam, manibus per ſingula membra formâſſe. Audiant, ſi qui ſunt tam vano errore deluſi

Lib. 4. Ep. 39. To. 27. 145. Præſules, clamantem Gaudefridum: *Dum Animas ſalvare deſideras*, CURAM CORPORUM EXHIBERE NON NEGLIGAS. *Non bene in homine Animam dili-*

diligit, QUI CORPORI REFUGIT SUBVENIRE. *Vtrumq; Deus condidit, &, ut utrumque repararet*, UTRUMQUE SVSCEPIT. *In quibus non dicimus, ut ea facias, quæ inordinatè concupiſcit* VOLVPTAS, SED QVÆ JVSTE FIERI COGIT NECESSITAS. Qua in re haud dubio exemplo Sacrorum Ordinum Patribus præivit Æternus Pater, cùm Populo ſuo Manna primùm, ac ſubinde Legẽ tradidit. Pariter, ut eum ad Sacrorum Rituum reverentiam, Sacrificiorúmq; cultũ informaret, inaudito poſt homines natos prodigio, Mare Rubrum in Viam triumphalem aperuit, per quam ad opulentiſſimas Regiones, & nobiliſſima Regna proficiſceretur. *Quod liquidò Pſalmiſta teſtatur dicens:* DEDIT EIS REGIONEM GENTIUM, *& labores populorum poſſederunt:* UT CUSTODIANT JUSTIFICATIONES *ejus, & Legem ejus requirant*. In quam Sententiam Gregorius Magnus parte tertiâ ſapientiſſimi Paſtoralis ſui, quo Præſules Chriſtianos informat, diſſerüit. Lubet Pontifici Maximo Abba-

Part. 3. Paſt. Admon. 25. To. 32. 389. Pſal. 104.

tem amplissimũ Bernardi Discipulum ac Successorẽ succenturiare. Expendit eloquentissimus Interpres, Austri, & Aquilonis mysticum fœdus in Sacro Sponsæ horto fecundando mirè conspirantiũ: *Surge* Cant. 4. 16. *Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluant Aromata illius.* Et in Aquilone quidẽ gelidissimo Ventorũ austeritatẽ Vitæ Religiosæ, Legúmq; severitatem adumbrat, quã quidem exhorrescere nullus Asceta debet, maximè cùm rigidos illos flatus placid⁹ Auster consequitur, qui Boreæ pruinas, ac gelu vitali tepore resolvat, ac temperet. Nemo videlicet de laborioso duróq; vitæ genere conqueri potest, dum persvasum habet, se, cùm sub onere conciderit, benignè sublevandum, attritámq; valetudinem exquisitissimâ sedulitate curandam esse: id verò multò etiam magis præstabit, si viderit, præcipua tum Ordinis, tum Collegij munera in eos conferri, qui præ cæteris singulari virtutis exemplo resplendent. Nempe nulla eo loco vel herba succrescit, vel Aromata stillant, quem un⁹ omni tempore Boreas niviũ pater, & glaci-

ciei artifex afflat. At verò si vigilias, inediam, saccum, cilicia, & laboriosas exercitationes cura regentium, & debita laborib⁹ merces consequantur, pro se quisq; incōmoda prōpto animo suscipit, superventuræ subinde quietis, & levamenti alicuj⁹ capiendi secur⁹. *Videtis, fratres*, QUALITER AQUILO AD MENSURAM SUI AUSTRUM PARTURIAT: *& fortè, ubi abundavit Aquilo*, COMPENSABIT INJURIAS. *Ergò surgat Aquilo, sæviat, quantumlibet fremat, dummodo occasionem*, ET QUASI VIM PRÆSTET FLATIBUS AUSTRI. Quocirca, quàm possum vehementissimè, hortor omnes atq; obtestor, ut provideatis, quo in Collegijs Aquilones Laborū in utilitatem alienam propriúmq; profectū cedentes modū in spirando mensurámq; servent; Austri verò solatiorum ac fomentorum ultra modum copiámq; abundent. Intentos habeat oculos Præses in eorum labores, qui domi op⁹ faciunt; qui Litteras profitentur in scholis; qui verba in publico faciunt; qui deniq; eruditione suâ, & præ-

Gilbert. Ser. 38. in Cant. To.109.185.

claris ſtudijs Eccleſiam, ac Societatem illuſtrant: iiſq; ſuo tempore ſudorem abſtergat, &, quantum ſinit paupertas, atq; modeſtia noſtra, coronis eorum caput exornet. Contentioni remiſſio, itinerib⁹ quies, ſtudijs otia, ſcriptioni Pręfecturæ, Catecheticis Quæſtionib⁹ Theologicæ, Miſſionib⁹ Cathedrę, Pagorum rudiúmq; inſtitutioni celeberrimorum Collegiorum, atque Academiarum Adminiſtrationes ſuccedant. Verbo: meminerit unuſquiſq; Vineam Chriſti tam ab Auſtro, quàm ab Aquilone perflari, atque alterum alteri ſubrogari.

126. Equidẽ facilè mihi perſvadeo, neminẽ veſtrûm eſſe, qui non animadverterit, ſvaviſſimos Auſtri afflat⁹ non ad ſteriles Æthiopiæ vel Libyæ arenas, in quibus colubri repunt, & præter infructuoſa virgulta, noxiáſq; cicutas, nihil admodum aut naſcitur, aut floret, à Sponſa vocatos fuiſſe. Nempe ſaluberrimam auram agris ijs illa imprecatur; qui ſvaveolentia balſama, medicos flores, & pretioſa aromata proferunt. *Perfla* HORTUM MEUM,

& flu-

& fluant AROMATA *illius.* Enimverò necesse est, Patres Reverendi, ut cælesti Mannâ, & Hyblæis favis veros Christi Servos pascamus: recipiendi quin etiam in sinus nostros erunt, ut nõ minùs svaviter, quàm super pect⁹ Servatoris Joannes obdormijt, apud nos conquiescant. Cõmittendum sanè non est, ut illis, qui ut Apostolicos labores æquent, sanctéque vitam peragant, nulla non incoõmoda subeunt, nullas non ærumnas perferunt, unquam desint, quæ vel referre meritis gratiam, vel recreare vires afflictas queant: roris enim cælestis imbres copiosissimi agris illis debentur, qui eviscerari se vomere patiuntur, & messorum spes, & areas optimo tritico implent: quâ profectò indulgentiâ indignus ille ager est, qui durissimę rupis instar industrias Coloni eludit, nec sementem reddit cum fænore. Hunc talem soli scilicet Boreæ flatus perurant oportet. Eum certè agendi modum Petrus Apostolus cum Anañia & Saphira tenuit, qui primi sacra Vota violârant, & opes Christianæ Reipublicæ dedicatas malo dolo ac pes-

ſimo exemplo ſuffurati erant. Is enim, qui Claudũ piè in Deum affectũ, in pedes erexit, & Thabitã in egenos liberalẽ, in vitam reſtituit; qui oppreſſis morbo Chriſtianis ſanitatẽ, ac vigorẽ reddidit, ac de victu veſtitúq; proſpexit: duobꝰ illis perfidis Judicem ſeſe exhibuit, & excuſſo fulmine ultimum exitum intulit. Cujꝰ exemplum niſi ſequerentur Chriſti Vicarij, per eam ipſam malefactorum impunitatem peſſimarum conſvetudinum tenebras, profani atq; Ægyptij moris noctem, Divinæ Auroræ ac Lucis Æternæ filijs inferrent. Exclamat propterea S. Paciaꝰ: *Facinoris viam monſtrat innoxijs*, QUI NOCENTIBUS POST SCELERA BLANDITUR. Quid enim, inquit Gregorius, expectare aliud Præſides poteſtis, quàm ut ſolutâ diſciplinâ paſſim vitia inundent, niſi primos exuberantis licentiæ impetꝰ, objecto, ſi opꝰ ſit, flamantium carbonum aggere retuderitis, quibus & caſtigetur audacia, & primarum quoq; guttarum noxius humor inareſcat? OPORTET, *ſi quid tale committitur*, COERCERI, NE FACINVS,

Paren. ad Pœnit. To.15.169.

Lib.2.Epiſt. 86. To. 32.12.

cùm

cùm aliorum peccato parcitur, VIRES EX DISSIMVLATIONE PERCIPIAT. Misera verò Domicilia, in quibus Delicta vel non gemunt sub verbere, vel non extinguuntur! Quantalibet impunitatis spes ijs satis est, ut iter sibi ad Tyrannidem sternant, non minùs exitiosam virtuti, probisque intolerabilem, quàm cujuscunq; limitis aut emendationis impatientem. In ipsis igitur cunis suis ignaviam ac Teporem invadam⁹, & ab ultimis fibris eradicem⁹, quidquid in Christi hortis nec Æterni Patris, nec Jgnatij Minimi ej⁹ Agricolæ manu satum succrescere cœperit. *Coërceri oportet, ne vires ex dissimulatione percipiat.* Distringatur securis in degeneres Ramos, qui Vitæ Arborem gravant: una sit omnium vox: jaceant in postremo, neglectissimóq; Sacrorum Cænobiorum Angulo, æternáq; oblivione premantur, qui Religiosæ Disciplinæ murum suffodere, actis pessimæ novitatis cuniculis, audent: sepulti tenebris, & comuni execratione damnati jaceant, qui Religiosæ Simplicitatis candorem profanę ambitionis fumo inficiunt.

Ejulanti deinde, qui vapulat, ac quiritanti ſibi deeſſe in Ordine Religioſo, qui Patris erga ſe partes impleat, qui plena lactis ubera maternâ pietate ſibi præbeat, conſtanti plenóq; indignationis vultu reponite: nẽpe ideò apud nos Parente cares, quia te Filium nobis non exhibes. Parce igitur Præſidem incuſare, quòd te ſalubri ſvavíq; lacte non potet, cui tu videlicet amariſſimi
Lib. 1. Epiſt. 195. Io. 27. 130. fellis pocula miſces. *Verùm quia frequenter* EX TE BIBO AMARA, *non eſt mirandum* SI NON POSSUM TIBI PROPINARE DULCIA, *nec exhibere me Patrem*, QUI TE NON INVENIO FILIUM. *Fac quod tuum eſt*, ET EGO FACIAM, *quod meum eſt*. In hanc ſententiã Canonicos ſibi ſubjectos Sanctus Ivo eſt allocutus; nec alia illius debet eſſe oratio, qui Religioſis Domibus cum imperio præeſt. *Fac quod tuum eſt*, ET EGO FACIAM QUOD MEUM EST.

127. Cujus Moniti ſeveritatẽ ità duntaxat obſervare debem⁹, ut & oſtentatio abſit, & minimè grave ſit, eum, qui ſe ad pedes noſtros vero dolentis animi ſenſu abjece-

cerit, & cum Magdalena Christi pedibus lachrimas, unguentáq; infuderit, serenato in lætitiam vultu, clementérq; recipere. Cave ne pacis osculum neges cum Virtute, cum Legib⁹, cum Deo redire in gratiã cupienti. Quisquis erroris admissi pœnitens iratos in se oculos converterit, videat pariter affulgentes sibi à vultu nostro Pacis Irides, certóq; sibi persvadeat, nullum inter eum, qui accusat⁹ non sit, & qui cõmissa damnaverit, discrimen futurum; paríq; utrosq; amore, ceu carissimos filios, à Patre dilectum iri. Quæ svavitatis ac clementiæ forma è Divinæ Pietatis Prototypo descripta est, apud quam videlicet eodẽ in pretio habetur cõmissa sua plangentiũ cinis, ac innocentissimorũ animorũ, qui Liliorũ instar medias inter spinas floruêre Azymi panes. *Vnde Psalmistæ voce* (verba sunt Gregorij Romanos alloquentis) *per Dominum dicitur: Cinerem tanquam panem manducabam:* QUIA SIC POENITENTES RECIPIT, UT JUSTOS. Nunquã non obversetur animo Anulus in Filij Prodigi manũ insert⁹; Divinatio lachrymã- *Hom. 29. in Ezech. To. 32. 186.*

ti

ti Davidi restituta; Petro ejurati Christi reo, sed sacrilegium suũ damnanti traditæ Cæli Claves, majorésq; honores dolentis lachrimis, quàm Joannis integritati decreti. CINEREM TANQUAM PANEM *manducabam.* Aboleatur omnis præteritæ inconstantiæ memoria, cùm, qui nuper in casum nutavit, mutatus est in Columnã. Altissimis quibusq; Candelabris imponatur, qui dispulsis admissorum errorum tenebris cælestes ardores resumpsit. Nullam munerũ, Graduúmq; diversitatẽ anteacta tempora ponant, cùm præsentis virtutis paria merita fuerint. Citharæ personent, coquatur Vitulus, stola depromatur, convivium apparetur, in amplex⁹ expediantur brachia, caput ad osculum exeratur, ut ijs reditũ gratulemur, quos error procul à nobis abduxerat. Hîc ego non audiã, qui dicat, se paratũ quidẽ esse fugitivum recipere, sed si ultrò audiri postulet, si supplex accedat, si errorẽ damnet, ac veniam imploret. Quòd si verò accedere, meóq; se imperio submittere recusaverit, sinã sanè illũ erroribꝰ suis implicari, & aliorum virtute

ad

ad ea, quæ agenda sunt, utar. Enimverò si tam durũ in dolentes animũ servas, haud leviter in præscriptas ab Ambrosio leges peccabis, cujus judicio exporrigere prolapsis manũ, & procul positos amœnitate vultûs revocare ille debet, quẽ in altiore gradu muneris sui ratio collocavit. SUPERIORIS EST INFERIOREM AD COLLOQUIUM PROVOCARE, ET DARE SERMONIS FIDUCIAM. Intelligant quin etiã tum errantes, tũ rectâ gradientes viâ, magno nos desiderio teneri, ut eorũ voluntatib⁹ obsequamur, & vota expleam⁹: ac si modò per Leges liceat, neq; ullũ Religiosa Disciplina detrimẽtũ passura videatur, prõptè concedantur, quæ demissè rogârint. At hoc parũ est. Occupentur quoq; omnia Subditorũ non iniqua vota, & Lynceis oculis, quæ grata ijs possunt accidere, prospiciantur. Certè Moyses inter obstantis Oceani fremit⁹, & insequentis Pharaonis minas deprehensus vocem nullã emiserat, cùm Deus, non expectatâ supplicis prece, præsens necessitati præsidium attulit. *Dicit Dominus ad Moy-*

Cap. 10. de Iob. To. 37. 78.

Moysen; quid clamas ad me? Quas voces Ambrosius divinâ quâdam animadversione illustravit. *Sonum ejus*, inquit, *non audio, vocem ejus agnosco*, SILENTIVM EJVS LEGO, *clamorem ejus deprehendo.* Prô Deum Imortalem! quantis amorib⁹ erga Societatẽ exardescerent, quantâ reverentiâ Obedientiã colerent Alumni nostri, si necessitates suas & solatia pervigili semper oculo à nobis observari persvasum haberẽt: colliquescerent profectò grati animi dulcissimo sensu, & ad omnẽ nutum nostrum se penit⁹ fingerent, si modestiæ suæ verecunda silentia exaudiri à nobis sentirent, viderentq;, nos eò accurrere, quò ipsorum desiderijs, ne dicã gemitib⁹ advocati eramus. SILENTIVM EJVS LEGO, CLAMOREM DEPREHENDO. Hinc æstimetis licet, quanto illum horrore concuti par sit, qui vota innoxia nõ modò non occupat (id quod ab eo sui muneris ratio postulabat) sed infimis, nec semel iteratis precib⁹ exposita frustratur, ac cum stomacho rejicit. Partes nẽpe sunt nostræ, divinare, quid velint subditi; & erit aliquis, qui

Ser. 19. in Psal. 118. To. 10. 331.

qui supplicantib⁹ surdus, & lachrimantib⁹ marmore durior fiat? Avertat verò Deus hãc à nobis, atq; ab unoquoq; Vicariorum suorum adeò fœdã, imanémq; supplices rejiciendi, & preces despuendi barbariẽ, amoliatúrq; ab ijs inconstantiã illã, quam Salomon in Lunæ varietate detestatur. Hæc enim modò pleno sidere jubar explicat, modò semiformi alludit, modò nullo spectatur, penitúsq; vanescit. Hæc scilicet eorum Præsidum imago est, qui nunquã non à se diversi pro varietate negotiorum ancipites animos gerunt: jã mœrore graves, jam hilaritate soluti vel plus, quàm postuletur, indulgent, vel inhumaniter negant, quod offerendum etiã nõ petentib⁹, rogantib⁹ verò prõptè fuerat concedendum. Atq; ego quidem existimo, non aliã re magis Præsidis famã pessundari, quàm si nõ omnium horarum Vir esse, suósq; interdum pati maries dicatur: si nimirum aliquando curis gravis, & negotijs intent⁹ vel non ad propositum respondeat, vel fastidiosè, nec sine clamorib⁹ ad se recurrentes repellat. *Stultus ut Luna mutatur.* Residere Eccli. 27. 12.

sci-

ſcilicet in conclavi ſuo Præpoſitum oportet ſemper ſui ſimilem, ſemper prõptum accedentes amplecti, afflictis ſolatium impertiri, trepidis ſpem facere, laborantib⁹ præmia perſolvere, meminiſſe ſe omnium Patrem, privatarum ægritudinum obliviſci, audire benignè, placidè reſpondere, mel atq; ambroſiã diffundere. Et quæ demum tanta ægritudo animi eſſe poteſt, ut facultatẽ nobis eripiat, vel muneris noſtri partes explendi, vel neceſſitates aliorum ſublevandi? Huc oculos, exclamat Chryſoſtomus, huc animos convertite! En ut Chriſtus primus ac Divinus Chriſtiani Gregis Paſtor infami Trabi ſuffixus, ſeptuaginta ſpinis perfoſſus, toto corpore laniatus, Scribarum maledictis, Latronum convicijs impetitus, à Patre deſertus, Elementorum perturbatione cōmotus, nihil omittat eorum, quæ ad ſpirituale regimen, cōmiſſorúmq; ſibi tum animos, tum corpora pertinebat. De Cruce pendens, & vicinæ mortis doloribus oppreſſus Matrem Diſcipulo cōmendavit: Sacris Vatum Oraculis fidem adſtruxit: Latroni Cælum

op-

oppignoravit: Tortoribus suis veniã obtulit. *Tu autem considera* QVOMODO CRVCIFIXVS OMNIA SINE ALIQVA PERTVRBATIONE TRANSEGIT. *Discipulo Matrem commendavit, Prophetias implevit, Latroni spem bonam dedit.* Ite jam, &, ut negligentem vestrã, & exiguã vestrorum curã tueamini, eos, qui ad vos recurrunt, sive ut exemptionem à cõmuni aliqua lege impetrent, sive ut animorũ suorũ pericula manifestẽt, imprudẽtes importunósq; vocitate. Quid? quòd etiam morbo correpti, & lecto affixi aurẽ ijs præbere debetis, Dei-Hominis Provincię suæ administrationem ne in ipsa quidem morte omittentis exemplum imitati. Dubitari subinde nequit, ingens auctoritati nostræ pondus accessurũ, si sperare omnibus liceat, fore, ut, quocunq; tempore vel consiliũ à nobis, vel opem petituri sint, semper faventes auditores sint habituri. Quòd si verò sibi persvaserint, Præsidũ suorum vultus cum ægritudine animi cõsentire, negotiorúmq; molestijs obductũ esse, supersedebunt scilicet ad eos accedere,

Hom. 84. in c. 19. Ioan. To. 37. 246.

veriti,ne novam ijs molestiã addant. Quò fit, ut miseri per damnosam Επιεικίαν, seu malitiosas Interpretationes aggeres Legum perrumpant, & contracto jam usu conspectum vestrum fugiendi, ab ipso quoq; perfectæ vitæ studio se avertant, atque, ut ne ignominiosas repulsas ferant, supplices vobis libellos offerre dedignentur. Procul facessant ista; sed veluti CRVCIFIXVS OMNIA *sine aliqua perturbatione transegit*: ità si Christi cum morte luctantis Vicarij sumus, nequaquam patiamur, nos à Cura Nostrorum ullâ nostrâ seu ægritudine, seu molestiâ, vel latum unguem dimoveri.

128. Ad extremũ id constare omnibus oportet, longè pluris ęstimari à nobis Subditorũ Virtutẽ, quàm Eruditionem, aliáq; tum corporis, tum animi ornamenta; Religiosę verò Disciplinæ, ac sui vincendi studia nobis instar omniũ esse. Age enim, quis ingeniosior Lucifero, quis omnib⁹ tũ Ortûs, tum Scientiæ ornamentis cumulatior exstitit? At idẽ ille Cælum omne commovit, Angelos in ruinam traxit, in Conditorem

rem suum conjuravit, & decorum suorum fastu tumid⁹ è Seraphino in Draconē abijt, dejectúsq; ad Inferos atrocitatē sceleris sui æternis piare supplicijs jussus est. Sit sanè suum Sapientiæ pretiū; sed eaten⁹ tamen, dum à Modestia divortium non fecerit. Cæterùm si Archangeli illi⁹ scientiā cælestes inter Genios sapientissimi æquarem⁹, nec ej⁹ contumaciā, fastum, ambitionē abominaremur, sanè non minùs, atq: ille, justam Dei in nos Irā provocarem⁹: adeóq; jam non stellæ salubris doctrinæ radijs, ut olim, populos illustrarem⁹, sed eos veluti semiusti Torres vanitatis nostrę fumo inficeremus, injuriosi Christo, posteris perniciosi, toti terrarū orbi viles atq; despecti. Jubet me ità differere Gregorius Nazianzenus, cùm ipse quoq; in eandē sententiā Orientis Episcopos, & Byzantij Sapientes sit allocutus. *Ne idem nobis, quod Lucifero illi prolapso, accidat, hoc est* NE TOTO ILLO FULGORE PERFUSI CERVICEM *adversus Dominum omnipotentem attollamus*, ATQUE OB ELATIONEM CORRUAMUS, *casu omnium miserrimo*

Orat. 34. To. 1. 15. 325.

& calamitosissimo. Equidẽ dubitari nequit, id Deo consiliũ in condenda ista Societate fuisse, ut Mundum sapientiâ erudiret, id quod illa & pręstitit olim, & hac quoq; tẽpestate præstat. Hac sapientiâ mirum in modum resplenduerunt Primi Patres nostri, eáq; illi tum Orthodoxis Provincijs utilitatẽ, tum Schismaticis Barbarísq; Regnis lucẽ maximam attulêre. Verum enim verò res tantas non solâ vi Theologiæ vel Eloquentiæ, sed multò maximè illo ardore pietatis cõsecuti sunt, qui plerisq; omnibus sum̃am apud populos venerationem, multis etiã sanctitatis non indignæ, quæ publico cultu consecraretur, opinionem peperit. Celeberrimorũ Virorum, qui Academias nostras illustrârunt, numerũ inite, deprehendetis profectò, eos non magis eruditione, quàm sui demissione; verbo, quàm opere; rerum divinarum contemplatione, quàm humanarum cognitione conspicuos fuisse. Laynij, Suarij, Lessij, Vasquij, Cornelij, Bellarmini, & Toleti Vitę Litteris consignatę, Virtutésq; tantùm non adoratæ fuerunt. At quæ no-

stra

ſtra ſubinde infelicitas foret, ſi Virorũ Religioſiſſimorũ Poſteri cum virtute ſcientiã jungere negligeremus! Haberemus profectò (id quod Deus avertat) juſtiſſimam cauſam timendi, ne, poſtquã pietatis ardor in animis noſtris elanguiſſet, ſimul Sapientiæ Lux nobis occideret. Hoc nimirum eſt, quod Richardus de S. Victore Canonicos ſuos vereri juſſit: monuítq; Religioſum Ordinem quemlibet cum Arbore, quam dormiẽti Nabuchodonoſori oblatã Daniel interpretatus fuerat, prorſus congruere, in qua, cùm à radice trunc⁹ fuiſſet abſciſſus, nulla neq; folia, neq; fructus ſuperfuerint: ut ſciremus, in ſacris Cœtibus nullum aut Litteraturæ aut Famæ ornamentum, Deo ſic jubente, remanſurũ, cùm à viva radice ſanctitatis ſeparari ſe per ſocordiam paſſi eſſent. FOLIA EJUS PULCHERRIMA, *& fructus ejus nimius.* Quàm primùm verò Truncus exaruit, omnes continuò ejus frondes, & copiam pomorum vindices Angeli disjecêre. EXCUTITE FOLIA *ejus, & diſpergite fructus ejus.* Quo loco Richardus: SUC- *Dan. 4. 9.*

 CI-

Lib. 2. P. 1. c. 22. de Erud. Hom. Int. To. 76. 138.

CISO, inquit, ROBORE ARBORIS, FOLIA EXCUTIUNTUR, *fructúsq; dispergitur*, *quia* DEFICIENTE VIRTUTUM EXERCITIO, *priùs* GRATIA BENE LOQUENDI TOLLITUR, *tandem* ETIAM GRATIA RECTE INTELLIGENDI SUBTRAHITUR. Atq; utinã tantæ, támq; luctuosæ calamitatis nullum vestigium extaret, nec Ecclesia deflere posset, in uno alteróve Sacrorum Hominum Cœtu, qui quõdam solidæ sanæq; doctrinæ Oracula fuerunt, unà cum Virtute Sapientiæ quoq; lucem extinctam fuisse. Prô quanto horrore cõplere nos ea sententia debet, fore scilicet, ut simul cum pietate omnis tum bene dicendi, tum intelligendi facultas intereat. DEFICIENTE VIRTUTUM EXERCITIO, *priùs gratia bene loquendi tollitur*. Prô quantum à pristina dicendi, Auditorésq; permovendi vehementia remiserunt nonnulli, qui pro concione sacras Litteras exponunt! Si folia decidunt, & nervis ac vigore oratio caret; quis dubitare potest, securim in radicem adactam esse?

esse? SUCCISO ROBORE ARBORIS, FOLIA EXCUTIUNTUR. *Prius gratia bene loquendi tollitur, tandem etiam gratia bene intelligendi subtrahitur.* Et profectò nequit aliâ ratione Societatis Arbor primævum robur tueri, quàm si, quod de illa alia, cùm Orientem Occidentémq; contingeret, Vates oraculo edidit, in se ipsa expresserit. *Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius. Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cæli.* Tamdiu scilicet fatidicæ Arbori fecunditas sua & gloria constitit, donec in ramorum suorum cacumine Cælo assvetas aves svavissimorum fructuum medullâ recreavit, & Belluis ac Sylvarum Monstris sola putamina, corticísq; reliquias indulsit. *Subter eam animalia, in ramis volucres.* Si proinde nos quoq; meritis ac virtute pręstantes ad pręcipuos honores extúlerimus, & ignavos tepidósq; in obscuris infimísq; sedibus destituerimus, suum quoq; Societati decus, existimationémq; apud omnes omnium terrarum populos conservabimus. *Discant*, monet Ri-

Lib. 2. P. 1. c. 17. de Erud. To. 70. 132. chardus, PRÆLATI NOSTRI, *quid facere debeant:* DISCANT, *inquam*, INDISCIPLINATOS MORES PREMERE, BONOS ATTOLLERE, ET HONORARE. Secundùm hæc, quantâ poteſt vehementiâ Præſidum illorum vecordiam caſtigans, qui nec ignavos depriniunt, nec ſtudioſos extollunt: *Quid quæſo*, exclamat, *hoc genus Monſtri eſt*, *quòd* NOSTRI TEMPORIS ARBORES URSOS ET LEONES PORTANT IN RAMIS, VOLUCRES VERO CÆLI *contra rationis jura, Creatoríſque inſtituta* PREMUNT IN IMIS? Deſperent apud nos, deſperent, inquam, omnes, poſſe ſe ad ullum ſeu Magiſterij, ſeu Præfecturæ gradum aſcendere, niſi ſanctitatis luce inter nos fulgeant. Non veniat unquam tempus tam funeſtum, ut ejus operâ præ cæteris utamur, ut non deprimatur infra omnes, qui ex Aquila intuendis quondam Solis radijs aſſvetâ in repentem in pulvere colubrum, aut Feram rictu minacem degeneravit. Illud verò ędibus noſtris ſolemne ſit, Viros Diſciplinæ ſtudioſos celſiſſi-


ſiſſimis muneribus applicatos, & ſtellas in Cælo, debitâ ſcilicet earum virtuti ſede, collocatas oſtentare.

129. Quam profectò juſtiſſimam ſumméq; neceſſariam diſtributionem ſervabunt Cœtus omnes, ſi Moderatores eorum intimam cum Deo neceſſitudinem contrahere ſtuduerint. Sanè Moyſes nullum unquam negotium ad exitum perduxit, quin antè quàm illud ſuſciperet, Deum prono in ſolum corpore veneraretur. E Tribunali ad Tabernaculum ſe conferebat; ab Arca Solium repetebat: eam deniq; ſententiam laturus, quam diu, multúmque ſecum & cum Deo meditatus erat. Eundem in agendo modum tenuit Samuel, è cujus ore verbum nullum prodibat, quod Deus ipſi non antè formâſſet, accomodâſsétque. Id nimirum S. Gregorius Pontifex de utroque teſtatus eſt, cùm primum Regum Librum Commentarijs ſuis illuſtraret. *In omni ferè negotio Moyſes* DOMINUM CONSULUIT: id quod de Samuele pariter ſubnectit. DOMINO LOQUENTE, Lib. 3. in 1. Reg. To. 2 ſ. 53.

AUDIT, QUOD LOQUATUR. Horum exemplo si Præsidem suum insistere crediderint Subditi, certóq; sibi persvaserint id eum jubere, quod diu antè, positis humi genibus, defixísq; in Christum de Cruce pendentem oculis animóq;, secum expenderit, omnia tanquam Divini Senatûs consulta excipientur. Nullæ unquam quiritantium voces audientur, cùm Pręses antequam seu pœnas irroget, seu præmia persolvat, Christo æquissimo Servorum suorum arbitro aurem præbuerit. Nempe universæ eorum, qui parent, querelæ nascuntur, quòd incertum sit, an edicta Præsidum à perturbatione ac cupiditate aliqua, vel ab æquitate, illapsáq; inter precandum cælesti luce dictata sint. Equidem Moyses geminas, benéq; longas Tabulas exhibebat, nemo tamen severissimis Legibus intercedere ausus est, quòd facies ejus, *ex consortio sermonis Domini*, resplenderet.
Exod. 34. 29.
Nos quoque si noctes rerum Divinarum comentatione traduxerimus, quidquid subinde visum fuerit, imperare, illud omnes æquis animis, nemine reclamante,

ac-

accipient. Ità,quem memorabam, divinâ luce collustratus Vates Magistratus legebat, Sacerdotes consecrabat, Reos jugulabat, per vastas solitudines innumerabilem multitudinem deducebat: quæ quidem omnia feliciter effecit, quòd illum improbis formidabilem,& iter facientibus venerabilem sua cum Deo familiaritas reddidisset. Idem prorsus & nobis usu veniet, si quando constiterit, vitam nostram in perpetua meditatione comunis utilitatis occupari. Verbo: si studio indefesso precibus instabimus, Legitimorum Pastorum Titulos promerebimur. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Hoc est, si Præses utilitatem subditorum omni, quâ potest, curâ promoveat, suam verò penitus negligat: quod facturos omnes, imo jam nunc facere, certò mihi persvadeo.



EX-

EXHORTATIO XXXIV.

In Pervigilio B. Aloyſij.


Os Juſti meditabitur Sapientiam, & Lingua ejus loquetur judicium. *Pſal. 36.*

QUemadmodũ qui pia de Deo, rebúſque divinis colloquia in familiaribus congreſſibus, ſerere amant, Societatis Domos ſanctitati conſecrant, itá qui curioſa profanáque argumenta pertactant, eas funditus evertunt. Seraphinorum voces Cælum omne commoverunt, & ad venerationem Numinis excitârunt: Joannem Deiparæ Eliſabetham ſalutantis oratio emaculavit: cùm Baſilio auſcul-

ſcultarent Monachi, cæleſtibus flammis exarsêre. Contrà Dorothei ſolitudo vanis, levibúſque rumuſculis intepuit: & à Romualdi ſeceſſu, ad quem magnis deſiderijs æſtuans properabat, pedem retraxit Vir Equeſtris Ordinis, duorum Monachorum, quos itineris ſocios habebat, iocandi libertate abſterritus. Vitæ aſperitas, Animi Demiſſio, æquabilis ad omnia & expedita voluntas, quæ quondam adeò nobis placuêre, ut, quidquid in Societate reperimus, ſummopere veneraremur, pretium guſtúmque ſuum deperdunt, cùm Virtutis ſtudium humanæ Gloriæ admiratio, profaniſque de rebus illati ſermones reſtinxerint. Obruatur igitur Iræ Divinæ Pelago, illigatáque collo Evangelicâ Molâ mergatur, quiſquis de Sancti Patris Filijs

Ba-

Babylonico Idiomate ac profanis, seculúmque sapientibus argutijs, vel offendiculum creat Externis, vel Domesticis ignavum frigus afflat.

130. Uit Aloysius Gonzaga Sanctus priùs, quàm Beatus. In Beatorum enim numerum post obitum relatus, at Sanctus fuit dum vixit, eam potissimùm ob causam, quòd laudatum modò Vatis Oraculum in semetipso explevit: *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Omnis beatissimi Juvenis vita, & ea maximè, quam apud nos egit, Evangelicis hisce duobus cardinibus circumacta est, iísq; ille veluti gemini salis ad summum sanctitatis fastigium sese provexit, nempe QUIA DE DEO, ET CUM DEO COLLOQUI solitus fuit. Quantum verò duobus hisce ornamentis, unde velut è fonte vitæ sanctitas omnis promanat, excelluerit, unusquisq; vestrûm multò me novit meliùs, disertiúsq; potest dicere. Quamobrē consultiùs putavi hodi-

er-

ernã dissertationẽ Instructioni potiùs nostrę, quàm Beatissimi nostri Juvenis laudibus impendere. Eã igitur ad gemina capita revocabo: & primùm quidem expendam, quantis incrementis ejus, qui de Deo verba facit, Virt⁹ augeatur, quámq; eadẽ illa obfirmato de reb⁹ Divinis silentio im̃inuatur. Subinde & illud considerabimus, quàm ægrè, quámq; omninò de Deo loqui nequeat, qui cum Deo loqui non assvevit. *Lingua ejus loquetur judicium:* tũ scilicet, si de illo præmissum fuerit: *Os justi meditabitur Sapientiam.*

131. Admirabile se quondã Isaiæ, laxato Cælo, spectaculum obtulit: residens in Solio Deus, quod tantã Majestatem deceret, præcipuis Cælitum stipat⁹, Mundum Legib⁹ ac nutu temperare visus. *Vidi Dominum sedentem super Solium excelsum & elevatum, Seraphim stabant super illud.* Et immotũ hacten⁹ venerabili eâ specie Cęlum stetit. Tum enimverò im̃ensæ Regionis Cardines agitari, & felicissimum illud Regnum latè impleri odorib⁹ ac fumo cœpit, cùm Seraphini duo vocem in Laudes Divini- Isai. 6.1.

vini-

vinitatis ſolverunt, & alter alteri infinit
Numinis Majeſtatē narrare agreſſi ſun
Et CLAMABANT *alter ad alterum*, *e*
dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Domin
Deus Exercituum. Hæc nempe ſanctiſſima
rum vocum Harmonia Cælum concuſſi
& ſacro Thymiamate Cæleſtium Princ
pum Acerras vaporavit. ET COMMO
TA SUNT SUPERLIMINARIA
CARDINUM A VOCE CLAMAN
TIS, *& Domus repleta eſt fumo.* Mirum di
ctu, & prodigio ſimile, quódq; divinar
nullus Vatum poterat: Cælum quod Re
gis Regum im̃ortale manu ſceptrum te
nentis majeſtatem im̃otum tulerat, tun
deniq; Conditori ſuo ſeſe ſubmittere, a
thus adolere, cùm Angelus aliquis eju
laudes decantat, & de Deo coram De
verba facit. *Commota ſunt ſuperliminaria car*
dinum A VOCE *clamantis.* Et certè ill
Regnantis Numinis, Oratorúmq; cæleſti
um ſpecies in Iſaiæ animum tā altè deſcen
dit, ut nulli⁹ adeò rei pœnitentiâ com̃o
veretur, quàm quòd de Deo loqui hacte
nus neglexiſſet. *Et dixi*, VÆ *mihi*, QUI
TA

TACUI. O me infelicem, exclamabat, qui, si publicè ac privatim de divinis Virtutibus sermones miscuissem, terrestrem hanc, vitiisq; obsitā Hierosolymam in cælestis illi⁹, ac felicissimæ Sionis effigiē commutare potui! Et quemadmodū Beatorū Spirituū voces Sacerdotij fragrantiâ Cælum repleverunt, sic omnes hujus Urbis plateæ, me loquente, pulcherrimū Virtutum odorē latè sparsissent. Futurum scilicet erat, ut nō minùs Terrā divino Timore perculsā sermo meus concuteret, quàm Cæli Machina, me vidente, contremuit; cùm Dei Potentia, Bonitásq; in reb⁹ creatis Angelicis cantib⁹ celebraretur. Neque verò Isaias proprium duntaxat silentiū damnavit, verùm id pariter tum in Sacerdotibus, tum in plebe sum̄opere detestat⁹ est. *Væ mihi, quia tacui, & in medio populi* POLLUTA LABIA *habentis ego habito.* Atqui calamitosis illis temporib⁹, quib⁹ Propheta vivebat, omnia, quib⁹ Adami progenies urgetur, vitia facto agmine Civitatē illam inundaverant, penitúsq; everterant. Fœda morū Licentia, judiciorū iniquitas, pri-

vatæ ſimultates ad vindictã ac cædẽ ruentes, temulentia, libido, avaritia, invidia, vis, dolus, ej⁹ Civitatis Incolas oppreſſerant, ac Cælo juxtà, terríſq; abominabiles reddiderant. Iſtorũ tamen turpiſſimorũ flagitiorũ oblitus quodam̃odo Vir Sanct⁹ oris impuritatẽ, quod nulla ſacra colloquia emendarent, tanta licet eſſet Litteratorũ rudiúmq; multitudo, præcipuè ac potiſſimùm deplorabat. *In medio populi polluta labia habentis, ego habito.* Perinde ac ſi diceret, quòd ſi iſti, qui per tot, tantáq; flagitia vitã exigunt, piorũ colloquiorum uſum interim retinerent, haud dubitarẽ, fore, ut hæc Religionis Arx ſacris emendata ſermonib⁹ Angelicæ Regiæ tum integritate vitæ, tum morũ innocentiâ veteris pietatis ſpeciẽ poſtliminio nobis referret. Hîc ego, ſi per vos licet, Patres, Iſaiã imitatus calamitatẽ meam, ac tum meũ, tum veſtrũ ſilentium deplorabo; fatebor enim me non diverſo dolore, meã juxta veſtrámq; ſortẽ queri. Exclamo altiore quidẽ animi ſenſu, quàm vocis ſono, exclamo, inquã, *Væ mihi, quia tacui, & in medio populi polluta labia ha-*

habentis ego habito. Negare quippe, nisi cũ insigni Adulationis nota, nec possum, nec debeo, quòd venerabilis huj⁹ Societatis, cuj⁹ me Custodem esse Deus voluit, plurimis ac singularissimis Virtutib⁹ non labeculæ aliquæ, quib⁹ lutũ nostrũ nuptiali licet Perfectionis veste contectũ, rarò penitus caret, interdum misceantur. Querimur scilicet in maxima bonarũ frugũ copia, quarum plenos manipulos colligim⁹, haud exiguũ numerũ non Cicutarũ quidem, sed Loliorũ tamen succrevisse. Non omnes animũ à patria penit⁹ abstraxerunt: non omnes, utpote cognati sanguinis visco impliciti, Evangelico Edicto parent, progenitoribus nostris justa persolvere, ac terræ mun⁹ largiri prohibenti. Est, in quo, licet non ardeat, scintillat tamen major, quàm Apostolicæ demissionis, juratæque Modestiæ professio ferat, sese extollendi ambitio. Munera & Domicilia non adeò nullo discrimine habent omnes, ut non aliquando hominum nostrorũ aliquis pluris, quàm par sit, faciat celebriũ Cathedrarũ sublimes posit⁹; magísq;, quàm sit

necessarium, optet nobiles Academias, quàm infrequẽtia Collegia incolere. Quę sanè labes Cœtûs huj⁹ tot ornamentis à Deo excuti, & ab Ecclesia tantis honorib⁹ dignati vultum decolorant. Et licet his maculis abstersi, quantumlibet pauci, huj⁹ integerrimi Cœtûs Nazaræis existimationem im̃inuant, si tamen in aulis nostris Christi nomen personare, & in colloquijs domesticis de Sanctorum Virorum dictis factísq; disserentes audirẽ, ingentẽ animo lætitiã conciperẽ, neq; admodum ijs, quas modò recensui, maculis, offenderer, cert⁹ videlicet divino illo sacratissimarum vocum sono nebulas illas omnes, quæ vitæ nostræ lucẽ tum famâ tum Instituto nostro indignâ Eclipsi intercipiunt, quantocyùs dissipandas esse. *Commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & Domus repleta est fumo.* Par nimirum Ædium nostrarum erit fortuna, si sermonibus nostris Virt⁹ vigorẽ, & SS. Litteræ argumenta ministraverint.

132. Et ne quis abrogare Divinationi meæ fidẽ possit, jactaréq;, plurimùm inter

ea

ea, quæ Cælo, ac quæ Terris eveniunt, intereſſe; nec ſatis aptè ſacra Prophetarum Symbola cum actionib⁹ hominum cõponi; En vobis Domum non in Cælo, ſed in Judææ Montib⁹ collocatã! Hiſtoriã accipite, non objectã tantùm animo rei, quam perſvadendã ſuſcepi, ſpeciẽ. Jacebat in utero Matris Anima Joannis avitæ obnoxia culpæ, & Adami vitio contacta mortiferis vinculis irretita tenebatur, cùm repentè cæleſtib⁹ gratijs exornata, & vivido robore confirmata Catenas in Torques commutavit, puriſſimáq; Juſtitiæ ſyndone circumamicta geminos, tum ob receptã libertatẽ, tum ob agnitum Mundi Servatorem, triumphos feſtis gaudijs egit. *Ioannes Baptiſta* (verba ſunt Hieronymi) AD INTROITUM MARIÆ EXULTAVIT, *& luſit.* Quî verò factum putas, ut Jnfans tam præclara facinora ediderit, & è ſemeſtri ſervitute liberat⁹ tam illuſtria Victoriæ monumenta erexerit? Audijt videlicet feliciſſim⁹ Præcurſor ardẽtes puriſſimæ Virginis voces, cuj⁹ nimirum ore Verbum Æternum in totã eam familiã, quæ

Epiſt. 7. ad Latam. To. 17. 31.

peregrinæ ſuæ Parenti hoſpitium parabat, irrefragabilis Veritatis Oracula diffundebat. *Ioannes exultavit, & luſit.* AUDIEBAT ENIM VERBA DOMINI PER OS VIRGINIS *pertonantis, & de utero Matris in occurſum ejus geſtiebat erumpere.* O quàm aptè noſtrum hoc Lycæum cum Zachariæ Domo congrueret, ſi Juvenes noſtri Viros dignitate atq; ætate præſtantes audirēt in pietatis, caritatis, & ſacrę lętitiæ ſvaviſſimas voces prorumpere. Hîc quoq; viderem⁹ eos, quos ætas in privatis etiamnum Litterarum exercitationib⁹ detinet, deſiderijs exardeſcere; magnanimis ſtimulis excitari; comoveri, exilire, Apoſtolica munia, Miſſiones laborioſas votis, precibúſq; occupare: atq; adeò Joannis exemplo Religionis Chriſtianæ capita Barbaris per Indiam exponere, de ſuperiore loco Romanæ cōcioni ſecures in ictum pendentes, fornaces flam̄is ſuccenſas, palearum triticíq; ſeverā diſcretionem jam tum minari velle. Fieri prorſus nequiret, ut Juniores divini verbi vim, quam in privatis colloquijs Patres exererent, ferrent, quin

iſ-

ijſdem flam̃is, quib⁹ ardere Veteranos viderent, non ipſi quoq; corriperentur, & omnia perpetuis ignibus, quibus olim ſub Pentecoſten Apoſtolorũ arſerunt capita, conflagrarent. EXULTAVIT, *& luſit.* AUDIEBAT ENIM VERBA DOMINI *per os Virginis pertonantis.* Nempe veluti Sol ubiq; arbores fovet, & aërem illuſtrat; ſic Axiomata Divina quocunq; loco audiuntur, Pueros in Gigantes transformant, &, ingenitæ imbecillitatis diſruptis cõpedibus, acerbæ ætati virile robur impertiunt.

133. Infirmabit fortè hanc meã confidentiã aliquis, cauſabitúrq;, hanc Baptiſtæ mutationem non tam Divinis vocibus promiſcuè à quolibet prolatis, quàm illi potiſſimùm ſermoni, quem Magnæ ſuæ Matri latens in utero Dei Filius ſuggeſſerat, adſcribendã eſſe: id nempe Hieronymum teſtari: *Audiebat Verba Domini per os Virginis pertonantis.* Ego verò ut huic argumento faciam ſatis, licet incõparabile Virginis Canticum adorem, & omnibus alijs, quæ in ſacris Paginis extant, longiſſimè

præponendum exiſtimem; ajo nihilominus, tum quoq;, cùm Spiritûs Sancti præſens inſtinctus, & Vaticiniorum indubitata virtus abſuerit, vocéſq; nec auctore Numine, nec à Numinis Matre pronunciatæ fuerint, non deſiderari tamen vel eam felicitatem, vel fecunditatem Virtutis, quam in Eliſabethæ Domo Hieronymus obſtupuit. Cænobium Baſilij oculis ſubjicite, in quo admirabilis ille Cænobiarcha ſermonum ſuorum ardore vilem Tironum ſuorum glebam vel in ſolidum æs, vel pretioſiſſimum aurum durabat, & in ſingulorum animis vivum Tabernaculum ſtruebat, in quo præſens Deus reſideret, ac nobiliora cremarentur aromata, quàm Salomon ex Arabia petijſſet, & Sacerdotibus in Templi ac Sacrorum Adytorum uſum conſignâſſet. Igitur Antiſtes ſanctiſſimus, ut Monaſterij ſui teneram ætatem ad ſanctitatem fingeret, non minarum tonitrua, nec fulmina ſuppliciorum adhibebat, ſed familiariter cum ijs de Deo colloquens, animadvertebat, Clericorum ſuorum teporem ſenſim accendi, & dignos Veteranis

nis Anachoretis ſpiritus ſumere: ſicut, qui nuper vix rudia vitæ melioris lineamenta, & ſemina potiùs naſcentis emendationis, quàm maturæ ſanctitatis fructus præferebant, inter ejus manus, orationémq; flexanimam Religioſæ Diſciplinæ abſolutiſſimam formam induerent. TABERNACULUM AUTEM *verum, in quo Deus inhabitaret*, UNIUSCUJUSQUE ANIMAM SERMONE EFFICIEBAT. *Orat. de Laud. Baſil. To. 13. 32.* Atq; in hanc ſententiam de Baſilio Cæſareæ Archiepiſcopo ſcripſit Gregorius Nyſſenus. Secundùm quas laudes addit, illum veluti redivivum Moyſen innumerabilibus Monachis in caligine moleſtiſſimarum Tentationum Columnam igneam accendiſſe; cujus luce colluſtrati Cacodæmonis inſidias vitarent, qui ad ſanctitatis promiſſam regionem tendentibus jam Aſpidis ſurdæ, aliàs rabidi Leonis, atq; iterum Baſiliſci mortem oculis ferentis ſpecie ſeſe objicere conſvevit. Eundem ſermonibus ſuis afflictorum Alumnorum capita roſcidâ nube conſolationum cæleſtium protexiſſe, ut grave jugum Vitæ Monaſti-

cæ plumâ levius, & flore blandius ducerent. *Quàm multis* PER SERMONEM *Columnam ignis prætulit! Quàm multos* NUBE SPIRITUS *consecravit! Uniuscujusque* COR ARCAM *efficiebat*. Neq; audiam, qui dicat, reperiri nonnunquam animos adversus Religiosam Perfectionem adeò contumaces, vigilandi, & ad sublimes Virtutis gradus enitendi tam pertæsos, ut quantumlibet ijs tum Apostolicæ Vitę dignitatem, tum amplissima Religiosi laboris præmia, seu adductis in medium Sacrarum Paginarum testimonijs, seu demonstratis Sanctorum Virorum exemplis, ob oculos ponas, oleum atq; operam perdas necesse sit. Hoc enim effugium præclusit Gregorius, cùm dixit, non eos modò, qui docilem, cereámq;, & ad solitudinem propensam indolem nacti essent, sed ad unum omnes, tum sedulos, tum ignavos fratris sui industrijs ac laboribus cessisse, atq; universos ejus sermonibus ad propositæ Virtutis metam perductos fuisse. *Uniuscujusq; Cor Arcam efficiebat. Tabernaculum verum, in quo Deus inhabitaret*, UNIUSCUJUS-

QUE

QUE ANIMAM SERMONE EFFICIEBAT. Non est profectò, non est Lutum ullum, quod pijs collocutionibus non in Adamantem fingatur: nulla glacies est, quæ non in flam̃am exardescat: non est specus ulla tam oppleta cœno, tot sentibus impedita, tot serpentibus insessa atq; infecta, quæ in Christi Templum Sabæis odoribus inhalandum, victimis consecrandum, & cælestibus visis recreandum non se attollat, ampliétq;. UNIUSCUJUSQUE COR ARCAM EFFICIEBAT. Eatenus verò in Religiosis Domicilijs Metamorphoses ejusmodi videre nõ est, quatenus non omnes in ijs, quemadmodum faciebat Basilius, ardentes de Deo, diviníſque rebus sermones serunt. Enimverò non pauciores Apostolos, Angelósq;, quàm inquilinos numerarent, si omnes illarum Alumni Evangelicis sententijs sua ora consecrarent. Licuit id certè hos ipsos intra parietes aureo illo B. Aloysij seculo videre: cùm cælestis ille Juvenis, ac terrestris Angelus piorum colloquiorum salutari consvetudine confirmatâ, miríſq; modis au-

ctâ,

ctâ, Collegium Romanũ in Sionis quoddã Cœnaculũ convertit, in quod Divin⁹ Spiritus sæpissimè se demisit, & è quo tot Viri Apostolici ad collustrandũ luce Veritatis Orientẽ, Occidentémq; ab erroribus vitiísq; perpurgandũ profecti sunt. Atq; hęc sunt divinorum sermonum eximia decora.

134. At enim contrà eveniret, si quando illorum inopiâ Christi Famuli laborarent. Quàm primùm enim aliquem illorũ laudatissimæ hujus consvetudinis tædium subiret, continuò in animo infelicis illius spiritualis ædificij moles fatisceret, & in horribiles ruinas laxaretur: atq; obdurat⁹ in malum animus, non modò nullis divini Timoris stimulis excitaretur, verùm mortifero lethargo, ac supinâ sacrorum Rituum negligentiâ consopit⁹ altiùs etiam obdormisceret: quo fit ut omni teneræ pietatis sensu destituta callum sibi obducat, & in otiosa vita, ac tam vacua virtutibus, quàm comodis redundãte acquiescat. Avertat id à nobis D.O.M. ut vel un⁹ sit inter nos, qui dicat, eos, qui diei põd⁹, ęstúm-
que

quę in operosa Litterarũ exercitatione sustinẽt, manúmq; ab aratro, austeræq; vitæ cultura nõ removẽt, cantu interdũ curiosarum narratiuncularũ, festivísq; argutijs sublevãdos esse: nempe ut Anim⁹ gemino tum Religiosæ tum scholasticæ Disciplinę onere oppressus seu rerum novarũ narrationibus exhilaretur, seu argutis salibus recreetur. Fieríne autẽ potest, Patres Fratrésq; mei, ut vota tam misera, tam indigna eo, qui Aloysij sodalis esse gloriatur, non ingenti nos horrore cõcutiant? Quòd si tamen est aliquis, quẽ tanta indignitas, absurditásq; à confabulationũ ejusmodi vanitate non abducat, abstrahat saltẽ horrendũ illud Joannis Chrysostomi augurium Nugatorib⁹, ac Blateronib⁹ istis extremum Virtutis excidium ominantis. MAGNA MALA, inquit, MENTEM ILLAM, *quæ facetijs dedita est, magna dissolutio & vastitas* INHABITANT. *Harmonia illius hiulca est, cariosum ac marcidum ædificium, timor exterminatus, & fugata pietas.* Quẽ tantæ ruinæ ac præsentis exitij denunciatio non exanimat, is scopulo surdior,

Hom. 17. in Ep ad Ephes. To. 4. 7. 1 31.

or, truncísq; ſtupidior ſit oportet. Ego certè, cùm tam atroces minas legerē, adeò exhorrui, ut gelido ſudore perfuſus pugno pectus tunderē, verit⁹ ne tam fœdi criminis, & à vitæ, quam profitemur, perfectione tam alieni, aut re⁹ eſſem, aut olim fuiſſem. MAGNA DISSOLUTIO, ET VASTITAS INHABITANT? TIMOR EXTERMINATUS, ET FUGATA PIETAS? Erítne autem reperire aliquem, quem hæc Chryſoſtomi oratio non moveat? aut fingere omninò poſſumus, eſſe, qui Religioſos intra parietes joca leporéſq; requirat? Patíne autem poſſum⁹, ut Aræ Numini conſecratæ in otij ſpeluncas dehiſcant, & Religioſi Vocatûs ardores ſeculi curioſitas, & Babylonis frigus reſtinguant, nec aliam ob cauſam, quàm ob ſpiritualium ſermonum tædium, & peregrini, nec apud veros Iſraëlitas nati Idiomatis cupiditatem? Carò nimiùm nobis plauſus illi, risúſq; ſtarent, ſi jacturâ ſanctitatis auditores nobis emendi forent, qui Genealogijs, ut loquitur Apoſtolus, fabulíſq; aurem comodarent. Equidem neque

que tam dur⁹, neq; tam inhumanus ſum, ut Evangelicarum Recreationum ſacris fructibus inſeri vetem frondem aut folium aliquod, ſeu Hiſtoriæ cujuſpiã, aut eventûs, ſeu acuminis breviter, modeſtéq; expoſiti. Illud verò pati me poſſe nego, ut privatorum colloquiorum tota, ut ità dicam, ſubſtantia vel in pampinos luxuriet, vel in corticem vaneſcat, ſine omni tum Virtutis, tum utilium argumentorum fructu. Exponantur ſanè Aſſveri Viridaria, ſed ſtrictim, & monogramâ figurâ, non ex optica ratione totis lineis reddantur. Narretur Holophernis luxus ac Cœna, ſed obiter narretur. Hierichuntinæ Roſæ non explicatâ manu colligantur, ſed duobus duntaxat digitis carpantur. Sinam, Pompejum nominari ac Cæſarem, ſed illi⁹ ſimul calamitatem memorari, ac huj⁹ miſerrimã cędem referri volo, ut ne quis blandienti fortunæ fidat; moneantúrq; mortales, nunquam impunè Cives opprimi, ac Reſpublicas everti, quin ultor à tergo Deus ſequatur. Ne multis: libentur Euphratis undæ, ſed à ſtantib⁹, ſed quantum volã con-

contineri poſſunt, nequaquã verò corpore animóq; pronis hauriantur profani fluminis latices: iſtíq; in Jordanem, hoc eſt in ſalutis pręcepta deriventur, & ex humanæ ſuperbiæ fumo Lucem flam̃áſq; Virtutis ſuſcitem[9]. Sic deniq; in res humanas oculos conjiciamus, ut minimùm hæreant, & nuſquam niſi Cælo defigantur: ut adeò, quæ à foro ad Nos deferuntur, narrationes fulguris inſtar ſimul micent, ſimul evaneſcant, & rerum æternarum præſtantia utramq; paginã apud nos faciat, omniúmq; noſtrorum ſermonum baſis ac fundamentum eſſe appareat.

135. Hanc tamen moderatiſſimã indulgentiã palàm oppugnat Petrus Damiani omnis temperamenti impatiens, & colloquiorum non omni ex parte ſacrorum implacabilis hoſtis. Infelices, inquit eruditus Anachoreta, planéq; miſeras ſylvas illas, in quibus vox ulla, quæ ad pietatem non extimulet, audietur. Ego certè, quidquid fortè ſentiant aliqui, nunquã vereri deſinam, fore, ut tum vel maximè in ſolitudines noſtras Cæli furor deſæviat, noſtrá-

ſtráq; Tuguria fulminibus disjiciat, cùm in Cellis noſtris de alio argumento, quàm de Geſtis Sanctorum verba fecerimus, neq; nos Evangelicis monitis ad virtutẽ exhortati mutuò fuerimus. Quare ſententiam illam Iſaiæ explicans: *Et omnem linguam reſiſtentem tibi, in judicio judicabis*: gemens, ejulans, ac pavore attonitus Senex optimus, *Quid eſt hoc?* exclamat, *De omni verbo otioſo reddent rationem in die Iudicij. Fateor, Fratres mei, nil ferè in Monaſterijs agitur,* UNDE MENS MEA TERRIBILIUS SUPER MONACHOS IMMINERE DEI JUDICIUM SUSPICETUR. Atq; hos metus ſuos ad Deſideriũ Cardinalem S. Cæciliæ & Abbatem Caſſinenſem datis Litteris tranſmiſit. Cauſam verò cur inutilibus ejuſmodi confabulationibus tantopere Deus offendatur, eã eſſe arbitror, quòd ingens ex illis in teneras mẽtes pernicies derivetur, quæ ſcilicet ſe vel ætatis progreſſu, vel contemplandi aſſiduitate nondũ in Religioſę Diſciplinæ obſervatione confirmârunt. Nam ſi vacuæ pietate narrationes ſoli loquentis virtuti da-

Iſaia 54. 17.
Lib. 2. *Ep.* 18. *ad Deſid. Abb. Caſſ.*
To. 14. 34.

mnoſæ forent, auſim dicere, Divinam Irã vel mitiora ſupplicia, vel lentiora fulmina nocentibus decreturã eſſe, ſolita videlicet feſtinari ab ea ſtrage, quam nonnunquam una unica profana ſententia inferre cõſvevit, ijs utiq; Sacrorũ Ordinum filijs, qui nuper admodum à primarũ exercitationũ, quibus eos experimur, uberibus ſubmoti, neq; dum Ægyptiarum Chorearum, atq; Cucumerũ penitus obliti fuêre. Mirum alicui, figmentóq; ſimile videri poteſt, ingẽtem flam̃am uno ſpiritu difflari, atq; extingui. Verùm Dorothei querelæ timori meo fidẽ adſtruunt; confirmántque à primo quoq; algore Borealium ejuſmodi ſermonũ inevitabilem ruinam Ardori, ſtudiíſq; Monaſticis im̃inere.

136. Refert is, haud ſine lachrimis, quid in Monaſterio, in quo degebat ipſe, contigerit. Numerabat illud Monachos haud paucos, qui ut ætate parũ, ità virtute plurimùm proceſſerant, adeò ut ejus loci Seniores haud dubiã ſpem conciperent, fore, ut incõparabilem primorum Aſcetarum Sãctitatem Recentes hi Aſcetę Poſteris o-

lim

lim repræſentarent. Accidit interim, ut Monachorum aliqui ad proximã Civitatem, quo Cænobij ſui negotia eos vocabant, ſe conferrent: qui eò ſubinde, unde digreſſi fuerãt, reverſi Alumnis ſuis omnia, quæ vel in foro, vel in diverſorijs inaudierant, vulgare cœperunt. Dici haud poteſt, quantopere profanarum illarum imaginum nova ſpecies multos è Cænobitis illis perturbaverit: Alius Senatorum Purpurã, Magiſtratuúmq; Faſces animo volvens, ad primas Ordinis ſui Dignitates aſpirare occeperat. Alius ſpectaculorum deſcriptorum magnificos apparatus ſecum retractans, ſolitudinem faſtidire, frequentiam & Theatra concupiſcere: fuit, qui Principum Virorum delicias opéſq; recenſitas altiùs ſecum repeteret, & quemadmodum felices illos ac beatos, qui palatia habitarent, reputabat, ità nuditatem atq; anguſtias Cellæ, veluti proprium damnato carcerem, & mortuo tumulum averſabatur. Quid multa? Profanarum narrationum Vanitas ſanctè feliciterq; ardentium Monachorum flamas extinxit, & quælibet

malè consultorum Nunciorum periodus mortiferæ cicutæ instar habere, & pestem animis, plus quàm par erat, in profanos illos sermones intentis visa est attulisse. *Immerso* LETHALI QUODAM VENENO *in cor illius.* QUO QUIDEM VITIO NIL GRAVIUS. His nempe verbis solitudinis suæ calamitatẽ deplorat afflictissimus, sanctissimúsq; Abbas Dorotheus. Faxit Deus, ne idem Toxicum in animis multorũ Religiosorum, & Virtutis, quam adepti sunt, & veterem Solitudinis amorem extinguat; oppidò enim pronum est, profanarum narrationum veneno humanæ gloriæ odium & austeritatis studium succumbere. Nos certè neq; potentioribus alexipharmacis, neq; majoribus instructi viribus sumus, quàm celebratissimi Antistitis illius Discipuli exstiterint. Quã ob rem si rerum earum, quæ in provincia illa gerebantur, cognitio Religiosissimi Montis Disciplinæ tantopere incomodârunt, persvasum & ipsi habeamus oportet, calamitates à studiosissimo Divini Cultûs Antistite defletas in Nobis quoq; renovari pos-

Serm. 4. de Div. Tim. To. 75. 77.

posse. Atq; ego quidē minore metu percellor, quàm Dorotheus; cùm persvadere mihi nequeā, ullum eorum, qui otiosis sermonibus vacant, eò, quò duorum illorum, qui de Monachis in rerum novarū Nuncios se cōmutârant, & sermonib⁹ suis Sodales proximè ad metam stantes, velut injectâ manu, maxima cum utrorumq; pernicie retraxerant, imprudentia provecta est, evasurum unquam esse. Novi de nulla illorum, qui Aloysij Fratres, & Ignatij Filij appellantur, linguâ dici posse, quod de suorum aliqua Dorotheus pronunciavit. IMMERSO LETHALI QUODAM VENENO, *in cor illius*. At quamvis ista sic se habeant, cogor tamen nimiæ levitati frenum injicere, quæ, nisi caveatur, seu per consilij, seu per intempestivæ narrationis imprudentiā, multorum ardorem vel imminuere, vel extinguere penitus posset. Eam ob rem haud sine gemitu, lachrimísq; cum Apostolo exclamo: SPIRITUM NOLITE EXTINGUERE. At verò longè vehementiùs cum Divino Sponso vociferor, inculcóq; illud è Canticis. *Adjuro vos* *1. Thess. 5. 19.* *Cant. 8. 4.*

filiæ Ierusalem, NE SUSCITETIS, NEQ; EVIGILARE *faciatis* DILECTAM. Solet enim Deus eorum animos, qui Militiæ nostræ nomen dederunt, cælesti quodam papavere conspergere, altissimóq; ac felicissimo somno consopire: quo fit, ut ij deinceps in ædibus nostris clausis oculis degant, nec, an munera, quæ obeunt, noceant, aut prosint; & quid inter obscura quæq; humillimáq; ministeria, & splēdida amplissimáq; intersit, videant. Sanè quemadmodum qui dormit, Vitrum ab Amethysto, Bardocucullum à Purpureo Sagulo non discernit; sic qui à Deo soporiferum illud poculum acceperunt, nullum inter vestes recèns confectas, & assutis centonibus refectas, celebrium Collegiorum amplitudinem, & angustias obscurorum, Magnarum Urbium, & tenuium Oppidorum Exedras discrimen noverunt. Eâdem ratione oculorum imitatrix Anima, somno conciliante, Regum Thronos Crucibus æquat, neq; vulgi cachinnos à Magnatum plausu distare quidquam existimat. Consecratæ Christo Domus sic ha-

habitantur, ut quondam ab Adamo nondum Reo Paradiſus: in cujus meditullio ex Arbore Vitæ glorioſus ille Titulus pendebat, quo univerſa comendabantur, quęcunq; locus ille protulerat. Reſonabat etiamnum inter imenſi Horti ſtirpes divinarum vocum Echo, atq; omni ex parte audiebatur: *Vidit Deus, cuncta, quæ fecerat,* ET ERANT VALDE BONA. Id nempe in Cænobio quolibet primævæ Diſciplinæ decus retinente, fieri conſvevit, ut quidquid in ijs Incolę Religioſi repererint, adorent; & quæcunq; Conſtitutionibus ſanciuntur, Legis inſtar Cælo demiſſæ ſuſpiciant. CUNCTA, *quæ fecerat*, ERANT VALDE BONA. Ex hac opinione animo in Dei famulatu placidè ſumóque cum gaudio acquieſcenti penitus inſita, ſuma illa veneratio naſcitur, quâ quondam, hodiéq; erga ſacros Ritus feruntur, qui recepto ſemel oculis ſomno feliciter indulgere pergunt. Anniverſarium illum diem, quo relictis Ægypti paludibus ad Apoſtolicæ Vitæ Oliveta nos proripuimus, voluntarijs pœnis, & ſvaviſſimis pre- *Geneſ. 1. 31.*

cibus festum agere solemne nobis fuerat: sic Aloysius quoq; Divæ Catharinæ sacrā lucem sum̄â, quâ poterat, celebritate recolere consvevit, quòd eo die Societati se Christíq; Cruci tribus editis Votis, veluti totidem Clavis confixisset. Insigni prorsus veneratione cultúq; Primi Patres nostri beatam illam sortem, quæ in Crucis eos militiam transcripserat, deveneraban-tur, ut eorum nemo posset felicitatem suā sine jucundissimis lachrimis exponere, quę ipsis tantū æternę beatitatis pignus exhibebat, præmiáq; post exactam in laboriosæ ærumnosæq; vitæ mercimonijs ætatem amplissima reservabat. At enim hæ laudes, quibus Religiosum vitæ genus prosequimur, penitus obsolescerent, si quis improvido hominis illius sermone, qui Evæ solicitationem, & Serpentis fallaciam renovare non veretur, provocatus, aperiret oculos, & vetiti pomi gustu repente mutatus in horto Religionis usquequaque fecundissimo spinas à floribus, à medulla corticem, agros frugibus consitos à sterilibus arenis, areolas aromatum copiâ insi-

gnes

gnes à fossis carduo ac filice horrentibus internosceret atq; secerneret. Nã qui cum Adamo peccante in Religiosis Viridarijs alia bona, mala alia recognoscit, is cum eodem nuditatẽ suam erubescet, & à Dei conspectu se subducere laborabit. Atque hæc, teste Lactantio, sum̃a calamitas, novissimáq; miseria fuit, quæ Protoplastum post Legem violatam oppresserit. PERCEPTA *igitur* SCIENTIA BONI ET MALI, PUDERE EUM NUDITATIS SUÆ COEPIT, *absconditque se à facie Dei*, QUOD ANTEA NON SOLEBAT. Idem prorsus Religiosis omnib⁹ Cœtib⁹ usuveniret, si quando, qui vetitũ fructũ offert, exclamaret: *Eritis sicut Dij*. Continuò enim infelices illos pudor incesseret, cùm se viderent nec amplissimis muneribus admotos, nec magnâ in vulg⁹ existimatione florere. Et quemadmodũ, cùm feliciter cæcutirent, auro ac purpurâ exornati sibi videbantur, licet laceris centonibus, Christi nimirum vestiariâ Tesserâ, tegerentur, ità subinde receptâ per Cacodæmonis astũ facultate videndi, pudore do-

Lib. de Orig. Err. c. 13. To. 55. 70.

loréq; conficerentur, nisi Christianæ Modestiæ Palęstrã in Glorię Theatrũ sibi verterint, & delicias in Cilicio se reperturos sperârint. *Perceptâ scientiâ boni & mali* PUDERE EUM NUDITATIS SUÆ COEPIT, *quod antea non solebat*. Quis rogo est, qui sub prima tempora, quib⁹ Religiosam vestẽ induit, non veluti professionis suę dehonestamentũ abominat⁹ sit filum quodlibet, quo tantopere dilecta Nuditatis Apostolicæ Toga minùs contẽptibilis appareret? Quis repudiatâ quâlibet non attritâ lacernâ, non palàm profitebatur, se à paternis ædib⁹ huc cõmigrâsse eo consilio, ut Heteromallũ in cannabẽ mutaret, & Crucis ignominiã Attalicarũ pictarúmq; vestiũ jacturâ sibi cõpararet? Accidit tamen subinde, ut, quod olim gaudiorũ nostrũ argumentũ fuerat, jã veluti pudoris ac dedecoris causâ vitetur. *Pudere eum cœpit nuditatis suæ*, QUOD ANTEA NON SOLEBAT. Ad eũdẽ modũ, qui, ut ardori suo frenos laxaret, & voluntarijs pœnis admissas noxas redimeret, solit⁹ erat ad Præsidũ pedes lachrimabundus acci-

cidere, efflictímq; ab ijs contendere, ut in se pœnis animadverterent, ut pudorẽ suum onerarent: quíq; omnẽ vel tenuissimæ labeculæ umbrã non secus exhorrescebat, quàm si virulentissimũ totâ Libyâ serpentẽ collo circumplexũ aspiceret; jam à se planè diversus, cùm eum manifestare Præposito suo, quẽ Dei loco habere solit⁹ erat, pectoris sui arcana Leges jubent, id ille quolibet jugo gravi⁹, & penit⁹ non ferendã ingenuis cervicib⁹ servitutẽ arbitratur. ABSCONDITQUE SE A FACIE DEI, *quod ante non solebat*. Quod gen⁹ calamitatũ, sicut in Paradisum ab alienis ab eo loco ac vita colloquijs promanavit, ità in Sacros Cœt⁹ à sermonib⁹ destinatę morum integritati Sanctitatíq; adversantibus inundant. Omnes olim magis contempti, magis neglecti, magísq; oppressi fuimus, quàm sim⁹ modò: nihilo tamen minus tantùm abfuit, ut ea honorum abdicatio gemitũ nobis expresserit, ut multò maximis gaudijs mentẽ impleverit. Cuj⁹ rei ea videlicet causa fuit, quòd velatis ab Innocentia oculis, quidquid intra Christi ædes

con-

contingeret, æquum ac laudabile; quidquid juberetur, triumphis ac Lauro dignum reputarem⁹. *Adam*, inquit Ambrosius, ANTE PECCATUM *nudus erat*, SED NUDUM SE NESCIEBAT, *quia erat indutus virtutibus*. ILLE ENIM CORPORALIBUS NON INTENDEBAT, *sed ſpiritualibus*. Quiſquis nimirum ignavis conſilijs aurẽ occludit, nuditate ſuâ dives eſt, & ſervitutis ſuæ Inſignib⁹ coronatur. At enim primi noſtri Parentes ambitionem novorum ornamentorum, latebráſq;, quib⁹ necquiquã occulere ſeſe tentaverant, proculdubio damnâſſent, ſi rure in illo jã tum Elias habitâſſet, eóſq; à fuga retractos Divino Numini obtuliſſet. Haud enim alia ratio extinctum ardorem denuò inflam̃andi, candorémq; priſtinum ab omni labe purum conſervandi, reliqua eſt, quàm ſi præſtò ſint, qui nos ſapientibus conſilijs, monitíſq; ad Legum reverentiã extimulent, & ab earum contẽptu deterreant. Ut enim Lilium in Sacris Canticis floruit; ità Dei famuli florent in Domo Dei. *Sicut* LILIUM INTER SPINAS.

Ep. 36. ad Sab. To. 40. 72.

Cant. 2. 2.

Quiſ-

Quiſquis igitur inter nos ſeu ætate, ſeu Dignitate conſpicu⁹ degit, quàm primùm viderit Lilia noſtra non rectum erga Deum verticem attollere, non Cælo totum laxare ſinum: ſed languido collo humum ſpectare, Solémq; excludere, continuò ijs Teporis ſui dedec⁹ objiciat, & Regno eos excidiſſe denunciet. *Sicut Lilium inter ſpinas*. Non ſit inter nos, qui Flori gratuletur, ſi quando, ut alienæ negligentiæ, ſupinæq; ignaviæ morē gerat, frondes ſuas pulvere ſordidari ſuſtinuerit. Tum gratulationes, tum plauſus audiantur, cùm, qui apud nos ſuccreſcit, Roſæ inſtar ſe ſpinis obvallat, & à terra veluti Lilium ſe altiſſimè ſubrigit. Atq; hæc forma & ratio eſt, non ſolùm illæſos in Chriſti Viridarijs Narciſſos Violáſq; conſervandi, verùm & in ipſis Pharaonis Lucis filices in Pæonias, Cicutā in Balſamum transformandi. Tanto nimirum de Deo colloquia robore pollent, ut & ſuos Deo Alumnos conſervent, & Hoſtes in Commilitones convertant.

137. Verùm enimverò quemadmodum eorum, qui ſic diſſerunt, magn⁹ in familijs

ritè

ritè inſtitutis eſt numer⁹, ità fateri vel invitos oportet, non omnes iſtarũ Alũnos parẽ in loquendo cũ ijs modũ tenere. Suâ certè tempeſtate David repertos Hieroſolymis aliquos fuiſſe teſtatur, qui ſua ora in ſepulchra vermib⁹ ſcatentia & marcore
Pſal. 5. 11. fluentia cōmutarint. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Cuj⁹ lachrimas luctu pariter ejulatúq; comitat⁹ Chryſoſtomus, Quæ cauſa eſt, inquit, Chriſtiani, ut non potiùs Theſauri velitis eſſe, quàm ſepulchra? Quin igitur, cùm loquendum eſt, Topazios ac Pyropos, hoc eſt Evangelicas ſententias potiùs, quàm terrenorum ſenſuum, & Politicorum Axiomatum putria oſſa, verminantéſq; carnes depromitis? *Non ſit ergo*
In Pſal. 5. *Os tuum Sepulchrum*, SED THESAU-
To. 31. 16. RUS. Id verò mentẽ meam horrore cõplet, quod idẽ Auctor animadvertit, quorumdã imprudentiã eouſq; exerrare, ut optandum eſſet, eos Sepulchris per omnia reſpondere. At enim iſti, recepto cadavere, non modò non clauduntur, verùm adapertis ſemper forib⁹, quaſcunq; ineptias vel ipſi ſomniant, vel à ſomniantibus acce-
pe-

perunt, quovis loco ac tēpore premunt, atq; recēſent. Neq; hîc malum ſiſtit: quippe quæ Viris confirmatâ virtute maturóq; judicio fortè citra damnum ullum narrantur, ea illi corā ijs etiam, cum irreparabili quidem miſerorum pernicie, qui in vitæ melioris cunis quodam̄odo vagiunt, non verentur exponere. Quid? poſſent forſan ea, ſi domeſticos duntaxat intra parietes reſtagnarent, non prorſus intoleranda videri; at verò cùm ad Externorum aures tranſmittuntur, non poſſunt non maximā offenſionem parere, ac ſacrorum Cœtuum auctoritatē ultrà, quàm dici queat, elevare. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Non dixit ſimpliciter Sepulchrum,* SED PATENS. *Cùm enim oporteret eos hujuſmodi verba celare, illa etiam proferunt. Hujuſmodi* ORA *ſunt* COMMUNIS CIVITATIS PERNICIES. *Nolite* (monet, obteſtatúrque Spiritus Sanctus) *annunciare in Ghet.* Mich. 1. 10. Deniq; ſi fabulandi tanta impotentia eſt, ut grave ſit, auditas nugas in præcordijs recondere, ac cōputreſcere ſinere, caveatur ſaltem, ne ingeſta & indigeſta illu-

luvies in Seculi Menſas, & Regum Thronos evomatur.

138. Quàm exitialis porrò garrulitatis iſtius vis ſit, ex eo, quod narraturus ſum, facilè intelligetis. Mediolano fortè Patricius juvenis digreſſus erat, ut ad S. Crucis ſolitudinem in Umbriæ Montibus poſitã ſe reciperet, relictis rebus humanis, Deo deinceps vacaturus. Jã dimidium itineris exegerat, cùm in ſtabulo, ad quod corporis curandi causâ diverterat, Anachoretas duos ejus Jugi habitatores reperit. Hic enimverò exultare animo novus Solitudinis Candidatus, nec aſperæ illius vivendi conſvetudinis, quã in hoſpitum veſte videbat expreſſam, atq; ipſe votis omnibus expetebat, aſpectu mentem explere ſatis poterat. Diſſimulavit tamen, ſuúmq; conſilium tacitus preſſit. Imò ſomno ſe gravatum finxit, ut ex occulto ſacros eorum ſermones ob eam ipſam rem, ut putabat, liberiùs erupturos arbitraretur. Cùm ecce boni illi viri ſeu viæ incomodis feſſi, ſeu ob ipſam ſacri Nemoris longinquitatem plus juſto humaniores, dicta dicere, jocíſq; à

Gu-

Cuculli austeritate, sanctitatéq; Tonsuræ alienissimis oblectare sodales, & comuni mensâ in Scenā haud sanè optimi exempli conversâ, sermones, non impios quidē, aut prælicentes, sed Christianâ tamen gravitate Religiosísq; linguis indignissimos jacere occeperunt. Hîc Juvenis, ut qui stoliditatē istorum ferre ulteri⁹ non posset, fictos somnos removit, & in adjectū Diversorio pratū trangressus, ubi vacare arbitris locum vidit, oculis manibúsq; in Cælum sublatis Deo grates habuit, quòd se maturè ab eo consilio revocâsset, quo mentem desperationi, & corp⁹ inutili carnificinæ addicere meditat⁹ fuisset. Et, ô me infelicē, inquiebat, si ej⁹ loci, quo cursu festinabā, ineptiarū ignar⁹ hominib⁹ è facetijs ludísq; cōpactis me socium addidissem, illorúmq; me Cœtui consecrâssem, qui Vigilias, inediam, & horrorē solitudinis tā absurdis confabulationib⁹ dehonestant, atq; ora concinendis Psalmis à media nocte ad Solis usq; occasum occupata, tā indignis sermonib⁹ contaminant, atq; profanant. Nec ultra cunctat⁹ in equū insilijt, & viā

quâ venerat, patriámq;, quam reliquerat, effuso cursu repetijt, pessimâ, falsissimáq; de Solitaria Vita opinione imbut⁹: cui, immeritò quidẽ, sed omnẽ tamen splendorẽ auctoritatémq; imprudens illa garrulitas ademit, quâ nemo unquã è Filijs Romualdi intra cõsecrati Nemoris ambitũ us⁹ fuerat, & soli illi duo severissimi, sanctissimíq; Instituti degeneres Alumni, vel, ut meliùs dicã, Abort⁹, peregrè & in turba cõmeantium peccarânt. *Nescio, quis vestrûm,* ANILES NUGAS, *& cũ Laicis* SCURRILES JOCOS *parvi pendit profundere. Vnde factum est, ut non solùm Nos nostrúmque Contuberniũ contemneret,* SED ET CONVERSIONIS ANIMUM FUNDITUS AMITTERET. Totidẽ verbis ad Anachoretas suos Petrus Damianus cùm scripsisset, extortis è Salomonis atq; Isaiæ manibus Iræ Divinæ fulminibus, tum Sapientis, tũ Vatis diris ac devotionibus veluti gemino tonitru eos perculit. *Per vos nomen Dei blasphematur.* FILIUS STULTUS MOESTITIA EST MATRIS SUÆ. Neq; hâc horridissimâ licet oratio-

Lib. 6. Ep. 32. ad suos Erem. To. 14. 82.

Isai. 52. Prov. 10.

ne contentus, Ophni & Phinees crimen ijs ingerit, nec minùs infames illos Tabernaculi Miniſtros, & Sacrilegas Divinorũ Donariorũ Charybdes, & Altarium Depeculatores, quíq; flagitijs ſuis Silunthinos Cives à ſacrificijs avocabant, inceſſit, atq; perſequitur. *Erat peccatũ puerorũ* GRANDE NIMIS *coram Domino*, QUIA RETRAHEBANT HOMINES A SACRIFICIO DEI. Apprehenſam ſubinde MOLAM Evangelicã è ſum̃o mõtis vertice in fragiles attonitorum Anachoretarũ Caſas devolvens horribili vaticinio proſequitur. Sic eant paleis ramalibúſq; tecta eorum tuguria, qui puſillorum animos offendunt, & exemplo ſuo ab amore virtutis retrahunt. Oportebat enimverò vaſtiſſimum ſaxum collo noſtro illigari, & in profluentẽ demergi noſtrûm quemlibet, pœnáſq; dare, quòd in Cœtu noſtro ſuſtinuerimus procaces duos Eremicolas, quorum effreni in loquendo licentiâ factum eſt, ut, qui Solitudinis noſtræ Manna eſuriebat, majori deinde aviditate Cepas Ægyptias helluaretur. Quis verò veſtrûm ſperare

1. Reg. 2.

deinceps poterit, futurum, ut ſuper Abietes noſtras Seraphini à Dei Throno ſeſe dimittant, ardentibus noſtris ſermonibus ſeſe oblectaturi, dum profani Juvenes ætate feroces, & cupiditatibus agitati colloquiorum noſtrorum vanitatem atq; licentiam adeò execrantur, ut divinis vocibus obſurdeſcant, & in Deum, à quo ad Templa, Pſalmodiámq; noſtram vocabantur, perduelles malint eſſe, quàm propiùs ad Rupes noſtras accedere. *Si enim Vita noſtra tam prava videtur, & ſqualida,* UT ETIAM CARNE VESTITIS HOMINIBUS FOETEAT, QUALIS, PUTAS, EST ANGELIS? Equidem tam horrendæ, totiéſq; repetitæ Diræ, quibus error à ſolis duobus Camaldulenſium Monachorum Inſtitutum profeſſis, fortuitò temeréq; admiſſus vapulavit, attonitum me reddunt, nec video, cur non ego pariter ac vos animis concidamus, atque emori etiamnum dubitemus. Quòd ſi enim Damianus tantâ doctrinâ, & ſanctitate Vir neq; veritatis in Hiſtoria, neq; in reprehendendo modum exceſſit, quâ demùm


mùm confidentiâ non ijſdem Iræ Divinæ fulminibus obnoxios, & ſimilis in proximos injuriæ illatæq; ſtragis reos nos futuros arbitrabimur, ſi diffiteri non poſſum⁹, inter tot, qui frequentes de Deo ſermones ſerunt, eſſe interdũ aliquem, qui linguam è Cęlo in Cęnum, & à reb⁹ cęleſtib⁹ in argumenta profana traducat. Quàm vereor, ne in hoc ipſo celeberrimi huj⁹ Gymnaſij Atrio multos fortè ſit reperire, qui vitã, quam Crucis vexillo, Calvariíq; Montis carnificinæ devoverant, imprudenti eorũ liberioríq; ſermone, quibuſcum colloquebantur, repentè mutati, inter amœnia ſeculi Viridaria, & convivantium choreas deinceps tranſigere cònſtituerint. Age porrò, ſi tot, eáſq; graviſſimas minas in S. Crucis Eremum irat⁹ Cardinalis intonuit, ob offenſum illiberalib⁹ jocis Juvenem unũ, eúmq; in ſuſcepto vitæ ſeverioris, rebúſq; humanis ſe abdicandi conſilio parũ firmũ: ecquo demùm fragore concutienda, quãtíſq; Iræ Divinæ fulminibus ferienda hæc tecta putabim⁹; ſi quando non unus alterve, ſed plures ſodaliũ noſtrorũ cum Scho-

lasticis nostris parùm piè, ac religiosè disserentes eorum ardorem restinxerint, quo ad expeditiones Apostolicas, & Religiosæ austeritatis delicias, desertis vitiorum, vitæq; liberioris inquinamentis incendebantur? Enimverò non assequor, quâ ratione, qui sic disserunt, exporrigere frontem possint, & vivere, cùm sciant deferri nomina sua ad Divinæ Indignationis Tribunal, reósq; agi se omnium eorum, qui de salute periclitantur, quotquot scilicet frigidis eorum sententijs excantati, Deo ad Agni Nuptias invitanti obsurduerunt, & cælestem Gratiam conculcârunt. Et isti quidem eò majores pœnas dabunt, quò magis in errando singulares ac soli sunt, quantóq; major est in Societate nostra ferventium Operarum numerus, quarum sermo ignem illum Auditorum suorum pectorib⁹ infert, quem inextinctum
Luc.12.49. in Ecclesia sua Christus voluit. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Eo namq; modo, ut ille apud Evangelistam, qui Regali Convivio, intérque tot alios purâ chlamyde refulgentes

sor-

sordidatus assidere sustinuit, ob id ipsum gravius peccavit; ità longè turpissimum ejus vitium, acerbissimúmq; supplicium foret, qui inter Aloysij sodales unus de Deo taceret, & linguam suam vel profanis argutijs, vel inutilibus narratiunculis contaminaret. At enim quia infelices illi rarò cum Deo colloquuntur, hinc neque de Deo colloqui cum Sodalib⁹ possunt. Atq; hoc ipsum erat, quod demonstrandum in huj⁹ Allocutionis parte alterâ sumpseram. Sed enim cùm tempus haud patiatur, id planum facere, cogor abrumpere, & in aliud tempus adductæ principiò sententiæ plenam expositionem rejicere. Quod nunc licet, est solùm, ut cum Hieronymo exclamem: Fallitur, qui putat Torrentis inopiam alvei siccitati tribuendam esse, cùm omnis ea Fõtis culpa sit. Ideò scilicet Romam abluere Tybris nunquam cessat, quia perennẽ scaturiginẽ Ethruriæ illi stagna sufficiunt. *Si Rivus tenuiter fluit*, NON EST ALVEI CULPA SED FONTIS. *Epist. 77. To. 1 7. 299.* Ità scripsit Hieronymus; nec aliter se rem habere ipsâ experientiâ cõprobant omnes;

qui cum Deo rari, nec in Sacrarum Paginarum, Mortis, Judicij, Æternitatísque ſeu beatæ, ſeu miſeræ, meditatione frequentes ſunt. Certè ſi cum Deo, de Deo pariter ſermocinaremur. *Os Iuſti* MEDITABITUR *Sapientiam, & Lingua ejus* LOQUETUR *Iudicium.* Ad extremum Sacro-Sanctam Triadem ſupplex rogo, ut Aloyſij cæleſtis Eloquentiæ Juvenis annitentibus precibus Noſtrûm omnibus ora ſacris illis Iſaiæ carbonibus emundet, ut ſanctis ſermonibus tum noſtros, tum aliorum animos tam ardenti in Chriſtum amore inflamemus, ut nulla nobis præter illius honorem gloria, & unicus univerſæ noſtræ Vitæ ſcopus ſit, mortem illius causâ ſubire. Id quod mihi, vobis, omnibus, ut eveniat, opto.



EX-

EXHORTATIO XXXV.

In Pervigilio B. Aloysij.

Et folia ligni ad sanitatem Gentium. *Apoc. 22.*

S*Ensuum ac totius corporis compositio semper in Societate nostra floruit. Quam qui conservare studet, Provincias consecrat; qui verò impugnat, Collegia demolitur. Væ illis, qui tam necessariæ virtuti exiguum pretium ponentes, bene currentibus nervos succidunt. Illud verò pessimum est, quòd Modestia semel amissa, uti & Virginitas, nunquam recuperatur. Nihil illa Consvetudini nostræ cum Proximis officit, sed eam ex hu-*

mana Divinam facit. Quare quò quis impensiùs cupit alios ad pietatem promovere, eò diligentiùs ad eam se ipse componat: Errat proculdubio qui Silentij ac Verecundiæ limites egreditur, peccat verò longè graviùs, qui pro officio, quod gerit, immodestos, immoderatósque castigare negligit. Tam perniciosa Dissimulatio inde nascitur, quòd Præsides timeant, ne gratiâ excidant apud subditos. Quid quòd etiam, cùm puniunt, amabuntur, ut qui maximè: siquidem ità subditorum errores castigent, ut interim eorum necessitatibus provideant: & si beneficijs, præclarísque muneribus non nisi dignos ornabunt, ijs præteritis à quibus amantur.

139. Mi-

139. MInima hæc Arbuſcula, & penè noviſſima, quæ Paradiſo Apoſtolico inſerta ſit, Societas noſtra, tum Colonorum induſtriâ, tum Divinæ Clementiæ indulgentiâ, tam uberes fructus protulit, támque lætum frondium virorem primo ſtatim exortûs ſui tempore, & in primis ſuis ſurculis explicuit, ut Chriſtianam Religionem ingenti lætitiâ, mœrore Hæreſim deſperationéq; affecerit. Simul nata, ſimul Viros adeò doctrinâ virtutéq; præſtantes veteri juxta novóq; Mundo ſpectandos dedit, ut eos Chriſti Vicarij Nuncios ad Indos, & in Sacroſancta Tridentina Synodo Theologos ſuos eſſe voluerint. Huic ſtirpis feracitati, Ramorúmq; ubertati adeò per omnia Foliorum vigor reſpondit, ut Fratrum ac Patrum noſtrorum exterior compoſitio, gravitas atq; Modeſtia intuentes ad pietatem permoveret, eóſq;, quibuſcum verſabantur, ad inſignem vitæ ſanctitatem perduceret. Satis erat, noſtrorum hominum quempiam in Civitatem quantumcunq;

va-

vaſtam pervenire, ut continuò ad frugem converſa faciem planè diverſam indueret. Idem erat Theologorum noſtrorum aliquē privatorum, Magnatúmq; ędib⁹ pedē inferre, ac emendatos incolarum mores, inſtauratámq; pietatem intueri. Diſcipulos Scholarum noſtrarum, Familiares noſtros, eóſq; quorū animos in ſacro Pœnitentiæ Tribunali regebamus, è Sacramentorū frequentia, Temperantiæ Chriſtianæ, ac præclaræ pietatis ſingulari ſtudio Mundus internoſcebat. Jam verò quēadmodum hęc Arbor ob prodigioſorū Operariorū multitudinē, ob nobilium Scriptorum copiā, ob expeditiones difficillimas ſanctiſſimáſq;, quib⁹ revicti, profligatíq; Errores, Improbi ſua vitia dedocti, Provinciæ Religionem edoctæ fuêre, maximis ſemper incrementis aſſurrexit, & fruct⁹ ampliſſimos protulit: ità vereor, ut ne Folia noſtra virorem ſuum nonnihil decolorârint, & externa linguæ, oculorum, motuum, totiúſq; corporis Compoſitio eadem conſtanter à majori noſtrorum hominum parte retenta conſervatáq; ſit; ità

ut nec in pauculis, aut deformatam, aut ſaltem à priſtina illa Majorum noſtrorum ſpecie nonnihil diverſam im̃utatámq; lugere debeamus. Durant ſanè hodiéq; doctrinæ incorruptæ, ſingularis Virtutis, Religioſæ Diſciplinæ, uſitatæq; auſteritatis, & piæ in ſeipſum crudelitatis egregia ornamenta, & plùs quàm aurea poma. Ex omni Orbis parte ad nos perſcribuntur præclara geſta inſignium Miſſionariorum, Hominum incõparabilis Sapientiæ, prodigioſę Virtutis, & Evangelij causâ vel cõjectorum in Carceres, vel ſubjectorum ſecuribus. Illibatæ Vitæ integritas magis ac magis effloreſcit, excruciandi ſui, & animorum ſervandorum ſtudia nulla ex parte remittuntur, & novis ſemper incrementis augentur: Religioſæ auſteritatis exercitationes tum publicæ in Triclinio, tum privatæ in cubiculis tot ſunt ac tantæ, quot quantáſque partim omnes vident, partim Præſides noverunt, qui earum copiam petentibus faciunt. Cùm hæc omnia ſibi cõſtent, unã duntaxat rem, majorem ſcilicet in exteriori ſpecie Cõpoſitionẽ, in aliquibus

bus tum ego, tum vos, tum ſeculares homines deſiderare poſſe videntur. Non in omnes ſcilicet cadit, quod de Arbore illa
Apoc. 22. 2. Myſtica Encomium Joannes protulit. *Et folia Ligni ad ſanitatem Gentium.* Atqui ad Aloyſij uſq; tempora venerabilis illa hominum noſtrorum Modeſtia tenuerat, cùm Princeps optimus non ob aliã cauſam Mediolano prodiret, quàm ut Juvenibus noſtris occurreret, cùm fortè è Braidenſi Collegio ijs diebus, quibus à Schola vacabant, in Villã afflictas ſtudiorum contentione vires reparaturi ſecederẽt. Eos igitur cùm paupertinâ veſte contectos, pudorem genis, vultu tranquillitatem, oculis, ſermone, motibus omnibus ſingularem moderationem præferentes intueretur, adeò in Deum ſe abripi, & rebus humanis eripi ſeſe Sanctiſſimus Adoleſcens ſentiebat, ut abdicatâ Natalium prærogativâ, quæ illuſtrem illi liberámq; ditionem hæreditariã fecerat, in eum Ordinem, in quo tam inſignem virtutis imaginem expreſsã videbat, adſcribi optârit. Ut adeò Aloyſius Angelicæ verecundiæ Juvenis Modeſtiâ

ſtiâ noſtrâ captus fuerit, & ſanctiſſimus Princeps in Scholaſticis noſtris admirationis, & invidiæ argumentum repererit, dignámque putârit exterioris Cōpoſitionis noſtræ Margaritã, quam cum nobiliſſimo Principatu cōmutaret. *Et folia Ligni ad ſanitatem Gentium.* Quam ob rem ego tum meipſum, tum vos ad æſtimationem ſpectabilis hujus Virtutis, exterioris ſcilicet Cōmpoſitionis, quæ primis Societatis noſtræ temporibus tam ſingularis extitit, & hac etiã tempeſtate in pleraq; ejus parte prorſus eximia eſt, provocare conſtitui, eo conſilio, ut, qui eam fortè in ſe nonnullum ſitum contraxiſſe animadverterit, priſtinum illi colorem gnaviter inducat; &, qui ejus Decus hactenus illibatum conſervavit, deinceps quoque tueatur, Vitam priùs, quàm Modeſtiam paratus amittere.

140. *Et folia Ligni ad ſanitatem Gentium.* Hanc adeò neceſſariam, longéq; ſaluberrimam externæ ſpeciei conformationem ſum̄is votis expetijt S. Leo Pontifex, & ſum̄â Curâ in Cleri ſui tum vultu tum corporis habitu excolendam ſuſcepit. Quoniam

am vos, inquiebat, ad Aras ſuas Chriſtus admovit; in Victimarum ſuarum partem venire permiſit; ſapientiæ ſuæ arcanis imbuit, & Mercaturæ, Militiæ, Ambitionis putribus ſtagnis extraxit: reliquum eſt, ut linguam, oculos, motúſque omnes ſic concinnetis, ut nemo vos intueri poſſit, quin fateri debeat, Spiritum Sanctum in animis veſtris habitare, Chriſtúmque in ijs veluti animatis Tabernaculis reſidentem mentem veſtram ac linguam gubernare. *Ad altitudinem ſpei noſtræ nō ſegniter, neque cum tepore curramus, ſed prudenter ac fideliter cogitantes, de quali captivitate, & quàm miſerâ ſervitute, quo pretio redempti, & quo brachio ſumus educti.* GLORIFICEMUS DEUM IN CORPORE NOSTRO, UT HABITARE EUM IN NOBIS, EX IPSA CONVERSATIONIS NOSTRÆ PROBITATE MONSTREMUS. Non illum Pontifex Maximus ſeu pro Levita, ſeu pro Sacerdote Romano agnoſcebat, qui non omnibus venerationi eſſet, & veluti viva Servatoris Imago, in omnium corda radios integritatis, & Divini

Serm. 4. de Paſſ. To. 43. 115

vini Timoris Fulgura jaceret. Quòd si vox prolata licentior, aut quid minùs decens corã aliquo è Clericis suis actum fuisset, eum ille velut Ordinis Ecclesiastici dehonestamentum exauctorabat, eò quòd ej' præsentia nec vitia repressisset, nec Virtutis excitâsset amorem. *Glorificemus Deum in corpore nostro, ut habitare eum in nobis ex ipsa conversationis nostræ probitate monstremus.* Equidem nullus dubito, quin Leo, si ad primum Societatis nostræ seculum supervixisset, S. Patris Ignatij Alumnos in suorum Clericorum Syllabo ad unum omnes fuisset descripturus.

141. In illorum mores aptissimè conveniebat celeberrimũ illud Ennodij dictum, nobilissimúmq; Encomium. *Familia est*, inquiëbat, QUAM CUM VIDERITIS NON POSSITIS AMBIGERE AB ECCLESIA DESTINATAM, *& de ejus thesauris & gremio processisse.* Non annis, aut mensib', sed neq; diei unius spatio erat opus, ut homines Laici cognoscerent, quib' ardoribus Patrum nostrorũ animi æstuarent. Cùm eos audirent; quid di-

Lib. 8. Ep. 8. To. 27. 195.

dico? cùm eos duntaxat aſpicerent, tantum Cęleſtis ignis vaporem è vultu, è corporis habitu erumpere animadvertebant, ut ad eorũ pedes prioris vitæ acta cum lachrimis damnantes ſeſę proſternerent, nec priùs inde conſurgerent, quàm vitã deinceps vel intra Religioſa Cænobia, vel in Anachoretarum ſeceſſib⁹ agere decreviſſent. Pro ſe quiſq; exclamabat, hos enimverò redivivos Apoſtolos, ac novos Diſcipulos Servatoris agnoſcim⁹. Certatũ itaq; inter illos eſt, cui primò, cui deinde liceret animi ſui lethalia vulnera ijs detegere, medicámq; eorũ manũ experiri, quæ à peccatis abſolutos ab inolitis pridẽ putribúſq; plagis perſanatos dimitteret. Primas pro concione dicentiũ voces Auditorum gemit⁹ conſequebantur. Anguſta erant noſtra Templa comiſſa ſua deflentiũ multitudini. Non capiebant eos Domorũ noſtrarum Veſtibula, qui conſiliũ ab illis opémq; poſtulabant. Nemo novi huj⁹, & ſumõ in honore habiti Cœtûs Alumnus ob inſignẽ, quâ refulgebat, virtutis egregię ſpeciẽ non veluti veteris Legis Arca videba-

batur: cuj⁹ aſpectū null⁹ aut inveteratæ depravationis, aut longo uſu confirmati vitij Dagon ſuſtineret, quin dat⁹ in terrā, formā pariter amitteret ac cultū. Deo votarū Virginū Parthenones primo noſtrorū hominū alloquio perſvaſi Clathros occludere, curioſis oculis ſe ſubducere, intermiſſa jejunia reſumere, Pſalmodiā producere conſvevêre. Non cyrrh⁹ in capite, nō Liber profan⁹, aut Tabella non ſacra in Chriſti Sponſarū conclavi relinquebatur. Nulla inde mittebatur Epiſtola, quam nō virtutis præceptiones, & cōpoſitæ in vitæ Licentiā Diræ cōplêſſent. Ut adeò quiſquis ad ſacrarū illarū Virginum Aſceteria colloquij causâ adibat, mirari ſatis eā Metamorphoſim haud poſſet; utiq; cùm videret, tot annorū corruptelas momento tēporis ſublatas; & Licentiæ Idolū ad Evangelicorū ejuſmodi Tabernaculorū, & veteris ac illibatæ Diſciplinæ Reparatorū pedes prorutū ac contritū aſpiceret. *Cùmque ſurrexiſſent diluculò Azotij alterâ die,* ECCE DAGON *jacebat pronus in terra* ANTE ARCAM DOMINI. Idē uſuveni- 1. Reg. 5. 3.

ebat omnib⁹ ijs locis, in quib⁹ Missionarij nostri conspiciebantur. Cadebant passim; atq; quodam̃odo internecione prostrati Philistæi. Extemplò, remotis offensionib⁹ publicis, proscriptis odijs, abruptis perniciosis amicitijs, usuris, ludis, choreis, valere jussis, primo statim impetu, (tant⁹ erat dicentiũ ardor) quælibet Babylon, in Hierosolymã ædificata effrenes cupiditates, in pias moderatásq; affectiones com̃utabat: *Circumduxerunt Arcam Dei Israël. Illis autẽ circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas Civitates* INTERFECTIONIS MAGNÆ NIMIS. Atq; erant Modestiæ nostræ prodigia, hæc ej⁹ de vitijs debellatis, Erroribúsq; profligatis illustria Trophæa INTERFECTIONIS MAGNÆ NIMIS. At neq; hâc tẽpestate desunt nobis Viri Apostolici, qui tam gloriosas de Incircumcisis Victorias reportent, ac passim vitiorum Monstra humi affligant, cùm Pagos ac Castella percurrunt, rudes erudiunt, & salutari pavore improborum animos percellunt. Utrùm deinde in privatis ædib⁹ nostris unicuique no-

noſtrûm idẽ,nec aliquando ſec⁹ uſuveniat, Præſidum ſuſpiria, & S. Patris Noſtri lachrimæ teſtabuntur, qui Spiritûs Sancti inenarrabiles gemit⁹ æmulat⁹, eos,qui ſub tectis ſuis à magnanimis Filiorum ſuorum conſilijs degenerant, nunquã ſatis deſcribendis lachrimis deplorat. Age verò; quàm indigna illa calamitas foret,ſi quando in Collegiorum aliquo ſanctiſſimis Legib⁹ inſtituto aliquis Ignatij Filius reperiretur,qui non ſolùm non Arca Teſtamenti, hoc eſt Terror Incircumciſorum, & Simulacrorum Fulmen eſſet,verùm inſuper in portentoſum Dagonem mutatus, pravis conſilijs Dei Tabernacula everteret, & pejorib⁹ exemplis ea ſuis opibus ſpoliaret. Heù miſerum me! pauciſſimos quidẽ,at fortè inter eos unum aliquẽ reperias, qui Juvenes virtutis ſtudioſiſſimos, qui veluti animatæ Divini Numinis Arcæ ad Gymnaſia è Tirocinio tranſgreſſi haud dubiã ſpem fecerant, fore ut veteris illius Arcæ prodigia renovarent, ſeu pravis colloquijs, ſeu vivendi conſvetudine ab Apoſtolico vitæ genere diversâ per inauditum

& execrabile portentum ad pedes ſuos abjiciat, & in fruſta commĩnutos verſet in pulvere. Et primùm quidẽ infelices illi prodigioſæ illius Aaronis Virgæ jacturã faciunt, quæ Abrahami Nepotibus ex Ægypto in Palæſtinã iter aperuit: Beneficij nimirum longè maximi, & à ſolis Angelis dignè æſtimandi, quo ad Religioſæ Vitæ inſtitutum vocati ſunt, pretium æſtimationémq; frigidi Sodales ijs adimunt. Ijdẽ ſubinde Cæleſtis Contemplationis Manna, quo Novis Hoſpitibus nihil erat jucundius, corrumpunt. Deniq; cum ſum̃a eorum pernicie geminas Tabulas, quibus Deus tum Evangelica Conſilia ac Præcepta, tum Sacros Decretorum noſtrorum Canones digito ſuo inſcripſit, diffringunt. Quibus rebus fit, ut Arca præſtigijs ejuſmodi circumventa, Sacramentis nudata, ſpoliata Myſterijs ipſa quoq; ſe in monſtroſum aliquẽ Dagonem transformet, eâdem metamorphoſi eas omnes Arcas Dei, quibuſcum verſabitur, perverſura, non jam Philiſteis ſed Iſraëlitis exitium inferat, haud minore deceptorum ſtrage, quàm

Præ-

Præſidum luctu. Equidē confido, rem adeò probroſam, adeò pernicioſam à noſtris Cœtibus penitus abeſſe; aut, ſi fortè accidat, eam ad tam paucos pertinere, ut in maximo Proborum, conſtantérq; Pietatē colentium numero, ne numerum quidem faciant. Nihilominus ſola cogitatio, quod facinus tam fœdum tam indignum cadere vel in unum queat, ſpiritum exhaurit & horrendis ſuſpicionibus animum meum lancinat, excruciátq;. Quo verò ſupplicij genere plectendum eum cenſebimus, qui non contentus à primævo virtutis ſtudio deſciviſſe, aliorum quoq; ardorē reſtinguit, & non modò Peregrina Idola non è ſede ſua deturbat, ſed Deo conſecratas Aras demolitur, & Religioſæ Diſciplinæ Templa ſolo æquat. Quidni ergo unuſquiſque Noſtrûm, qui promiſſa Mundum deſerentibus præmia ſperat, & præparati in Cælo Throni, & in præſenti vita centuplicatæ mercedis pignus, ac vadem Deum habet, verba ſua, motúſq; omnes ad eam gravitatē majeſtatémq; cōponit, ut dignā ſeptē illis ſpiritibus Divinum Solium

ſtipantibus ſpeciẽ exhibeat? Exclamo proin cum S. Leone. *Habentes ergo, dilectiſſimi, permiſſionis fiduciam, eſtote non ſolùm ſpe,* SED ETIAM CONVERSATIONE CÆLESTES.

Serm. 8. de Quad. To. 43. 68.

142. Sunt, qui huic Edicto per omnia parent, & ſunt quoq; , qui penitus repugnant. Duo ſcilicet, niſi fallor, eorum, qui Religioſos intra parietes degunt, genera, & geminæ Claſſes ſunt. Altera, eáq; copioſiſſima ſacros eos Alumnos cõplectitur, quorum facta dictáq; omnia tam cõpoſitam, tam Religioſam, & Apoſtolicam præferunt ſpeciẽ, ut veluti totidem Pietatis Magiſtri Cathedras, Conclavia, ipſa deniq; corpora ſua in venerabiles omnis Virtutis Palæſtras comutâſſe videantur. Tales erant ij Monachi, quibus Petrus Cellenſis in Cænobio quodam ſeveriſſimæ Diſciplinæ tenaciſſimo præerat: in quod cùm is Religioſum quemdã, qui de Religione ac virtute plurimùm remiſerat, tranſduxiſſet: monuit hominem, experiretur ſanè eo in loco, an ulla emendationis ſuæ ſpes ſupereſſet; nam niſi tam ſancti

Cœ-

Cœtûs exempla torporem ipſi excuterent, actum ac conclamatum de ſe crederet. Iſthic, inquiebat, quò te dimitto, Viros invenies grandes natu, Juvenéſq; florenti ætate, tum ad omnem ſanctitatis normam cõpoſitos, ut, ſeu ſedeant, ſeu ambulent, ſive loquantur, ſive taceant, ſive cibo ſe reficiant, ſive abſtineant, exemplo ſuo te in legitimã Benedicti prolem, nullóq; ejus Filiorum inferiorem, ſint converſuri. Illi, cùm inediam perferunt, triumphant; cùm cibum ſumunt, nihil ultrà, quàm Oeconomus opſonârit, concupiſcunt. Conſecratis ſilentio temporibus, ficta è marmore ſimulacra putabis; cùm colloquuntur, cùm in medium ſua ſenſa conferunt, non ſecùs eos inardeſcere ſpiritu miraberis, quàm recentes à Pentecoſte Apoſtolos Solymæ ſtupuerunt. Cùm orant, imõti; cùm hortum vel nemus ingrediuntur, non minùs maturi ac graves tribus illis ab Abrahamo hoſpitio exceptis Cælitibus. Verbo, nihil in ijs videbis, quo non ad pietatem, & Vitæ Religioſæ perfectionem, veluti totidem ſtimulis excitêre,

re, ac tanquā ſaluberrimis monitis informeris. OMNIA ENIM EORUM COMMONENT, *ſive conſeſſus, ſive inceſſus, ſive ſermo, ſive jejunium, ſive prandium. Ecce mille clypei pendent*, NON SOLUM AD TE COMMONENDUM, SED ETIAM AD MUNIENDUM: *& tibi poſt hæc, Fili mi, ultra quid faciam?* Equidem haud video, quid Monaſterio illi tantis laudibus à Cellenſi exornato Collegium Romanum invidere debeat. De hujus quoq; pleriſq; omnibus dici poteſt: OMNIA EORUM COMMONENT. Silentij reverentia, Laboris aſſiduitas, ſtudiorum contentio, auſteritatis amor, juventutis inſtitutio, addita ſubinde uſitatis Litterarum exercitationibus appendix, Xenodochijs impenſa ſervitus, captivis epulæ miniſtratæ, Evangelium in publicis plateis expoſitum, in otio Tuſculano excurſiones ſacræ in montes valléſq; ſuſceptæ, illa demū ſunt, quæ vel ipſis hoſtibus noſtris neceſſitatem imponunt, in hominibus noſtris Apoſtolicā in dicendo Eloquentiā, & Angelicā in vivendo Integri-

Lib. 3. Ep. 12. To. 27. 65.

gri-

gritatem comendandi. *Omnia eorum commonent.* Et quis est, qui non sanctitate imbuatur, cùm Viros videt eâ sapientiâ, & Modestiâ; eâ nobilitate, & paupertate; eâ rerum gestarum claritate, & obedientiâ; eâ laborum frequentiâ magnitudinéq;, & Religiosę obseruantiâ Disciplinæ? Quę res liquidissimâ lætitiâ me afficeret, nisi Classis altera, infrequentissima illa quidem, sed plùs, quàm exponi verbis possit, exitialis atq; pestifera gaudium illud meum temperaret, ac penè submoveret. Sanè nullum est adeò bene cultum viridarium, in quo non Lappæ Tribulíque interdum aliqui proveniant. Sunt aliqui, in quibus nullum neque dictum neque factum animadvertere potes, quo non offendaris. Eos tum Cacoëthes de omni argumento cum omnib⁹ promiscuè disputandi, tum in domestica, & cum externis consvetudine solutior libertas, quàm vestis sanctitati, quâ teguntur, conveniat: tum in rebus seu aspiciendis, seu legendis, seu audiendis, quæ Viro Religioso vel impropria, vel etiam indecora sunt, effrenis curiositas,

tas; molestos periculosósq; obices parit ad Virtutis metã decurrentib⁹, & in eorum dicta, factáq; intentis, vel in ipsis istorum precib⁹, sacrificijs, divini officij lectione, publicísq; ad populum sermonib⁹; adeò nullus neq; vigor, neq; de Deo sensus inest, ut quisquis ijs vel auditor, vel spectator adest, ignavum frigus vastitatémq; inferri sibi experiatur. Gravis est in hos Origenis oratio. *Ad auxilium*, inquit, *meum non venit, cujus nihil habeo, quod legam, cujus sermo non instruit*; CUJUS NIHIL INVENIO, QUOD IMITARI DEBEAM VEL TENERE. Tantã è membris omnib⁹, atq; ab omni parte saniẽ diffundũt, ut nisi palàm à Christo, ejúsq; Cruce deficere velim, aures oculósq; ab ijs, quæ agunt, quæ loquuntur, avertere, atq; ex ipsa memoria imaginẽ omnem, quam fortè mores eorũ vitæq; rationes impresserant, abolere necesse sit. CUJUS NIHIL INVENIO, *quod imitari debeam, vel tenere.* Quâ igitur confidentiâ in Dei Domo cõmorari ausit, qui Filijs Dei non modò utilitatẽ nullam, verùm etiam perniciẽ ma-

Hom. 3. in c. 2. Ios. To. 41. 31.

xi-

ximam affert? Nempe si exitialẽ istorum vim spectet, non jam fabulæ sunt fatales illi veneficarum clypei, & vult⁹ Gorgonei, qui quocunq; se verterent, spectatoribus suis vitã eripiebant, & viscera in lapidẽ durabant. Possúntne autẽ isti formidabilis illius Molæ, quã Christus ad eorum fauces adstringit, qui Tirones, & recens Virtutis stadiũ ingressos supplantant, atq; dejiciunt, speciẽ ex oculis animóq; amittere? *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis minimis, qui in me credunt*, EXPEDIT EI, *ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. 6. Miseros verò nos! Societatem infelicem! si neq; malorũ ejusmodi seminum tam exiguus numerus foret, neq; pervigili Præsidũ curâ ità cõpescerentur ac continerentur, ut erigere se, & in bonarum frugum perniciem serpere, ac se cōmovere nullâ ratione possent. *Cujus nihil invenio, quod imitari debeam, vel tenere.* Quid enim nobis futurum esset, si pestiferum hoc fermentum vel à paucissimis cōmuni cæterorum sanctè viventium Massæ inspersum virus pariter suum

um infunderet? Hi demum, hi ſunt, qui Matri noſtræ lachrimas exprimunt, & Nomini noſtro æternã maculam inurunt. Non ſunt profectò ſtirpes iſtæ, quibus aptare ſuã Epigraphen Joannes poſſit: *Et folia Ligni ad ſanitatem Gentium.* Frondes ſunt, ſed nimirum Hellebori, ſed Taxi, ſed Cicutæ, Virus, Lethargum, mortem denique ipſam afferentes. Fuit quondã, cùm S. Parentem noſtrum Ignatium auſus ſum incuſare; quòd Nobis Filijs ſuis ſingulare veſtis genus omiſiſſet præſcribere, futurum enim arbitrabar, ût quiſquis Modeſtiæ noſtræ ſpectator eſſet, maximas Chriſto grates referret, qui Eccleſiam ſuã hâc Congregatione illuſtrâſſet. Nunc verò cùm ad pauculos quoſdam degeneres ejus Nepotes, in loquendo agendóq; juſto ſolutiores cogitationem converto, ſingularem ejus prudentiã admiror, quòd eodem cum ſeculari Clero cultu corporis uti juſſos, non rarò criminationibus populorum ac maledictis exemerit, ignorantium ſcilicet, cujus militiæ ſigna ſequantur ij, quorum licentiã damnant, atq; ideò nobis, de qui-

quibus alia omnia ſibi promittunt, parcentium. *Et folia Ligni ad ſibilum, & blaſphemiam Gentium.*

143. Et certè ſi verecundiæ iſtius atq; Honeſtatis incuria in aliquibus hominum noſtrorum invaleſceret, neq; à Præſidibus caſtigaretur, emendaretúrq;, id profectò manifeſtum foret neglectæ ſanctitatis indicium. Sanè Velum, quo ſacratior Templi pars, & Sancta Sanctorum obtegebantur medias inter Scribarum rapinas, Phariſæorum invidentiã, Sacerdotum ambitiones, Sacrilegia Pontificum, integrum & incorruptum permanſit. Tum denique in partes diſtractum eſt, cùm Synagoga palàm à Deo ſeceſſione factâ, æquævum Patri Æterno Filium in Crucem egit, & Numinis cæde manus mentémq; polluit. *Et ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum.* Rugit hoc loco Pontifex eloquentiſſimus D. Leo, &, *Velum*, inquit, *diruptum eſt, & ſacrum illud, myſticúmque ſecretum, quod ſolus ſummus Pontifex juſſus fuerat intrare, reſeratum eſt,* UT NIHIL JAM ESSET DISCRETI-

Matth. 27. 51.

Serm. 10. de Paſ. To. 43. 150.

TIONIS, UBI NIHIL RESEDERAT SANCTITATIS. Ità vos quoq; si in ijs, qui se Christi Cruci devoverunt, exterioris cōpositionis velum disruptum videritis, tutò affirmate, omnia veræ virtutis vestigia pariter in ijs deleta esse. Divini Amoris Thymiama in miserorum peccatorib⁹ incendi desijt, nec ullos ampliùs odores exhalat. In eorum animos pedem porrò Sacerdos non infert, ut eos ad Cælum dirigat. Divinorum instinctuum oracula in eorum mentibus audiri desierunt: Cherubini, Custodes Arcæ, motis alis ab eo loco avolârunt, è quo Christum digressum viderunt. Tam latè, quidquid erat Perfectionis, ac Virtutis, populatus est Cacodæmon, ut animorum illorum turpitudinem, in quā sua eos negligentia conjecit, & nuditatem, ac Cælestium divitiarum inopiam in quam eos im̄odica libertas redegit, palàm esse Deus omnibus velit. UT JAM NIHIL ESSET DISCRETIONIS, *ubi nihil resederat Sanctitatis.* Verùm enimverò non hîc eorum calamitas sistit; sæpe enim, ut ipsi omnium oculis patent,

itâ

ità ſacro-ſanctum Velum, quod Religioſis Domibus prætenditur, per ſum̃am injuriam diducunt, ac lacerant, prolatis ad profanas aures omnibus, quæ geruntur apud nos: niſi quòd virtutes tacent,& quidquid nebulæ tantæ luci fortè offunditur, vulgant: ea produnt, quæ ſilentio contegere deberent; illa diſſimulant,quæ cum veritate,auditorúmq; utilitate manifeſtare poſſent.

144. Neq; mihi fidem faciet,qui diſciſſum ſemel Modeſtiæ Velum redintegraturum ſe glorietur; nullum enim chalybem habet Orbis terrarum, quo acum formet illi reſarciendo idoneam. Certè ſi Gravitas Religioſa funditus ſemel interierit, nullis ne ſanguinis quidem impenſis reparari ea unquam poteſt. Modeſtia nimirum, velut altera Virginitas, ſemel amiſſa in omne ævum perit. Eam ob cauſam Sacerdotes ſuos admonens Auguſtinus, Oſtrum, inquit, nobiliſſimum verecundiæ ac Cõpoſitionis externæ totâ virium contentione,ac mordicus retinere ſtudete, certi, nullâ deinceps arte, cùm diſ-

Serm. 7. de Temp. To. 41. 48.

ruptum fuerit, resarciri à vobis posse. *Teneat fortiter*, NE PERDAT REM IRREPARABILEM. Audistis, Patres, Fratrésq; mei? nempe dissuta Cilicia resarciuntur; retexta flagella denuò texuntur; intermissa animarum studia resumuntur; occlusa sacra Volumina recluduntur; Divinissimus Legum nostrarum Comentarius in amplexum recipitur: at enim repudiata semel Verecundia, nunquam eò, unde pulsa est, revocatur. *Ne perdat rem irreparabilem*. Facit huc, quod primo statim Præfecturæ meæ tempore cuidam è Præpositis nostris me respondere memini. Querebatur is, non neminem è Scholasticis nostris licentiùs se in re quapiam gessisse, addebátq; de admisso errore non planè liquere, illúmq; adeò id factum inficiari. Hîc ego leniter arridens, Quin tu, inquã, eam curam omittis, cùm maturiùs, quàm velis, ejus rei te certiorem is ipse facturus sit: Modestia enim semel deperdita reparari non solet; ac proinde is, quem accusàs, in eundem denuò lapidem offendet, eúmque, licet peccatum modò dissimulet, meri-

ritis pœnis afficies, &, qui nuper fumus e-
rat, in flam̄am luculentam erumpet. Neq;
falſus Vates fui, quippe in eandem temerè
loquendi impudentiam relapſus, licet in-
juriam ſibi fieri clamaret, ab hac Provincia
dimiſſus publicas pœnas dedit. *Teneat for-
titer, ne perdat rem irreparabilem.* Quòd ve-
rò damnum ejuſmodi reparari nequeat,
inde provenit, quòd Pietatis, & volunta-
riæ auſteritatis radices exaruerint. Quiſ-
quis alium vultu ſenſibúſq;, quàm Sancti-
tatis colorem præfert, is indicium præbet,
interrupti cum Chriſto com̄ercij. *Nolite* Cant. 1. 5.
*me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolora-
vit me Sol.* Vel, quemadmodum legit Am-
broſi⁹: *Quia* DERELIQUIT ME SOL.
Heus bone Vir, tu matutina Meditationis
tempora negligis, neq; ſub veſperum ad
ſeverum examen vocas, quidquid per di-
em admiſiſti. *Ideò fuſca ſum,* pergit Ambro- Serm. 2. in Pſal. 118.
ſius, *quia Sol me dereliquit Iuſtitiæ, qui antè* To. 41. 18.
illuminare conſueverat. Pace tuâ, Vir San-
ctiſſime, liceat mihi admirabili expoſitio-
ni tuæ, aliam, fortè temerariam ſubroga-
re. Non ideò iſte pudorem poſuit, quòd

cum divini Solis radij destituerint, & dedignata lux cælestis fuerit. Inverecundiæ caligo, quâ sordet, è cæcitate illa, quâ Deum contemnit infelix, originem suam ducit. Et en, quàm minimè procul ab Ambrosio discesserim, cùm sententiæ meæ ipse palàm subscribat. AMISI COLOREM VULTUS MEI, *obtusa facta est acies oculorum meorum, quibus antè Solem videbam.* IN TENEBRIS AMBULO, QUÆ DIEM CHRISTI NESCIO. Quâ verò ratione, cui divina contemplari, & Sacras volvere paginas jucundum esse desijt, Verecundiæ Purpuram recuperare queat, quam sola rerum Divinarum Contemplatio conficere, & precandi studium auro interpungere consvevit? Porrò hanc modestæ Gravitatis jacturam boni omnes justissimis odijs persequuntur, atq; unâ veluti voce Cælum ac Præsides inclamant, postulántq;, eos, qui sacros Cœtus dehonestant, & exemplo suo Sodales inficiunt, ad pœnam dedi. Nempe hoc ipsum est, quod Salomon futurum prædixerat, cùm, post comemoratam vul-

tûs

tûs imutationem, eam ſententiam ſtatim ſubjunxit: *Filij Matris meæ pugnaverunt contra me:* nam qui Magnæ hujus, ſanctiſſimæq; Matris fili⁹ eſt, is in degeneres fratres acerrimo fremitu conſurgit. Ijdem quippe, qui nuper laudatiſſimos mores, ac præclara virtutis exempla eorum, qui è Tirocinio ad Collegia tranſierunt, commendabant, mirabantúrque ſingularem eorum erga Leges ac conſvetudines omnes reverentiam, obedientiam erga Pręſides, obſervationem erga majores, erga æquales humanitatem, perpetuam cum Deo conjunctionem, cum reb⁹ omnibus, quæ Mundus appellantur, implacabiles inimicitias, affictandi ſui, perturbationéſque ſuas edomandi ardens ſtudium, eximiam in loquendo pietatem, cum minimis affabilitatem, à Magnatum conſvetudine alienationem, Modeſtiæ placidam lucem, abjiciendi ſui, ac latendi deſideria, frequentiam in Templis, precandi aſſiduitatem, deliciarum odium, vehementiſſimum Inſtituti amorem, ſeveriſſimam oculorum cuſtodiam, verborum, motuúm- *Cant. 1. 6.*

que omnium rigidiſſimam Cenſuram: Subinde verſis eorum in contraria ſtudijs, oris procacitatem, oculorum licentiam, pietatis interitum, luxûs, honorúmq; admirationem, ſolitudinis tædium, piorum libellorum faſtidium, profanarum paginarum cupiditatem; breviter, im̃enſam illam eluviem, quâ Spiritûs Sancti dona inundantur, & partim vanitate obruuntur, partim frigore divinis ignibus prorſus adverſo extinguuntur, ijdem illi, quàm poſſunt, vehementiſſimè deteſtantur. *Filij Matris meæ pugnaverunt contra me.* Prorſus ut adverſus Judæos poſt Templi Velum in partes diviſum omnes omnium terrarum populi conjurârunt, Solymáſq; Roma oppreſſit, ſic eum, qui ab Angelica Modeſtiæ forma degenerat, omnes tum Præſidum Iræ, tum proborum odia facto agmine perſequuntur.

145. Qua in re animadverti magnopere cupio, quòd tametſi Modeſtiæ jacturam à Junioribus ac Tironibus fieri multò feram impatientiùs; non poſſem tamen non moleſtiſſimè com̃overi, ſi quando in adultio-

tioribus eam perijsse cognoscerem. Avertat Deus ab unoquoque nostrûm tam lævam mentem, ut virtutem nobilissimam ætati provectæ aut non necessariam, aut minùs aptam existimet. Iniquam profectò versuram faceremus, si munerum Apostolicorum nomen ità expungendum putaremus, ut quisquis aut cum imperio est, aut litteras tradit, aut ad populum dicit, vincula illa, quæ Religiosa Modestia sensibus nostris injicit, possit impunè dissolvere. Equidem optat Societas, eos homines habere, qui Populorum Magistri, Sacrorum Voluminum Interpretes, Principes Academiarum eruditione conspicui, & Animarum quæstu nobiles audiant, sed eosdem illa vult externæ Cōpositionis ornamentis, & Verecundiæ Insignibus eximiè cultos, decoratósq;. Talem nobis Augustinus Deiparam Virginem, & beatissimi hujus Pudoris Archetypum descripsit. FOETA, inquit, SED VIRGO: *Virgo sed Mater*: STERILITATE ENIM CARUIT, NON PUDORE. Alienæ saluti prospiciatur; vulgentur libri;

Serm. 24. de Tem. To. 41. 88.

que omnium rigidissimam Censuram: Subinde versis eorum in contraria studijs, oris procacitatem, oculorum licentiam, pietatis interitum, luxûs, honorúmq; admirationem, solitudinis tædium, piorum libellorum fastidium, profanarum paginarum cupiditatem; breviter, im̄ensam illam eluviem, quâ Spiritûs Sancti dona inundantur, & partim vanitate obruuntur, partim frigore divinis ignibus prorsus adverso extinguuntur, ijdem illi, quàm possunt, vehementissimè detestantur. *Filij Matris meæ pugnaverunt contra me.* Prorsus ut adversus Judæos post Templi Velum in partes divisum omnes omnium terrarum populi conjurârunt, Solymásq; Roma oppressit, sic eum, qui ab Angelica Modestiæ forma degenerat, omnes tum Præsidum Iræ, tum proborum odia facto agmine persequuntur.

145. Qua in re animadverti magnopere cupio, quòd tametsi Modestiæ jacturam à Junioribus ac Tironibus fieri multò feram impatientiùs; non possem tamen non molestissimè com̄overi, si quando in adultio-

tioribus eam perijsse cognoscerem. Avertat Deus ab unoquoque nostrûm tam lævam mentem, ut virtutem nobilissimam ætati provectæ aut non necessariam, aut minùs aptam existimet. Iniquam profectò versuram faceremus, si munerum Apostolicorum nomen ità expungendum putaremus, ut quisquis aut cum imperio est, aut litteras tradit, aut ad populum dicit, vincula illa, quæ Religiosa Modestia sensibus nostris injicit, possit impunè dissolvere. Equidem optat Societas, eos homines habere, qui Populorum Magistri, Sacrorum Voluminum Interpretes, Principes Academiarum eruditione conspicui, & Animarum quæstu nobiles audiant, sed eosdem illa vult externæ Cõpositionis ornamentis, & Verecundiæ Insignibus eximiè cultos, decoratósq;. Talem nobis Augustinus Deiparam Virginem, & beatissimi hujus Pudoris Archetypum descripsit. FOETA, inquit, SED VIRGO: *Serm. 24.*
Virgo sed Mater: STERILITATE E- *de Tem.*
NIM CARUIT, NON PUDORE. *To. 41. 88.*
Alienæ saluti prospiciatur; vulgentur libri;

decertetur in scholis; Provinciç Collegiáq; administrentur: sed imago Virtutis, & ad Religionẽ cõposita species nunquã à vultu discedat. FOETA, SED VIRGO: *sterilitate caruit, non pudore.* In eandẽ sententiã Augustinus de Filio Dei dissẽrüit, quẽ purissima quidẽ Virginis viscera receperint, nec tamen ità incluserint, ut eũ ab imensis spatijs, quæ Numine suo cõplet,
Serm. 27. de Temp. To. 41. 89. excluderent. *Virginali utero* RECEPTUS *est*, NON INCLUSUS. Igitur in castissimæ Matris sinu Divinum Verbũ quiescebat, sed interim Cherubinis mandata dabat, sidera gũbernabat, & in quavis Orbis parte vitã animúmq; inspirabat. *Virginali utero receptus, non inclusus.* Nova prorsus ac primis Patribus nostris inusitata illi⁹ oratio foret, qui jactaret, se, quòd publicè bonas artes profiteretur; de superiore loco ad frequentẽ concionẽ verba faceret; laureis editísq; voluminib⁹ nobilitaretur, neq; linguæ moderaturũ, neq; dejecturũ oculos, neq; aures sua comissa fatentib⁹ præbiturũ, neq; rudib⁹ atq; egentib⁹ Christianæ Disciplinæ Elementa traditurũ. Id enim

nim foret non pro ſede, ſed pro carcere Cathedram habere. Is quoq;, qui concionatur, aut Magiſtratũm gerit, laborioſæ Provinciæ applicitũ ſe fateatur quidẽ, ſed affixum neget: quamobrẽ per ea tempora, quæ vacua illi muneris ſui ratio relinquit, ſtudia ſua ad Reipublicæ comoda transferat; & tum vultûs Modeſtiâ, tum ardore animi Juvenib⁹ noſtris exemplũ præeat, ac documentũ virtutis relinquat. *Virginali utero* RECEPTUS, NON INCLUSUS. Age verò, ſi hæc tũ quoq; curanda nobis eſſe confirmo, cùm laborũ mole ſic premimur, ut proferre virtuti noſtræ limites prohiberi videamur, quantò id ſeveriùs me contendere putatis, ut inter Diſputationũ ſtrepit⁹, inter acclamationes, quæ munerũ noſtrorũ præclaros ſucceſſus proſequuntur, inter obſequia demũ Præfecturis ac procurationib⁹ noſtris deferri ſolita cõpoſitum vultûs, habitúſq; tenorẽ, totiúſq; corporis moderationẽ retinere ſtudeamus?

146. Exclamabit hîc forſan aliquis, hęc ab Anachoretis vaſtas ſolitudines procul à

turba colentib⁹, & veterũ Prophetarũ vivendi gen⁹ amplexis rectiùs, quàm à Nobis postulari, ut quos Instituti nostri ratio in Urbes, frequentiã, Templa, Lycæa, & publicam lucẽ im̃iserit. Quòd si enim cum hominibus versandum, & nobis agendũ est, necesse pariter fore, ut Siparium demittam⁹, aspectabiléſq; nos ijs, qui nobis adsunt, reddam⁹: lachrimantib⁹ collachrimemur, arrideamúſq; ridentib⁹. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Eam nimirũ esse laborũ nostrorũ atq; exercitationũ naturã, ut Christum vel ad convivia usq; sequamur, ut Viros principes in itinerib⁹ comitemur, ut in eorum villis ac latifundijs desideam⁹, ut earum rerum actionúmq;, quæ filijs huj⁹ seculi privatæ atq; usitatæ sunt, formã nobis vultúmq; aptemus. His uti respondeã, nego inprimis hominum eorum, quorum salutẽ promovemus, actionib⁹ omnib⁹ promiscuè misceri nos oportere. Equidẽ Canæ nuptijs Mundi Servator, non autẽ Herodis Choreis interfuit. Ad Pharisæi mensam assedit, ut Magdalenam peccatis suis, quæ deplora-

Roman. 12. 15.

bat,

bat,exſolveret: at enim ad temulenti Epulonis ſympoſia nunquã acceſſit, ut ab eo loco eſurientẽ Lazarũ relegaret. Admiſit, Bethaniæ caput ſuum unguento perfundi ab ea, quæ vitæ prioris acta damnaverat, verùm non ideò Dynaſtas illos, quorum erga ſe ſtudia noverat, ad premendã Cervorum fugam, & Urſorum ſcrutanda cubilia venabulo & ipſe armat⁹ proſequutus fuit. Id quidẽ à nobis alienæ ſalutis cura impetrare poteſt, ut in eorum Domib⁹ feram⁹, quod nullâ ratione ſuſtineremus in noſtra. At enim tum quoq; talem ſermonis noſtri gravitatẽ, & ad pietatẽ cõpoſiti vultûs ſpeciẽ eſſe oportebit,ut palàm ſit,alijs ea voluptatis, nobis verò patientiæ argumenta eſſe.

147. Quã rem Auguſtinus, cùm Verbi humanã Naturã amplexi Myſterium exponit, mirificè declarat. Fuit, inquit, noſtrâ carne conteƈt⁹ Dei Filius, & perinde ac nos in cunis collocatus. Verùm ex hoc ipſo glebæ noſtræ involucro tanta cæleſtium radiorum copia effulſit,ut cùm nos rationis expertes, belluíſq; ſimillimi nihil

lau-

laude præmióq; dignum illo tempore gesseram⁹, Anima illi⁹ primo ſtatim, quo conceptus eſt, temporis articulo ſui potens ac beata Deum intueretur, Angelis imperia divideret, Paſtores ad ſe, ac Magos traheret, & utroſq; ſanctitate cõpleret. *Homo naſci ex homine dignatus eſt*: SIC NOSTRAM SUSCIPIENDO NATURAM, UT NON PERMUTARET SUAM. *Ibi fuit humanitatis exortus, longè à noſtra nativitate diverſus. Nam etſi in eadem, quâ nos ſumus, veritate carnis natus eſt Chriſtus*, NON TAMEN EO, QUO NOS MORE CONCEPTUS, ET NATUS EST. Veniam⁹ & nos cum profanis hominib⁹ in curarum, &, ſi quidẽ ità ſtudium ſervandarum Animarum jubeat, in gaudiorum partem: verùm animos afferam⁹ abjectis eorum cogitationib⁹ ac conſilijs longè ſuperiores; verùm ex oculis, totóq; corporis habitu Lumen quoddã omnibus illorum tenebris majus effulgeat; verùm Apoſtolico noſtro ardore ſic omnis eorum glacies colliqueſcat, & cupiditatum ſordes expurgentur, ut noſtrã in hilarita-

Serm. 8. de Temp. To. 41. 57.

rita-

ritate gravitatẽ;abſtinentiã in convivijs, in turba ſolitudinẽ,mentẽ Cælo defixam, & Chriſto hypoſtaticè quodam̃odo junctã, cùm alienæ ſalutis curâ nos terrę ac hominib⁹ conjungit, mirari debeant,ac venerari. *Nam etſi in eadem, quâ nos ſumus, veritate carnis natus eſt Chriſtus; non tamen quo nos more conceptus, & natus eſt.* Inter Aſſyrios, cùm res poſtulaverit, degamus, ſed ea inter nos ac illos diſſimilitudo interſit, quæ Chriſtum inter & nos interceſſit.

148. Sed quid ego ad tantum exemplum vos provoco,cùm prætextati,cõptulíq; adoleſcentes nos poſſint rubore ſuffundere. Num diſſimulare vulnus poſſum, quod tam altè nuper in animum meum deſcendit, ut velut hâc ipsâ horâ impoſitũ eſſet, recenti adhuc cruore fumet, acerrimóque doloris ſenſu dies, noctéſque me lancinet,atq; diſcruciet? Poterónc autem ego dicere, aut vos audire ſuſtinebitis tanti doloris hiſtoriã? Ædes eſt ad Forum Agonale Divo Jacobo ſacra: in eam adoleſcens illuſtris ortu, indole ingenióq; nobilior, quâ die de B. Roſæ laudib⁹ cele-

bra-

bratiſſima illa Oratio habitâ eſt, fortè ingreſſus in frequenti corona tum neceſſariorum ſuorum, tum nobilium Virorum cōſtitit. Hîc eum cōpellare multi, & ad colloquium invitare, ipſe verò vel breviſſimis reſponſis ſermonem abrumpere, vel defixis in Arã & ſacrificantem oculis; ac, toto corpore ab ijs averſo, penitus obmuteſcere. Et quamvis identidem ſolicitaretur à proximis, omnem tamen eorum importunitatem vicit, horámq; totã in ea pietatis erga præſentem Deum, & Religionis erga conſecratã illi ſedem conſtantiâ perſtitit. Illi verò, dimiſsâ concione, diſcedentem è Templo proſecuti circumſtant, acritérq; hunc ej⁹ pertinacem, ruſticúmq;, ut appellabant, ſtuporem, ac taciturnitatem incuſant. At ille objurgatores ſuos intuit⁹, Si vos, inquit, in hoc foro, in quo nunc ſumus, ad cōfabulandũ me provocâſſetis, equidem omnes garrulitate viciſſem, neq; ull⁹ veſtrûm me fuiſſet loquacior. At verò dum intra Templorum ambitum conſtitero, dum Pſalmodiæ, diviniſſimíſq; Holocauſtis interero, nemo unquam ex ore

mihi

mihi verbum exſculpet. Hîc illi. Quorſum autem tu, inquiunt, tam religioſus ac mutus es, cùm illo ipſo loco tui illi Patres, quorum ſcholas frequentas, tam licenter garriant? Tam acerbo dicto nihil perturbatus adoleſcens, ità inſectatores ſuos rejecit. Equidem, inquit, quid Societatis Patres eo tempore, quo vobis obmutui aut fecerint, aut dixerint, neq; novi, neq; noſcere concupiſco: id ſcio, ab ijs, licet fortè in Templo ipſi non tacuerint, monitum me ſemper, itáq; eruditum fuiſſe, ut eo loco linguam continerem: igitur eorum imperijs obtemperabo, ſi exempla fortè imitari non licuerit. Hæc dicenti adoleſcenti optimo non venit in mentem aliâ ratione objectum crimen refellere, cùm in prõptu eſſet, dicere, licet duo fortè quatuórve Religioſi hujus Ordinis Alumni reperti ſint, qui conditionis & Inſtituti ſui obliti intempeſtivo ſermone divinum Sacrarium profanaverint, tricenos alios, aut etiam plures fuiſſe, quorum religio ac pietas Templo decus ac venerationem conciliârit. Interim ego paucorum illorum

rum congerronũ infelicitatẽ amarissimis lachrimis deploro, quib⁹ Juvenẽ ætate, vitæ genere profanũ, religiosis legib⁹ solutum, Cæli & Angelorum judicio præferri video, ut qui blanditias amicorũ, & consanguineorũ indignationẽ nihil moratus non dubitârit honestissimorum Virorum ludibrijs traduci, dum sacris Mysterijs, præsentíq; Numini cultũ eum exhiberet, quem Cherubini in dicatis illi ædib⁹ perpetuũ sacrârunt. Itane autem dici quondã poterit, repertum fuisse adolescentem stirpe patriciâ editũ, in ipso ætatis fervore, in sum̃a vitæ licentia constitutum, pravísq; aliorum exemplis, quâ nulla potentior machina, impetitum statuæ instar im̃otum, & quovis marmore magis surdum ac mutum in Templo perstitisse, & Societatis illi⁹, quæ cultum divinum tanto studio ubiq; terrarum promovit, Alumnos ac Filios, violatis tum nostris, tum Christi legibus, ut fœdam linguæ scabiem fricarent, inter ipsa Sacrificiorum ac Psalmodiæ tempora pro gemitu ac precibus sermones miscuisse, & risus edidisse? Tenere me proinde haud pos-

possum, ut non exclamem cũ Chrysostomo: quis deinde nos domi nostræ austeritatem sectari, & pravis animi motibus imperitare credet, quos in Domo Dei tam incõpositos, atq; impotentes videt? *Sin autem in Ecclesia constituti tantorum efficimur malorum rei:* QUANTOS TANDEM FUTUROS NOS PUTAMUS, CUM HINC FUERIMUS EGRESSI? SI TANTOS FLUCTUS PATIMUR IN PORTU, *cùm exierim⁹ in Euripum, quid patiemur?* Qui verò fieri possit, ut non vehementissimè cõmovear, non acerbissimè conquerar, cùm eam mihi necessitatẽ imponi video, ut Filijs meis Seculi Filium pravis sodalium exemplis, atq; consilijs necquicquam impulsum tanquã Religionis & silentij formam imitandum proponere debeã? Neq; tam eorũ, qui cõtra Leges veniũt, petulãtię, quàm eorũ, per quos impunè peccatur, negligẽtiæ irascor: hos potissimùm detestor, atq; abominor. Numquid enim non publica, non omnibus proposita, non sæpissimè repetita edicta mea sunt, quib⁹ vetui, ne quis ho-

Hom. 20. in cap. 6. Matt. To. 2. 5. 205.

decertetur in ſcholis; Provinciȩ Collegiáq; adminiſtrentur: ſed imago Virtutis, & ad Religionẽ cõpoſita ſpecies nunquã à vultu diſcedat. FOETA, SED VIRGO: *ſterilitate caruit, non pudore.* In eandẽ ſententiã Auguſtinus de Filio Dei diſſeruit, quẽ puriſſima quidẽ Virginis viſcera receperint, nec tamen ità incluſerint, ut eũ ab im̃enſis ſpatijs, quæ Numine ſuo cõplet, excluderent. *Virginali utero* RECEPTUS *eſt*, NON INCLUSUS. Igitur in caſtiſſimæ Matris ſinu Divinum Verbũ quieſcebat, ſed interim Cherubinis mandata dabat, ſidera gubernabat, & in quavis Orbis parte vitã animúmq; inſpirabat. *Virginali utero receptus, non incluſus.* Nova prorſus ac primis Patribus noſtris inuſitata illi⁹ oratio foret, qui jactaret, ſe, quòd publicè bonas artes profiteretur; de ſuperiore loco ad frequentẽ concionẽ verba faceret; laureis editiſq; voluminib⁹ nobilitaretur, neq; linguæ moderaturũ, neq; dejecturũ oculos, neq; aures ſua com̃iſſa fatentib⁹ præbiturũ, neq; rudib⁹ atq; egentib⁹ Chriſtianæ Diſciplinæ Elementa traditurũ. Id enim

Serm. 27. de Temp. To. 41. 89.

nim foret non pro ſede, ſed pro carcere Cathedram habere. Is quoq;, qui concionatur, aut Magiſtratūm gerit, laborioſæ Provinciæ applicitū ſe fateatur quidē, ſed affixum neget: quamobrē per ea tempora, quæ vacua illi muneris ſui ratio relinquit, ſtudia ſua ad Reipublicæ comoda transferat; & tum vultûs Modeſtiâ, tum ardore animi Juvenib⁹ noſtris exemplū præeat, ac documentū virtutis relinquat. *Virginali utero* RECEPTUS, NON INCLUSUS. Age verò, ſi hæc tū quoq; curanda nobis eſſe confirmo, cùm laborū mole ſic premimur, ut proferre virtuti noſtræ limites prohiberi videamur, quantò id ſeveriùs me contendere putatis, ut inter Diſputationū ſtrepit⁹, inter acclamationes, quæ munerū noſtrorū præclaros ſucceſſus proſequuntur, inter obſequia demū Præfecturis ac procurationib⁹ noſtris deferri ſolita cōpoſitum vultûs, habitúſq; tenoré, totiúſq; corporis moderationē retinere ſtudeamus?

146. Exclamabit hîc forſan aliquis, hęc ab Anachoretis vaſtas ſolitudines procul à

turba colentib⁹, & veterū Prophetarū vivendi gen⁹ amplexis rectiùs, quàm à Nobis postulari, ut quos Instituti nostri ratio in Urbes, frequentiā, Templa, Lycæa, & publicam lucē im̃iserit. Quòd si enim cum hominibus versandum, & nobis agendū est, necesse pariter fore, ut Siparium demittam⁹, aspectabiléq; nos ijs, qui nobis adsunt, reddam⁹: lachrimantib⁹ collachrimemur, arrideamúsq; ridentib⁹. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Eam nimirū esse laborū nostrorū atq; exercitationū naturā, ut Christum vel ad convivia usq; sequamur, ut Viros principes in itinerib⁹ comitemur, ut in eorum villis ac latifundijs desideam⁹, ut earum rerum actionúmq;, quæ filijs huj⁹ seculi privatæ atq; usitatæ sunt, formā nobis vultúmq; aptemus. His uti respondeā, nego inprimis hominum eorum, quorum salutē promovemus, actionib⁹ omnib⁹ promiscuè misceri nos oportere. Equidē Canæ nuptijs Mundi Servator, non autē Herodis Choreis interfuit. Ad Pharisæi mensam assedit, ut Magdalenam peccatis suis, quæ deplora-

Roman. 12. 15.

bat,

bat,exſolveret: at enim ad temulenti Epulonis ſympoſia nunquã acceſſit, ut ab eo loco eſurientẽ Lazarũ relegaret. Admiſit, Bethaniæ caput ſuum unguento perfundi ab ea, quæ vitæ prioris acta damnaverat, verùm non ideò Dynaſtas illos, quorum erga ſe ſtudia noverat, ad premendã Cervorum fugam, & Urſorum ſcrutanda cubilia venabulo & ipſe armat⁹ proſequutus fuit. Id quidẽ à nobis alienæ ſalutis cura impetrare poteſt, ut in eorum Domib⁹ feram⁹, quod nullâ ratione ſuſtineremus in noſtra. At enim tum quoq; talem ſermonis noſtri gravitatẽ, & ad pietatẽ cõpoſiti vultûs ſpeciẽ eſſe oportebit,ut palàm ſit,alijs ea voluptatis, nobis verò patientiæ argumenta eſſe.

147. Quã rem Auguſtinus, cùm Verbi humanã Naturã amplexi Myſterium exponit, mirificè declarat. Fuit, inquit, noſtrâ carne contect⁹ Dei Filius, & perinde ac nos in cunis collocatus. Verùm ex hoc ipſo glebæ noſtræ involucro tanta cæleſtium radiorum copia effulſit,ut cùm nos rationis expertes, belluiſq; ſimillimi nihil

lau-

laude præmióq; dignum illo tempore geram⁹, Anima illi⁹ primo ſtatim, quo concept⁹ eſt, temporis articulo ſui potens ac beata Deum intueretur, Angelis imperia divideret, Paſtores ad ſe, ac Magos trahe-

Serm. 8. de Temp. To. 41. 57. ret, & utroſq; ſanctitate cōpleret. *Homo naſci ex homine dignatus eſt:* SIC NOSTRAM SUSCIPIENDO NATURAM, UT NON PERMUTARET SUAM. *Ibi fuit humanitatis exortus, longè à noſtra nativitate diverſus. Nam etſi in eadem, quâ nos ſumus, veritate carnis natus eſt Chriſtus,* NON TAMEN EO, QUO NOS MORE CONCEPTUS, ET NATUS EST. Veniam⁹ & nos cum profanis hominib⁹ in curarum, &, ſi quidē ità ſtudium ſervandarum Animarum jubeat, in gaudiorum partem: verùm animos afferam⁹ abjectis eorum cogitationib⁹ ac conſilijs longè ſuperiores; verùm ex oculis, totóq; corporis habitu Lumen quoddā omnibus illorum tenebris majus effulgeat; verùm Apoſtolico noſtro ardore ſic omnis eorum glacies colliqueſcat, & cupiditatum ſordes expurgentur, ut noſtrā in hilarita-

ritate gravitatẽ;abstinentiã in convivijs, in turba solitudinẽ, mentẽ Cælo defixam, & Christo hypostaticè quodam̃odo junctã, cùm alienæ salutis curâ nos terrę ac hominib⁹ conjungit, mirari debeant, ac venerari. *Nam etsi in eadem, quâ nos sumus, veritate carnis natus est Christus; non tamen quo nos more conceptus, & natus est.* Inter Assyrios, cùm res postulaverit, degamus, sed ea inter nos ac illos dissimilitudo intersit, quæ Christum inter & nos intercessit.

148. Sed quid ego ad tantum exemplum vos provoco, cùm prætextati, cõptulíq; adolescentes nos possint rubore suffundere. Num dissimulare vulnus possum, quod tam altè nuper in animum meum descendit, ut velut hâc ipsâ horâ impositũ esset, recenti adhuc cruore fumet, acerrimóque doloris sensu dies, noctésque me lancinet, atq; discruciet? Poteróne autem ego dicere, aut vos audire sustinebitis tanti doloris historiã? Ædes est ad Forum Agonalé Divo Jacobo sacra: in eam adolescens illustris ortu, indole ingenióq; nobilior, quâ die de B. Rosæ laudib⁹ cele-

bra-

bratiſſima illa Oratio habitá eſt, fortè ingreſſus in frequenti corona tum neceſſariorum ſuorum, tum nobilium Virorum cõſtitit. Hîc eum cõpellare multi, & ad colloquium invitare, ipſe verò vel breviſſimis reſponſis ſermonem abrumpere, vel defixis in Arã & ſacrificantem oculis, ac, toto corpore ab ijs averſo, penitus obmuteſcere. Et quamvis identidem ſolicitaretur à proximis, omnem tamen eorum importunitatem vicit, horámq; totã in ea pietatis erga præſentem Deum, & Religionis erga conſecratã illi ſedem conſtantiâ perſtitit. Illi verò, dimiſsâ concione, diſcedentem è Templo proſecuti circumſtant, acritérq; hunc ej9 pertinacem, ruſticúmq;, ut appellabant, ſtuporem, ac taciturnitatem incuſant. At ille objurgatores ſuos intuit9, Si vos, inquit, in hoc foro, in quo nunc ſumus, ad cõfabulandũ me provocâſſetis, equidem omnes garrulitate viciſſem, neq; ull9 veſtrûm me fuiſſet loquacior. At verò dum intra Templorum ambitum conſtitero, dum Pſalmodiæ, diviniſſimíſq; Holocauſtis interero, nemo unquam ex ore mihi

mihi verbum exſculpet. Hîc illi. Quorſum autem tu, inquiunt, tam religioſus ac mutus es, cùm illo ipſo loco tui illi Patres, quorum ſcholas frequentas, tam licenter garriant? Tam acerbo dicto nihil perturbatus adoleſcens, ità inſectatores ſuos rejecit. Equidem, inquit, quid Societatis Patres eo tempore, quo vobis obmutui aut fecerint, aut dixerint, neq; novi, neq; noſcere concupiſco: id ſcio, ab ijs, licet fortè in Templo ipſi non tacuerint, monitum me ſemper, itáq; eruditum fuiſſe, ut eo loco linguam continerem: igitur eorum imperijs obtemperabo, ſi exempla fortè imitari non licuerit. Hæc dicenti adoleſcenti optimo non venit in mentem aliâ ratione objectum crimen refellere, cùm in prõptu eſſet, dicere, licet duo fortè quatuórve Religioſi hujus Ordinis Alumni reperti ſint, qui conditionis & Inſtituti ſui obliti intempeſtivo ſermone divinum Sacrarium profanaverint, tricenos alios, aut etiam plures fuiſſe, quorum religio ac pietas Templo decus ac venerationem conciliârit. Interim ego paucorum illorum

rum congerronũ infelicitatẽ amarissimis lachrimis deploro, quib⁹ Juvenẽ ætate, vitæ genere profanũ, religiosis legib⁹ solutum, Cæli & Angelorum judicio præferri video, ut qui blanditias amicorũ, & consanguineorũ indignationẽ nihil moratus non dubitârit honestissimorum Virorum ludibrijs traduci, dum sacris Mysterijs, præsentíq; Numini cultũ eum exhiberet, quem Cherubini in dicatis illi ædib⁹ perpetuũ sacrârunt. Itáne autem dici quondã poterit, repertum fuisse adolescentem stirpe patriciâ editũ, in ipso ætatis fervore, in sum̃a vitæ licentia constitutum, pravísq; aliorum exemplis, quâ nulla potentior machina, impetitum statuæ instar im̃otum, & quovis marmore magis surdum ac mutum in Templo perstitisse, & Societatis illi⁹, quæ cultum divinum tanto studio ubiq; terrarum promovit, Alumnos ac Filios, violatis tum nostris, tum Christi legibus, ut fœdam linguæ scabiem fricarent, inter ipsa Sacrificiorum ac Psalmodiæ tempora pro gemitu ac precibus sermones miscuisse, & risus edidisse? Tenere me proinde haud pos-

possum, ut non exclamem cũ Chrysosto-mo: quis deinde nos domi nostræ austeritatem sectari, & pravis animi motibus imperitare credet, quos in Domo Dei tam incõpositos, atq; impotentes videt? *Sin autem in Ecclesia constituti tantorum efficimur malorum rei:* QUANTOS TANDEM FUTUROS NOS PUTAMUS, CUM HINC FUERIMUS EGRESSI? SI TANTOS FLUCTUS PATIMUR IN PORTU, *cùm exierim⁹ in Euripum, quid patiemur?* Qui verò fieri possit, ut non vehementissimè cõmovear, non acerbissimè conquerar, cùm eam mihi necessitatẽ imponi video, ut Filijs meis Seculi Filium pravis sodalium exemplis, atq; consilijs necquicquam impulsum tanquã Religionis & silentij formam imitandum proponere debeã? Neq; tam eorũ, qui cõtra Leges veniũt, petulãtię, quàm eorũ, per quos impunè peccatur, negligẽtiæ irascor: hos potissimùm detestor, atq; abominor. Numquid enim non publica, non omnibus proposita, non sæpissimè repetita edicta mea sunt, quib⁹ vetui, ne quis ho-

Hom. 20. in cap. 6. Matt. To. 2 5. 205.

minum noſtrorum intra Templorũ Adyta vocẽ mitteret; multóq; id ſeveriùs in alienis, quàm in noſtris ſervandum ſanxi? Nihilominus tamen, me Præſide, vivente me, ac vidente, ea Præpoſitorũ negligentia eſt, ut impuniti abeant, qui garrulitatis tũ à me, tum à Deceſſoribus meis toties proſcriptæ, toties fulminatæ peſſimis exemplis Chriſtianum Orbem offendunt. Quod malũ inde ſcilicet naſcitur, quòd Præſidũ non nemo à cæteris quidem diverſus, ſubditorũ in ſe amoris, quàm propriæ ipſorũ virtutis multò ſtudioſior ſit, curétq; maximè, ut ipſe ſuis placeat, quàm verò hi Deo placeant, haud perinde ſolicitus. Origenem audite ignaviam noſtrã inuſto veluti ſtigmate notantẽ, ac ſtimulis haud ſanè mollib⁹ fodientẽ. Intolerabilis negligentiæ eſt, inquit, & turpiſſimę perfidiæ crimen, ſacra Clauſtra, & Religioſam Diſciplinã hoſtibus prodentiũ, qui ſubditis ſuis ut ne meritis pœnis affecti, habeant, quod querantur, frena laxant, atq; eò præcipites ruere ſuſtinent, quò excurrere vel profanorũ hominum licentiæ ne-
fas

fas est. Reddo ejus verba. *Hoc accidit, quando Sacerdotes, qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volunt videri,* ET VERENTES PECCANTIUM LINGUAS, *ne fortè malè de eis loquantur,* SACERDOTALIS SEVERITATIS IMMEMORES, *nolunt implere, quod scriptum est:* PECCANTEM CORAM OMNIBUS ARGUE, *ut cæteri timorem habeant. Nec zelo Dei succincti imitantur Apostolum dicentem: Tradidi hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis.* ET DUM UNI PARCUNT, UNIVERSÆ ECCLESIÆ MOLIUNTUR INTERITUM. En, unde commeatus errantibus & peccantibus impunitas præbeatur, en quâ fide noxię dissimulationis synagraphâ subscripta licentia veniat. BENIGNI VOLUNT VIDERI, *& verentes peccantium linguas, ne fortè malè de eis loquantur.* Nempe Nos, Nos inquam propugnandæ Constitutionum Arci Præfecti è Leonibus in Lepores abimus, & ne fortè, qui palàm Leges convellit, de nobis perperã loquatur, quàm primùm dubitamus, continuò

Hom. 7. in c. 7. Ios. To. 42. 69.

1. Timoth. 5.

1. Cor. 5.

membris omnibus contremiſcimus. VERENTES PECCANTIUM LINGUAS. Tum deniq; ſubditorum offenſam, illas eorū querelas formidare nos oportet, cùm poſtquā ab ijs precandi, ſuíq; deprimendi, & affligendi ſtudium, laborum contentionē, Legū reverentiā, animarū zelum, conſanguineorū oblivionē, honorū fugam, amorem Crucis ſeverè repopoſcimus, neq; de victu ad fractas labore vires inſtaurandas accom̄odato, neq; de veſtitu tantæ virtuti debito proſpexerimus. Tum fas erit, eorū querelas expaveſcere, cùm ægris ſolatia, deliciáſq; majores etiā, quām fortè in paterna domo habituri erant, miniſtrare neglexim⁹: cùm laborantib⁹ præmia perſolvere, ac licentiam improborū refrenare ſuperſedimus: cùm obliti, com̄unes omnib⁹ nos Patres eſſe, adulatores promovemus, & bene meritos præterim⁹: cùm injuriarū oppidò memores eos punim⁹, à quib⁹ non amamur, dilectorum vitijs inultis. In his, aliíſq; id genus cauſis ſubditorū nos querelæ conterreant, quib⁹ nimirū vel negligentia noſtra,
vel

vel obnoxi⁹ privatis amicitijs anim⁹, ac ſecularis quædam ac Politica gubernandi ratio ex merito vapulat. Quæ cauſæ ubi defuerint, exporrigenda frons eſt, vultus in ſerenitatem & riſum laxand⁹, licèt familia univerſa in nos conſurgeret, tonaret, fulminaret: ea enim res manifeſto argumento eſt, eos nos eſſe, quos par eſt, nempe qui accuratâ diligentiâ pro incolumitate Legum noſtrarũ excubemus; ignavos degeneréſq; animos implacabili odio proſequamur; & decretorum noſtrorũ obſervantiã inexorabili ſeveritate urgeam⁹. Irrogentur ſupplicia, ſed malè moratis; monita objurgationéſq; ingerantur, ſed reis; increpemus, ſed incõpoſitos; intententur minæ, ſed contumacib⁹: ac ſubinde ululat⁹ rideam⁹, & fremitus contemnam⁹. Non reorum linguas, ſed Dei fulminantis tela paveam⁹, quæ minaci ſono aërẽ findunt, & præſens exitiũ omnibus intentant, qui diſſimulatis, impunitiſq; vitijs, Religioſam Diſciplinã diſſolvunt, & Sacros Ordines impellunt in ruinã. DUM UNI

PARCUNT, *universæ Ecclesiæ moliuntur interitum.*

149. Neq; verò putandum est, has minas ad ignavos tantùm Rectores illos pertinere, qui in vitijs non ab omni parte levissimis connivent, aut planè cæcutiunt. Illos alloquor, illos ad Divinũ Tribunal rapio, qui Cõpositionis externæ speciẽ ab Ignatij Filijs corrumpi, atq; infuscari patiuntur. Hæc enim quemadmodũ ad Anachoretas, rupium incolas haud magnopere pertinet, quo loco illi ferarum belluarum comites, & Nemorum Hospites timere non debent, ne incõposito fortè gestu Quercus & Abietes, quos solos scilicet spectatores habent, offendant; ità nostra, qui inter homines publicáq; in luce vivimus, plurimùm refert, magnopere necessaria, ac severâ lege nobis præcepta est. Quam meã sententiã haud parum confirmat, quod Gregorius Pontifex notavit, in Davide neq; magnitudinẽ corporis, neq; artuum robur à Sacro Scriptore comemorata fuisse, contento videlicet, vultûs con-

conformitatẽ, venuſtatémq; legentib⁹ ob oculos poſuiſſe. *Erat autem rufus, &* PULCHER ASPECTU, DECORAQUE FACIE. Fuit nimirum David eorum Religioſorum hominum Typus, qui neq; in antris ſepulti, neq; in cellas cõpacti, ſed cum vitijs in arenã deſcendunt, monſtra proſternunt, improbos ad frugem reducunt, & Dei Arcã propugnant. In his faciẽ quâlibet ſtellâ puriorem fulgere, & Modeſtiã divinã eſſe magis quàm humanam oportet. MAGNIS VIRTUTUM FULGORIBUS *ornari debet perſona Doctoris.* DECOR FACIEI EST PRÆCLARA HONESTAS CONVERSATIONIS. Nimirum ſine hac frontis, linguæ, oculorum, totiúſq; corporis majeſtate, nec Dei verbo fides, nec doctrinæ noſtræ auctoritas conciliari poteſt. Nemini pectoris noſtri patent arcana, ſed animi candorem, conſiliorum ac ſtudiorum noſtrorum divinitatẽ ex ea, quæ in vultu ſpectatur, ſanctitate univerſi metiuntur. *Decor faciei eſt præclara honeſtas converſationis.* Hujus verò ſplendoribus nullus unquam

Lib. 6. c. 3. in 1. Reg. To. 25. 134.


irradiabitur, nisi eodẽ modo, sive cùm solus in cubiculo sedet, & procul à turba villæ otio perfruitur, sive cùm in publicum prodit & res gerit ad Dei gloriã, & salutẽ Animarum illustres, se gerat, atq; cõponat. Quòd si verò speramus, continuò, cùm nos in turbam dederimus, Angelicâ formâ conspicuos futuros, licet domi, privatósque inter parietes de Religiosæ Disciplinæ severitate nonnihil remisissemus, oppidò, gravitérque hallucinamur: numquam enim id nobis succedet, ut novi quidam Protei vultum, quem nimia licentia paulò antè projecerat, quamprimùm libuerit ad omnes modestiæ leges fingamus; útque repentè tonantis Jeremiæ majestatem sibi aptet, qui nuper majore lætitiâ, quàm Engaddianæ Vineæ coloni, cùm vindemiam suam jocis celebrant diffluebat. Fuit inter Oratores nostros non nemo, Vir cætera nec indoctus, nec infans, qui cùm in familiari consvetudine plerumque sermone patrio, haud sanè venustissimo, uteretur, subinde cùm Rostra conscendisset, politissi-

mæ totius Ethruriæ Linguæ pompam facere ausus est. At contrà evenit, victus enim rudi illâ consvetudine loquendi miser, tam barbarè, tam incomptè verba proferebat, ut vulgò derisus in publico non correcti privatim sermonis pœnas dederit. Perinde in hac morum conformatione usuvenit. Necesse proinde fuerit, ut quales à profanis hominibus spectari volumus, tales nos domi Sodalibus nostris effingamus. Ità sensit scripsítque Petrus Cellensis. *Spiracula virtutum*, inquit, *& odoramenta svavia sunt, & perpetua. Nam nec longævitate veterascunt, nec longinquitate odorem suum minuunt.* VIRTUS SIVE HIC, SIVE ILLIC NEC VULTUM MUTAT, NEC HABITUM, NEC FRUCTUM, NEC USUM. SPECIES ILLI UNA *& in Dacia, & in Francia.* Quamobrem si ejusmodi circumspectionem & tenorem vita nostra servaverit, & exterior species cælesti formâ effloruerit, ut Angelos oculis, Apostolos linguâ, Sanctitatem ipsam vere-

Lib. 8. Ep. 19. To. 17. 94.

cundiâ, totóque corporis habitu repræsentaverimus, dubitari nequit, quin de quolibet Societatis Alumno, hujus Arboris Ramo dici possit: *Et folia Ligni* AD SANITATEM GENTIUM.

Nec aliter se res habet, aut habebit.



EX-

EXHORTATIO XXXVI.

Pridie Epiphaniæ.

Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in Regionem ſuam. *Matth. 2.*

OBEDIENTIA quantò aliorum Votorum ornamenta dignitate vincit, tantò ampliora, diviniorâque præmia Cultoribus ſuis repræſentat. Huic Paulus Catacumbas, ſanctiſſimâſque earum exercitationes, & Hieronymus Anachoretarum auſteriſſimum vivendi genus præpoſuit. Mirabilis in hac re Filiorum Jacobi conſtantia oſtenditur, qui, ut ne Patris im-

imperio repugnarent, manifeſtis periculis ſeſe non dubitârunt objicere. Demonſtratur, nihil utilitatis eam obedientiam afferre, cùm Præſes ne ſubditos exaſperet, eorum voluntati obſequitur. Id ſcilicet expertus eſt Eſau, qui licet imperata fecerit, Principatu, quem ſperabat, nihilominus excidit.

150. SAnctiſſimorũ Regum Pietatẽ ſinguli, atq; univerſi veneramur, nemóque eſt, qui non ad Cælum uſq; laudibus efferat tum demiſſionẽ, tum Religionem, quâ corpora ſua, opéſq; ad Christi nati pedes abjecerunt. Et hæ quidem ſacratiſſimarum mentium manifeſtæ virtutes, & venerabundæ Pietatis publici, omniúmque conſpectui expoſiti Theſauri ſunt. Verùm ex hac opulentia oculis ſeſe meis ſingulariter ſpectandum offert Cimelium aliquod non minùs illuſtre ac pretioſum, ſed reconditum magis, Obedientia nimirum, quâ ſe ad rem longè difficillimam,

mam, periculosæque plenissimam aleæ, continuò, ubi Angeli vocem acceperunt, exequendã accinxêre. Nam qui reditum Regib⁹ in patriã indixit, vetuítq; per Solymas iter agere, is necessitatẽ illis imposuit Regẽ, à quo tot officijs culti, & humanissimè auditi essent, datâ fide fraudandi, atq; hanc scilicet illi vicem rependendi, qui, ut ipsorum iter, consiliáq; promoveret, Pontifices, Templi Ministros, & eruditissimos quosq; è Synagoga in Concilium coëgerat. *Congregans* OMNES *Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Et certè hanc solam Herodes referri sibi gratiã à Regijs Hospitibus postulaverat, ut postquam suis Messiam obsequijs coluissent, ad se reversi priore hospitio uterentur. *Et cùm inveneritis,* RENUNCIATE MIHI, *ut & ego veniens adorem eum.* Jam verò tam fœdâ tum ingrati tum inconstantis animi notâ trium Viatorum dignitatem clandestina illa fuga cotaminatura erat, ut ne totus quidem Jordanes abluendæ licet Naamani lepræ idoneus, turpissimæ illi macu-

læ abstergendæ suffectur⁹ videretur. Adde: quòd ea injuria Regem potentissimum petebat, qui naturâ ferox prõptas ubiq; iras vel in domesticos ac consanguineos haberet, nec carissimũ sibi sanguinẽ fundere dubitaret: unde pronum illis erat, iminentem cervicib⁹ suis cladem ominari, ut qui læsum ab se, ludibrióq; habitum Herodem scirent. His tamen omnibus posthabitis, ut imperio, quod somnum inter vigiliámq;, certè non manifestissimum, acceperant, parerent, famã suam totius Palæstinæ criminationibus, & corpora Tyranni ferro laceranda sanctissimi Exules objecerunt. Quæ Principum, tum quoq; Neophytorum, tàm cæca, tam magnanima odedientia, mihi ad Filios Societatis, quæ proprium hoc sibi decus ac gentilitiam quodamõdo Tesseram arrogavit, verba facturo, ansam præbet universos ad constantem hujus Voti observationem exhortandi, utpote quòd non Corpus, aut Gulã; neq; Cor aut sensus, quorum alterum Paupertati, alterum Pudicitiæ proprium est; verùm mentem ipsam ac

vo-

voluntatem refrenans ac cohibens, omnia Vota, quibus ſe unquam vel nemorum Incolæ, vel Cænobiorum Alumni Deo conſecràrunt, longiſſimo intervallo poſt ſe relinquat. Primum igitur quanta ſit ejus Virtutis præſtantia, tum quæ, quámq; præclara bene de ſe meritis præmia perſolvat, ac deniq; quàm ſeveris ſupplicijs ſui contemptum ulciſcatur, videamus.

151. In tam ſublime faſtigium Obedientia Religioſa ſe ſuſtulit, ut cætera ſanctiſſimæ licet integerrimæq́; vitæ decora, conſvetudines, ritus, exercitationes omnes excedat, & ſine æmula Virtutum Regnum obtineat. Quæ res adeò perſvaſa ſanctiſſimis per Ægyptum Cænobijs fuit, ut Patres illi cæleſti lumine colluſtratiſſimi Obedientiã inter cætera virtutum aliarum ornamenta, velut inter minora Sidera, quibus terreſtre illud Solitudinis Cælum refulgebat, Solem quendam præcipuo ſplendore coruſcare debere judicaverint. Ità certè Hieronymus, cùm venerabilium illorum Anachoretarum ſanctiſſimum vivendi genus Euſtochio præſcribe-

be-

Epist. 22. To. 17. 122. beret, testatus est. *Prima apud eos confœderatio est*, OBEDIRE MAJORIBUS, & QUIDQUID *jusserint facere.* Concipere animo nequit, quanta apud eos Regni illius, quod Obedientiæ deferebatur, dignitas atq; præstantia fuerit, nisi qui Angelicã vivendi rationem, quã in Nitriæ, ac Thebaidis desertis sedibus Homines humanã conditionem supergressi tenuêre, cognoverit. Tam severa illis abstinentiæ Lex erat, ut herbã aut radicem aquâ subegisse, luxum & piaculum ducerent. Fractis labore membris lectum ac quietem Silex præbebat. Eorum corpora vel hispida palmæ folia, vel duri junci, vel setosus saccus, vel asperrima cilicia, non tam tegebant, quàm cruciabant; atterebántq; ossa illa, quibus nihil prçter aridã pellem, nec alius vitæ, quàm quotidianæ mortis sensus relictus erat. Eorum Cellas ramalia, ut ab arbore recisa erant, formabant; quæ nec Solis ardorem per æstatem refringerent, nec adversus pruinas, nivésque per hyemem præsidio forent. Psalmodia maximam tum diei tum noctis partem occupa-

pabat. Silentij Lex perpetua, & insolubilis: tam remota ab omni humana consvetudine solitudo, ut ad mutos illos Contemplatores accederet nemo, nisi quem mentis intemperie, vel malo genio agitatus furor eò egissent, ut in arenis illis, quas divina meditantium lachrimæ humectâssent, & diris in se supplicijs sævientium cruor imbuisset, animis corporibúsq; suis sanitatem recuperarent. Labores non quiete, sed laboribus remittebantur; cùm vacarent, attentissimo studio Sacra Volumina comentabantur, de Religiosæ Vitæ perfectione sermones ardentissimos miscebant, desideria concipiebant, vel citò moriendi, vel diu asperrima quæq; tolerandi. In hac tamen tam prodigiosa & humanum modum egressa, & vix animis à corporis contagione secretis concessa cõsvetudine vivendi OBEDIENTIÆ studium præ cæteris ornamentis omnibus sic effulsit, ut & illa illustraret, & virtutes omnes suâ luce destitutas in numerum referret vitiorum. PRIMA *apud eos confœderatio est*, OBEDIRE MAJORIBUS.

152. Magna sunt, inquis, hæc, & præclara Virtutis istius nobilissimę ac Societati nostræ tam propriæ Ornamenta: at ego, nisi laudes, quibus eam Paulus primus Christianæ Romæ Conditor celebravit, retulero, nihil dixi. Hic itaq; cùm Romanos per litteras edoceret, de illa disseruit in hunc modum: *Nam* OBEDIENTIA

Rom. 16. *vestra ad omnes permanavit.* Non solus, inquit, sum, qui vestrã illam sanctissimã obsequentiam admiror; utiq; cùm eam unà mecum Christianus Orbis universus obstupescat, ac veneretur; majorémq; ea res vobis apud nos, quàm apud Ethnicos subjugatus Terrarum Orbis gloriam peperit. Nemo est Christianorum, qui non prædicet vestrum in parendo studium, prõptissimámq; voluntatem, monita omnia, & consilia, quibus vos vestri Rectores informant, examussim consectandi: *Nam Obedientia vestra ad omnes permanavit.* In quem locum brevissima quidem, sed Divina est

Hom. ultim. Joannis Chrysostomi sententia. *Neque e-*

Ep. ad Rom. *nim*, inquit, *ego solus de vobis testimonium*

To. 42. 198. *fero, sed &* UNIVERSUS ORBIS. *Et*

non

non dicit, Prudentia veſtra, SED OBEDIENTIA VESTRA. At enim eâ tempeſtate, qui Chriſtiana ſacra profitebantur Romani, obſcuris in ſpecubus, & ſuis ac Martyrum tumbis deliteſcebant, velut ante fata ſepulti. Lictores expectabant in horas, à quibus ad carcerem raperentur. Null⁹ illis Sol oriebatur, quin timerent, ſe, priuſquam ille diurnum curſum abſolveret, vel à milite ſagittis figendos, vel ſtrangulandos à carnifice, vel ferarum dentib⁹ cōminuendos eſſe. Opulentiſſima Patrimonia pro Sacerdotum pedibus abjiciebant, ut in egentes dividerentur. Ludis, Theatris, Honoribus, tum civilibus, tum militaribus, triumphis, totóq; Capitolio ſe ultro proſcripſerant. Inglorij, neglecti vitam exigebant nullâ neq; Magiſtratuum Purpurâ, neq; Conſulari Dignitate, neq; militari Laureâ, neq; Dictaturæ pōpâ inſignem. Nemo eos non averſabatur, non ad Tribunalia rapiebat, non vitâ ſpoliabat. Equulei, Rotæ, Secures, Cruces in montibus & medio in Foro defixæ quotidiana erant Eccleſiæ primitivæ ſpectacula: neq;

dies abibat ullus, quo non alij furentium equorum caudis illigati raptarentur; alij è Turrib⁹ in præceps devolverẽtur; alij cum Cane & Angue in culeũ inſuti, vel im̃ani ſaxo ad collũ religato in mare dejicerentur, piſcib⁹ eſca futuri. Hos tamen tantósq; Heroës, tam illuſtres Virtute, tam invictos patientiâ, injurijs, contumelijs, ſupplicijs adeò exagitatos ab obtẽperandi ſtudio Paulus com̃endat. *Nam* OBEDIENTIA *veſtra ad omnes permanavit. Non dicit Prudentia veſtra, ſed Obedientia veſtra.* Adeò ſcilicet omnes aſperrimæ ſanctiſſimæq; vitæ Virtutes exſuperat propriæ voluntatis Martyrium: adeò Holocauſtum illud, quo ſe Numini conſecrat, qui Præſidum ſuorũ pedib⁹ caput ſubdit, omnem religioſiſſimorũ ſacrificiorũ fragrantiam vincit. Idem Societati noſtræ in primo exortu ſuo uſuvenit, cùm eã nondũ tot edita in lucẽ volumina, tot Gymnaſia & Litterarum Palæſtræ ubiq; terrarũ publico bono apertæ; tot Provinciæ ad veritatẽ frugémq; reductæ; tot erecta Collegia; tot ejus curâ inſtituti Principes illuſtrâſſent:

Pro

Pro se quisq; Regum eã arcessebat, Regna expetebant, Boni omnes amabant, fovebántq; haud aliã ob causam, quàm quòd tantã apud eam erga Præsides reverentiã, eorúmq; imperijs obsequendi studium esse, sparsâ latè famâ, didicerant, ut ad resigendos ab Urbe celeberrimos nostros Theologos, eósq; ultra Gangẽ, & in extremum Mundi angulũ ablegandos Littera una sufficeret. Nempe illis quoq; S. Patris obsequentissimis religiosissimísq; Alumnis ea laus conveniebat, quâ Romanos nascentis Ecclesiæ primã Sobolẽ exornavit Apostolus. *Nam Obedientia vestra ad omnes permanavit*. Equidẽ illi lineis vestib⁹ amiciebantur; carnib⁹ vescebantur; calceis pedes protegebant; Domicilia inhabitabant à civili consvetudine non abhorrentia, nec vigilijs noctẽ, interpellabãt nec cantu: nihilo tamen minùs Orthodoxæ Religionis Instauratores, Evangelij Magistri, Apostolorũ Simulacra, Pontificiæ Sedis Atlantes, Oracula Conciliorũ, Ethnicorũ Evangelistæ, certissimi ad salutem Duces audiebant, eam videlicet ob

causam, quòd nihil optarent, nihil amarent, præterquā obedirent.

153. Age jam, si tantopere nomen nostrum Obedientia nobilitavit, ut homines Societatis in ipsis etiamnum cunis suis, ut ità dicam, vagientis Maximi Pontifices, Regésq; potentissimi doctissimorū antiquissimorúmque Ordinum Antesignanis æquaverint; quòd si eadem Anachoretarum antra & primorum Christianorum Catacumbas illustravit; quî fieri potest, ut nostrûm ull⁹, vel pedem moveat, vel verbum proferat, vel desiderium cogitationémve ullam suscipiat, nisi ex Obedientiæ consilio, præscripto, nutu? Quid rogo nobis foret infelicius, si cùm hinc austeritate illâ populari atq; plausibili, quæ Solitudinis Religiosæ Incolas Mundo venerabiles reddit, destituti, ex alia verò parte primos nostros Patres in cultûs duntaxat & victûs moderatione, non item in Obedientiæ perfectione imitaremur? Et illi quidem nocturnæ Psalmodiæ, ac perpetui Cilicij molestias tum longis ad remotas Gentes, periculosísq; per infestas

Bar-

Barbaris Terras peregrinationib⁹; tum ergastulis, quæ non refugiebant; mortib⁹ in quas se ultro Ethnicis offerebant; Cathedris, quas apud Orthodoxos obtinebant, relictis; Emporijs, Regum Aulis, Europâ deniq; universâ posthabitâ, unde solo Prę-sidum suorum nutu evocati digrediebantur, abundè cōpensabant. Quòd si verò hęc nos erga Prępositos nostros observantia defecisset, quæ demum res foret tam ingens atq; præclara, ut & invidere Carthusijs non deberemus, & Apostolicorum illorum Virorum Sodales, fratrésq; tantorum Ignatij filiorum appellari possemus? Profectò nisi, ut Scholæ docent, *in fieri & in facto esse* à supremis Societatis motricib⁹ Virtutibus pendeamus, nec ejus partus, neq; partes sumus. Hinc est, quòd Prodigi illius Filij invidum fratrem manifesti erroris coarguit S. Hieronymus, cùm eum Patri per sum̃am injuriam objicientem, & cum stomacho querentem audivisset: *Nū-quam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* O pessimam, inquit, optimi Patris sobolem! indignam prorsus & lacte, quod Luc. 15. 29.

ſuxiſti, & auratis faſcijs, quibus infans adſtrictus es. Túne igitur cum temeritatis tuæ palpatoribus abſq; Patre tuo epulari poſſis? Tu delicias reputare Hœdum non ad paternum focum, ſed temerè raptis ex agro ſtirpibus, & inflamatis ceſpitibus aſſatum? UT CUM AMICIS MEIS EPULARER? En fulmen Orationis Hieronymianæ! *Erras*, inquit, *dic potiùs*, UT TECUM EPULARER. *Aut poteſt tibi eſſe aliqua jucunditas*, NISI TECUM PATRE *celebrante convivium? At tu eâ mente, quâ invides fratri, quâ à patris recedis aſpectu, & ſemper in agro es, nunc quoque vis*, EO ABSENTE, *inire convivium?* Quâ igitur ratione poteſt ullus noſtrûm aut Filium Ignatij, aut Alumnum Ordinis illius ſe credere, qui pro militari Teſſera vexillis ſuis unam hanc ſempérq; eandem ſententiam inſcribit: *Obedientia ſola Virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit*: ſi, Præſidibus ſuis inconſultis, vel librum aperire, vel Epiſtolam ſcribere, vel fomentum admittere, vel deniq; citra eorum veniam rem ullam auſus fuerit attingere? *Aut poteſt tibi aliqua eſſe*

Ep. 146. Damaſo. To. 1. 7. 330.

esse jucunditas, *nisi* PATRE TECUM CELEBRANTE *convivium?* Nisi vel ipsius Sponsæ horti pharmacis nobiles, & florib⁹ amœni tanquã steriles Libyę arenę; & Hircaniæ vepreta, cùm facta nobis à Rectorib⁹ nostris illorũ potestas non fuerit, nobis visa fuerint, non sum⁹ in eorum numero, quos suos dicere Jesus possit. Ipsas quoq; dapes Assveri, nisi Præses noster Conditor, Instructórq; convivij fuerit, veluti Thyesthæas mensas, & Circæa quodam̃odo pocula horrere debem⁹, siquidẽ prima Instituti nostri elementa tenem⁹. Citra beneplacitum eorũ, à quibus regimur, quælibet nobis spica in spinam; unguenta in Mephitim; sum̃a quæq; fastigia Dignitatum in horrenda præcipitia; Magnatum amicitiæ, in odia plus quàm Vatiniana, in infamiam publici plausus, ipsa deniq; Cælestia Sidera in funestos Cometas, & Regum gratia in im̃anitatẽ Tyrannorum sese convertere debent. *Iucunditas*, NISI PATRE TECUM CELEBRANTE *convivium?* Quid enim, si fratris sacrificia & Virtutes in propriam in-

juriam & parricidij argumentū Caino invidia vertit, non itē nobis Obedientiæ jactura delicias omnes ingratas, barbaram sermonis elegantiam, consvetudines odiosas, viles honores, curiositatē inamabilē, funestam lætitiam, opes inopiam, epulas insulsas reddat? Sin: accusabit Hieronymus stuporē nostrum, demonstrabitq;, esse nos velut Tigres inter Oves, cùm, quæ Patribus nostris non probantur, diligam[9]. *At tu eâ mente, quâ invides fratri, quâ à patris recedis aspectu, & semper in agro es, nunc quoque vis*, EO ABSENTE *inire convivium?*

154. At is nimirum inter legitimos divinissimę Obedientię filios censebitur, qui non eâdē prōptitudine Ductorū suorum jussa excipiet, quâ Bethaniæ imperium Christi è tumulo Mors excepit. Vix Servator prodigiosæ Anastasis edictū ijs verbis proposuerat. *Lazare veni foras*, cùm Depositum Tumba sororib[9] reddidit, fratre in vitam restituto. *Et* STATIM *prodijt, qui fuerat Mortuus, ligatus pedes & manus institis*. Non secundus expectand[9] est Mo-

Ioan. 11. 44.

Monitor, non filum è mortuali ſyndone retentum, non punctū temporis inter prodigiū & mandatum interceſſit. Plus imò, quàm receperat, ſepulchrum reſtituit: quippe Cadaveri, quod vitâ caſſum, frigidum atq; iners acceperat, animum, vigorem, motum reſtituit, ut nihil eſſet, quod circumſtantium turba ad plenam perfectámque redivivi Dynaſtæ Vitam deſiderare poſſet. STATIM PRODIIT, *qui fuerat mortuus*. Adde & hoc, quòd, ut beneficium Servatoris ac Potentia magis amplificaretur, nullo vermium pædore, nullâ membrorum corruptione infectus Lazarus, ſed colore tam vivido, tam ſano cōparuit, quàm fuerat, priuſquam morbo corriperetur. Itaq; Meſſiæ poſtulatis non aſſenſum modò fuit, ſed plus etiam, quàm petebatur, oblatum. Sed Auguſtinum audiam[9]. *Non expectavit Mors* ITERATAM VOCEM *Salvatoris audire, quia virtutem vitæ ferre non poterat: ſed* AD UNAM VOCEM DOMINI TOTUS LAZARUS *de monumento vivus proceſſit*, QUI TOTUS IBI NON FUERAT. Serm. 104. To. 43. 76.

Quem

Quem obtemperandi modum nisi in exhauriendis Presidum mandatis servet Religiosæ Familiæ Alumnus, indignus est, qui Obedientis magnificis Titulis cõpelletur. Parum est Exercituum nostrorum militari virtute id solùm, quod jubetur, effectum dare; nisi demandatis expeditionib⁹ dec⁹ addatur, & jussa pugnæ cessatio cum dignitate fiat. Itaq; cùm à rebus, quæ fortè Legibus nostris repugnant, abstinemus, non genas pallor inficiat, non rugæ frontẽ exasperent, sed vultu ac sermone lætitiam animi prodamus. Pariter cùm opera laboriosa, functiones abjectas, munera odiosa tractamus, ea sit oris animíque hilaritas, ut non jugo premi, sed triumphales agitare currus videamur: quo fiat, ut cognoscant omnes, longè gratiorem nobis vilium ministeriorum abjectionem, & duræ, infectæq; provinciæ molestiam esse, quàm unquam Reges prolatis imperij finibus, & statutis ex hoste trophæis exultârint. *Ad unam vocem Domini* TOTUS LAZARUS *de monumento vivus processit, qui totus ibi non fuerat.*

155. Et

155. Et ſanè abſolutiſſimæ Obedientiæ nobiliſſima Palæſtra ſepulchrum Lazari fuit, ſed tamen debilitare fortè animum alicujus poteſt, qui videt interveniſſe Divinitatem inauditorum prodigiorum effectricem, quæ nemo noſtrûm poteſt vel expectare, vel petere. Quare ad religiosũ, tametſi minimè prodigioſum, Abrahami Tentorium gradum faciam⁹, juſſi Filium Iſaacum ſuâ manu jugulare, & divinæ gloriæ Victimam in Montis cujuſpiam vertice im̃olare. Nemo eſt vel tam ſtupid⁹, ut difficultatẽ imperij non videat, vel Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tam ignarus, ut neſciat quàm invictâ conſtantiâ gladium in novũ, & inauditum Hoſtiæ genus ſtrinxerit. Atq; hæc Virtus eâ maximè ratione illi conſtitit, quòd cum nullo mortalium poſt acceptum divinum imperium, ſermonẽ contulerit. Non ſecum ipſe rei novitatem, non duriſſimæ legis acerbitatem; non ea demum, quæ facinus, ut videbatur, impiũ ac ferum conſecutura neceſſariò erant, expendit. Et profectò quemcunq; Vir ſanctiſſim⁹ in conſcientiam tam inſolentis cõſilij

ſilij admiſiſſet, vel ab eo penitus avocatus, vel tam ſegniter frigidéq; fuiſſet executus, ut non tam laudem præmiúmq; è ſacrificio, quàm dedecus ac ſupplicium ob exiguam fiduciam, & apertam perfidiam retuliſſet. Tota itaq; ejus Operis, quod Cæleſtis Pater Filij ſui noſtrâ causâ morituri Typum eſſe juſſit, ſanctitas fortiſſimo ſilentio debebatur, nullum neq; comiſſi operis examen, neq; modi, quem in eo perficiendo tenere deberet, deliberationem ſuſcipi patienti. Abrahamus manum, inquit Origenes, in Hæredis necem armavit, quòd aures divinis Oraculis patere, os verò humanorum conſiliorum inquiſitioni clauſum eſſe voluerit. *Non deliberat, non detrectat*, NON COMMUNICAT CUM ULLO HOMINE: *ſed* STATIM *occupat iter. Surrexit ergo Abraham manè.* Nempe, qui obtemperandi ſtudio tenetur, nec mandatum vocet ad examen, nec alium Ducem requirat, præter ej⁹ ſermonem, à quo Dei vocem accipit. Quòd ſi lucidum fontem ſacrorum edictorũ profanis terrenı́ſq; rationib⁹ turbaverim⁹, Sacer-

Hom. 8. in Geneſ. To. 39, 14.

cerdotales aquas Ænci Maris, quo Levitæ abluuntur, in fœdas limosásq; Paludes, quibus perperam cauti ſordidemur, cōmutabimus. *Non communicat cum ullo homine conſilium.* An verò levia vobis ea mala videntur, quæ juſſorum parit diſquiſitio, Obedientiam ſcilicet in Prudentiam degenerare, Virtutis promerita in quæſtũ verti, æternorum pręmiorum ſpem, in brevis otij fluxæq; dignitatis cupiditatem permutari? Ain' tu hanc eſſe Præſidis voluntatem? ego verò id nôſſe ſatis habebo, & ad cætera cæcus Deum in illo aſpiciam, nec quæſtionem inſtituam, ſatíſne cōmodè, convenientérq; quidpiam præceptum ſit; ſed vitam quoq; in pericula mittam, certus, eam, ſi opus fuerit, profundere, ut ne inſtauratum toties votæ ijs, quos Chriſti Vicarios agnoſco, ſervitutis ſacramentum exuam. *Statim occupat iter.*

156. Neque tamen hæc animi magnitudo, & linguæ taciturnitas in rebus longè difficillimis, & periculi pleniſſimis adeò propria fuit Abrahamo, ut non etiam in ejus Poſteris reluceret, & in cauſa fortè ma-

magis insolenti, atq; ardua sese spectandā præberet. Sanè Patriarcha gladium, sed in alium strinxit. At verò illi, quos cōmemoro, dum imperata facerent, proprium pectus, ac cervicem ferocissimi, ac irritati Militis telis obtulêre. Postquam Esau Jacobum à Labano in patriam, & ad paternas sedes cum numerosa familia redire intellexisset, quadringentos milites seipso imitiores secum rapuit, rectáq;, quà venturum fratrem cognoverat, duxit. *Reversi sunt nuncij ad Iacob dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum cum quadringentis Viris.* TIMUIT JACOB VALDE, *& perterritus divisit populum, qui secum erat.* Quâ in partitione consternat⁹ Paterfamilias apertè fassus est, fratris sui furijs atq; armis primos à se ordines objici, nempe ut, illo in primum agmē sæviente, cæteri temp⁹ nanciscerentur se, impedimenta, & pretiosissima quæq; in tutum fugâ recipiendi. Igitur familiam universam in tres cohortes trepid⁹ Patriarcha distribuit. In primo agmine Balam & Zelpham cum earum liberis ac magno

Genes. 32.6.

nu-

numero Pastorum, & Ancillarum furenti fratri opposuit. Secundùm hos Liam & filios, Rubenum, Judam, Simeonem & Levi cum ijs quos illorum obsequijs addixerat, collocavit. In postremis ordinibus veluti loco tutissimo Rachelem ac Josephum, familiares & Tentorij Ministros tendere jussit. *Posuit utramque Ancillam & Liberos earum* IN PRINCIPIO: *Liam verò & filios ejus* IN SECUNDO *loco: Rachel autē & Ioseph* NOVISSIMOS. Enimverò nemini erat obscurum, quàm iniqua metationis hujus ratio esset, cùm non minore injuriâ primos, quàm honore postremos affectos fuisse constaret. PERTERRITUS DIVISIT POPULUM, *qui secum erat, dicens: si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.* Neq; verò de levi quopiam incom̃odo, vel de loco minùs honorifico, sed de fortunis, libertate, ac vita eorum agminum agebatur, quæ propiùs hosti armato ac furenti ea distributio admoverat. Nemo tamen unus de tam periculosa & iniqua conditione, támq; exi- *Genes. 33. 2.*

gua cura, quam Jacobus erga ipsos, & vitam ipsorum se habere monstraverat, vel verbulo est conquest⁹. At enim querelarum materies inde vehementer augebatur, quòd manifest⁹ esset Patris non omnibus æqui in secundã conjugẽ & natu postremũ amor, cum insigni majorũ natu, primæq; Uxoris injuria pariter & damno conjunctum. RACHEL AUTEM ET JOSEPH NOVISSIMOS. Numquid enim nõ Rubẽ, ac cęteri ej⁹ fratres clamores in cęlũ tollere poterãt, & Patris, quẽ nullâ curâ salutis suæ tangi videbant, imperia incusare, & damnare providentiã? Poterant sanè, &, ut videbatur, jure meritissimo exclamare: Unde tibi in filium post nos omnes à matre, quam tantùm non ad perpetuam sterilitatem illata ab ea Sorori suæ, Matri nostræ, injuria dãnaverat, vix deniq; in lucẽ editũ amor tant⁹, tãtúmq; studiũ? unde deinde nostrûm omnium oblivio tanta, & incuria, quos Natura Cęlúmque ipsum principes posteritatis tuæ, Duces gentis, & rerum omnium Hæredes esse voluit? Cur vitæ illius tantopere

cau-

cautum cupis, qui tam ſerò id mun⁹ accepit? Cur eos, quos tibi non fortuna, ſed Divina Providentia primos filios dedit, in certæ mortis pericula mittis? Enimverò, quoniam tu nobis Pater & Cuſtos eſſe deſijſti, noſtrûm deinceps erit, Matri, noſtriſq; corporibus providere, ac jura Naturæ defendere. Primus igitur occurrat periculis, qui ſorte naſcendi nos eſt conſecutus. Equidem nihil erat facilius, quàm ut is, qui mortalibus omnibus ineſt, erga ſe amor, ſeditioſum ejuſmodi murmur ſpargeret, conjurationémq; conflaret, eorum maximè, qui ſe neglectos, & inferiori familiæ poſtpoſitos à Jacobo videbant. Ego certè populi hujus, qui in re longè graviſſima ne verbulo quidem patris judicio, quo circumveniri ſe haud obſcurè animadvertebat, interceſſerit, & aliorum ſaluti ſuam poſtponere non dubitârit, Obedientiam tantopere miror, ut neſciam an à Sanctiſſimis Benedicti, Baſilij, Antonij, Pachomij, Dominici ac Franciſci Cænobijs majorem illâ requirere ullus poſſit. Atqui non illi Monachi erant, quos diutina Vir-

tutis exercitatio informâsset, sed Juvenes nobilissimi, venationibus dediti; sed illustres Matronæ in amplissima fortuna, erúmque omnium affluentia educatæ. Ea deinde necessitudo, quâ jungebantur illi, à quo, parum abest, ut dicam, per injuriam postponebantur alijs, in quos potior ejus caritas erat, non Voti Religione Deo nuncupati, & ad Martyria expediti inexplicabili vinculo sanciebatur, sed fragili naturæ gravari se minimè patientis, vulgaríq; nexu constabat. Quæ cùm ità sint, credétne aliquis fieri posse, ut Viri Religiosi, qui se Cruci consecrârunt, si fortè vel conclave minùs commodum habitare, vel munus non ità gratum administrare, vel Urbem non celeberrimam incolere jussi sunt ab eo, quem Præsidem ac Ducem se habituros ipso sacrosancti Sacrificij tempore, & inter Sacerdotis manus divinam Hostiam præferentis, publico ac solemni sacramento professi sunt, ut, inquam, palàm reclament, & injuriam sibi factam vociferentur? Ergóne dici poterit, illos, qui se obtemperaturos nullo unquam verbo

ju-

jurârunt; qui, quid omninò Religiosa Cænobia essent, ignorârunt; qui Virtutis Sectatores se non profitebantur; qui nunquã intellexerant Dei Filium obtemperandi studio in Crucem actum mortem oppetiisse, Pastori fugitivo, & ab hostibus circumvento morem gessisse, in re tam ardua, tam periculosa, ut sanguine vitáque ipsâ staret obsequium? Nos verò qui in ea Virtutis Palæstra educati simus, quę Obedientiam Reginam appellet, & tanquam Matrem veneretur, eam vel querelis contristare, vel ad pedes temerè fastidioséq; abjicere, si quando sedem mutare, mun' non gratissimum obire, ac desideria Ordinis nostri sanctitati non admodum respondentia frangere jubebimur. Ego certè ante ipsos Jacobi primos ordines in tot periculis imperterritos, & Obedientiæ causâ certum in exitium ruentes animo defect' conciderem, si vel suspicari unquam possem, fore, ut ullus ex Ignatij Filijs illius nempe Viri, qui perfectissimæ Obedientiæ Victimas nos esse voluit, vel segniter

imperata faceret, vel Præsidum jussis contumaciter obluctaretur.

157. At erunt fortè, qui tam admirandę Obedientię studium elevare conabuntur, causámq;, ob quam principes Viri, feminæq; Patris tametsi tam diverso in suos animo, atq; tam alijs indulgenti, quàm erga ipsos iniquo in tam manifesto vitæ discrimine morē gesserint, afferrent: nempe, inquient, geminæ illæ primorum Ordinū cohortes ex eo Jacobū suspexerunt, quòd is recèns à colloquio cum cælestib⁹ Genijs inito discessisset, quòd nunquā non Deum familiarē haberet, & multò antè Cælum se illi reserâsset, Scalámq; à beatis Spiritib⁹ frequentatā ad dormientis usq; pedes demisisset. Ubi enim tā præclara opinio subditorum animis de Præside suo insedit, jam nemo causari quidquā, nec ullā injuriæ suspicionē potest admittere. Idipsum videlicet apud Plutarchū in eo, quod Trajano inscripsit, opusculo juvenis legi. Equidē, inquit, durissima Lex est, Cæsar, quæ hominem homini reddit obnoxium, multóq; etiam durior est illa conditio, quæ multos

uni-

unius arbitrio ſubdit, & ab hujus voluntate pendêre jubet. Sanè tanta huj⁹ rei difficultas eſt, ut ſuperari aliter nequeat, quàm ſi morũ integritate, Virtutũ ſplendore, amore in ſubditos, erga omnes æquitate pręcellere judicetur, qui præeſt; nec quidquam eorum, quæ vel neceſſitati ſublevandæ, vel remunerandis ſubditorũ promeritis debentur, omittere videatur. *Hominem homini nil aliud manſvetum & mitem reddit*, QUAM BENEVOLENTIÆ FIDES, JUSTITIÆ, ET PROBITATIS CERTA OPINIO. Fruſtra igitur tum noſtri, tum cujuſcunq; alteri⁹ Inſtitutis Præſes ſperaverit, prõptos ad obſequiũ ſubditos ſe habiturũ, niſi paternæ erga ſuos caritatis, æquiſſimæ in omnes voluntatis, incorruptíq; judicij, inſignis morũ honeſtatis, perpetuæq; cum Deo conjunctionis, actiones omnes ad rationes æternas, Evangeliíq; præſcriptũ exigentis famam exiſtimationémq; ſibi conciliârit. Sit nimirum, quod ille dixit. *Benevolentiæ fides, juſtitiæ & probitatis certa opinio.* Non venerationẽ ſed infamiã ſibi Præpoſit⁹ ille pariet,

Politic. ad Trajan. Cæſar. To. 110. 31.

qui comodorũ ſuorũ, quàm alienorũ ſtudioſior, proniórq; ad fovendã ignaviam, quàm ad collaudandã, exornandámq; virtutẽ videbitur. Labes eſt, & macula, quã nullæ ſatis undæ abluant: peſtis eſt, ac Lepra nullo medicamento ſanabilis, ſi quando Præſes ſtrenuè currentes eodẽ ſemper in veſtigio hærentib⁹ poſtponit. Quæcunque licet tenuiſſima ſuſpicio Præſidẽ tanquã perturbationibus ſuis ac privatis ſtudijs obſequentẽ afflaverit, omnibus ejus imperijs auctoritatẽ detrahit, amorem tollit, odium atq; contemptum conciliat. Avertat Deus, ne quando in Nobis, qui tot ejus famulorũ Patresfamilias ſumus, abalienationis, aut privatæ erga ſubjectos amicitiæ affectus non dicã dominentur, verùm etiã ullo ſe indicio prodant: ſic ut bene de nobis ſentientes diſſerentéſque amemus utcumq; in ſtudio virtutis langueant: alios contrà, qui palpũ nobis obtrudere, blandiríq; neſciunt, quantumvis ſint Religioſæ Diſciplinæ retinentiſſimi, averſemur. Nil præter Virtutem ad fovendos eos, exornandóſq;, qui noſtræ curæ commen-

men-

mendantur, nos moveat: & ſolum vitium, Legúmq; incuria manum à largiendis prę-mijs retrahat, armet in ſupplicia ex æquo ijs, quos curam⁹, decernenda. *Benevolẽtiæ fides*, JUSTITIÆ ET PROBITATIS CERTA OPINIO. Atq; hoc quidẽ nobis incũbit, à quibus ſub extremũ vitę articulũ ſevera ratio poſtulabitur, an rectè factis præmia, perperã geſtis pœnas decreverimus. Satis verò id ſubditis erit, ut im̃ortales coronas promereantur, mandata, licet fortè non æquiſſima, exhaurire, & Rectorum voluntates tametſi pravis affectib⁹ corruptas obſervare, ac revereri. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Enimverò res eſt animadverſione digniſſima, quòd, cùm Deus ſæpe ſe Veteris Legis Patribus ſpectandũ dederit, quemadmodum Geneſis teſtatur Hiſtoria, nunquam tamen vel majorẽ apparatũ majeſtatis, vel cæleſtium Sacramentorum clariorem intelligentiã, vel deniq; profuſiorem liberalitatẽ, amplioráq; promiſſa ulli eorũ explicuit, quàm Jacobo poſt exactum primum peregrinationis ſuę diem, ſomnum in ſubjecto cervici lapide

callidum, & ut videbatur, iniquũ consilium impio homini, pulso innocente, regnũ asserentis ejecerat. Nempe ut solus in ędibus, ditionéq; nobilissimæ Gentis Esau dominaretur, miserum oppressúmq; Juvenem domo profugere coëgit, ac nullo neque famulitio, neque jumento ad iter instructũ domo mater exegit. Nullo igitur neq; comite, neq; comeatu instructus in Mesopotamiam iter nobilis Exul arripuit, nempe ut sine rivali pro libidine frater improbus paternis opibus imperaret, & patrimonium penè Regium cum sodalib⁹ suis decoqueret. Jam verò Deus, ut Juvenis illius Obedientiam remuneraretur, ut qui consilio rebus suis tam noxio, tam iniquo, & ad improbitatis Tyrañidem oppressionémq; Virtutis à profana prudentia astúq; politico accom̃odato parêre non dubitârit, spectaculum apparavit ejusmodi, quo æterna Beatorum felicitas jucundissimo tum suo tum Angelorũ oblato conspectu adumbraretur. *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam*, & DOMINUM *innixum Scalæ*. Et hæc sunt illa amplis-

consultum condiderunt tam insolens & à ratione alienum, ut nemo sanus illi obsecutur⁹ videretur. Jubebant triumphalem currũ adornari, pretiosa donaria parari, & impositã plaustro Fulminatricẽ Arcã duobus bobus, nullo cursum aurigâ regente, ad Cultores illi⁹ revehendam cõmitti. Erat profectò res nova, & prodigio similis, id à brutis animantibus expectare, quod ijs natura negaverat, mentem scilicet, ac rationem: velle insuper, ut Vitulorũ suorum mugit⁹ contemnerent, non ubera ijs porrigerent, non occurrentia per viam pabula carperent, sed superatis potentissimis naturæ suæ propensionib⁹, rectũ iter arriperent, prodigiosísq; passib⁹ impressa divini cultûs vestigia post se relinquerent. O ingentem observantiæ, ac submissionis vim, quâ Gentes illæ Præsidum suorum ac Satraparum, quamvis essent flagitiosissimi, atq; eo gradu, quem obtinebant, indigni, voluntati obtemperârunt! Et illorũ quidẽ consilia, horũ verò singularẽ Obedientiam insperato, prodigiosóq; eventu Deus cõprobavit. Quidquid enim Augures

res illi monuerant, in glorioſo Animantiũ illarũ itinere fuit expletum. Tam incõparabili præmio ſapiens eorum obtemperatio donata eſt, qui naturalis poteſtatis rudẽ umbram in Magiſtratib⁹ ſuis venerabantur. Haud equidẽ auderẽ ità diſſerere, niſi S. Joannes Chryſoſtomus eadem ſcriptis ſuis conſignâſſet. *Quoniam igitur Vatibus populi credidêre*, EORUMQUE IMPLEVERE PRÆCEPTUM, *Deus quoque condeſcenſione ſolitâ, Divinorum ſententiam comprobavit:* NEC MAJESTATE SUA PUTAVIT INDIGNUM, *in effectum operis Profanorum dicta perducere, idque agere, ut illi viderentur fideliter ſvaſiſſe.* Atq; hâc ratione hominum impiorum, ſed qui Antiſtites tamen ſacrorum, & falſæ fallacíſq; Divinitatis Sacrificuli eſſent, cõſilijs atq; imperijs fidem conciliare Omnipotenti Deo placuit. An verò Noſtrûm quilibet eodem ſtudio, accurationéq; ſatagat, ut integerrimis, ſanctiſſimíſq; imperijs, quæ Dei Miniſtri unicæ illius Gloriæ, animorúmque noſtrorum profectui promovendo accomodant, ea fides atque

Hom. 6. in Matth. To. 2. 5. 159.

au-

auctoritas constet, illi videlicet nôrunt, qui non verentur interdum, oblatrare Cælo, & imperia illa, quæ demum vera Christi suorum Interpretum ac Religiosarum Legum ore nos alloquentis, nec alijs quàm Ministrorum suorum verbis nos compellantis, oracula sunt, criminationibus suis contaminare non dubitant.

159. Quòd si verò tam barbarum alicui pectus, & in Præsidum suorum damnandis judicijs tam obfirmata mens foret, ut exhibitis Obedientiæ præmijs emolliri negaret; illius fortè, sit licet marmore durior, cõtumaciã franget ferrata Clava, propositúmq; omnib⁹ ijs suppliciũ, qui Æternum Verbũ, quod palàm adeò ac passim in Sacris Litteris se Ministrorum suorum Linguã esse testatur, & Læsæ Majestatis suæ, conculcatæq; Divinitatis reos pronunciat, qui Oratorum suorum dictis non fideliter auscultâssent, contemptui habuerint. *Qui vos audit*, ME AUDIT: *qui vos spernit*, ME SPERNIT. *Qui autem me spernit, spernit eum*, QUI MISIT ME. Et in primam quidem eorum classem, quos Edi- Luc. 10. 16.

ctum

ctum istud fulminat, ij describuntur, qui nullum non Præsidum suorum imperium, nullã non ab ijs promulgatã Legẽ, omnium eorum, qui se Christo in Societatis Calvario, duro quidem, sed nobilissimo perfectæ Obedientiæ Clavo confixerunt, munia, missiones, & ab uno in aliud domicilium migrationes ad Censurã, vocant, & per sum̃am temeritatem quæstioni subjiciunt. Hi nimirum cum sacrilegis æternę Providentiæ Cavillatoribus fœd⁹ feriunt: & Legum causas, rationésq; Edictorum, vel exquirunt, vel divinando assequi tentant: nec interim animadvertunt infelices, Scrutatores Majestatis è pacis gremio excuti, & in Labyrinthos inexplicabiles turbulentissimæ inquietudinis involvi, omni spe succisâ, è pravis judicijs, perpetuísq; animi angustijs unquã in apertũ evadendi. Remittam⁹ hos sanè ad Academiam Origenis, qui oculos eorum pretiosissimâ & cælesti opere contextâ fasciâ velabit, ut Capitib⁹ suis caput submittere, &, loquente Deo, tandem obmutescere discant. Acutissimus enim ille Sacrarum Litterarum
In-

Interpres cum geminorum fratrum Esaui atq; Jacobi mirã nascendi sortẽ attentâ cõsideratione trutinaret, interrogatus à non nemine fuit, quid causæ fuisse arbitraretur, quòd prior quolibet Urso pilosior, ferocióorque; cruoris avid⁹, & ferarũ consectandarum studiosus nasceretur: alter verò crystallo lævior, lilióq; candidior edit⁹ in lucẽ in Matris obsequio, paternæ supellectilis diligenti custodiâ, & domesticis curis intentus perseverârit. Hîc Origenes haud diu cunctat⁹ nostrarũ, inquit, partiũ est, Historiã admirari, & verecundo timore varias divinæ Sapientiæ artes reb⁹ à se conditis, non corp⁹ magis quàm animum diversâ specie fingentis, venerari. Possum equidem vobis improbos mores, perversámq; illius indolem explicare; at verò cur tam diversum ab altero vivendi gen⁹ alter arripuerit, docere vos haud possum. NON EST MEUM DISCERNERE. Quòd si enim in altissimum Divinæ Providentiæ Pelag⁹, & impenetrabiles gubernatricis Sapientiæ tenebras me im̃ittere ausus fuero, idem mihi, quod Israëli quondã, eve- *Hom. 12. in Genes. To. 39. 24.*

niet: quàm primùm enim divinorum consiliorum abditos recessus ingenio tentare, perscrutaríq; cœpero, non jã puteos, quib⁹ Christiani Greges sitim expleant, effodiã; sed Tartareos Cives Philistæis omnib⁹ ferociores excitabo, qui cavernas meas, quas aperuero, fœdissimo sabulo, terráq; quam Draconum spumæ inquinârint, & venenis suis infecerint Basilisci, ad os usque opplebunt. *Si enim voluero* IN ALTUM FODERE, *& aquæ vivæ latentes venas aperire, continuò aderunt Philistini, litigabunt, rixas commovebunt*, ET INCIPIENT REPLERE TERRA SUA PUTEOS MEOS. Intelligitis, opinor, Patres Fratrésq;, si de præceptorum æquitate convenientiáq; incerti, consilia necessitatésq; eorum, qui imperant, investigare volueritis, aderunt continuò homines, qui, jam olim simplicitate depositâ, callidis artibus animum imbuerunt, & non modò eorum, qui parent, palmas non extollunt, non amplificant merita, sed Edicti gravitatem, iniquitatémq; tantis incrementis exaggerabunt, ut ab eorum sermone mentem refera-

ra-

ratis averſionis ab Obedientiæ jugo, & injectâ ab illis glebâ tam plenam, ut quævis Præſidis vox, mot⁹ omnes, mutatio, & imperiũ quodcunque vobis non Cæleſtium globorum Angelicis impulſa manib⁹, & ad animorum veſtrorum accom̃odata utilitatem agitatio, ſed moleſtiſſima & cupiditatis impetu circumacta vertigo videatur; quæ tranquillitatem perturbet, & de gradu vos ac dignitate veſtra dejiciat. *Incipient replere* TERRA SUA PUTEOS MEOS. Quid autem aliud agunt Conſiliarij ejuſmodi utì terrâ pleni, ità cæleſtium rerum inanes, quàm ut, dum quemlibet Religioſum motum ad humanas rationes exigunt, Societatem ex Apoſtolicis Operis conflatam in nobilium Canonicorum Collegium convertant? Felicem enimverò beatámq; vitam vivebatis, dum latêre, dotes ornamentáq; veſtra premi, cupiditates veſtras marceſcere, Evangelicæ agriculturæ gen⁹ quoddam eſſe cum animis veſtris reputâſtis, certi vos tanquam Electum Chriſti frumentum in ejus Agro tantiſper ſepeliri, ut ſubinde in beatæ Spi-

cas æternitatis assurgeretis. At verò quamprimùm pravi Consultores Serpentis illius, qui Evam circumvenit, Vicarij aures vestras sibilis suis perculerũt, plurimùm de studio Virtutis remisistis, & emptam toto, quantuscunq; est, Mundo serviendi Deo facultatem exosam habere cœpistis. *Incipient replere* TERRA SUA PUTEOS MEOS. Atq; hâc animi ægritudine nihil gravius, aut perniciosius fingi potest: simul enim Legum sanctitas, & integritas Instituti, quod nobilissimi instar Diadematis tempora nostra nuper coronabat, adorari à nobis, sumóq; in pretio haberi desierit: simul omnis ille ornatus excidit capiti, & ad pedes provolvitur, deinceps velut inhonesti servitij Catena, & tanquam abjectæ turpitudinis stigma conculcandus.

160. Hæc porrò molestia tã vehementer affligit animum illius, qui pestiferis cõsilijs ab Obedientia se abduci passus est, ut paulatim ipsa quoq; Religiosi Vocatûs vitalia carpantur, atq; omnis pietatis sensus, & Apostolicę Virtutis studium emoriatur, atq; intereat. Minimo enim intervallo distant

ſtant Obedientia contemptui habita, & Inſtituti Religioſi meditata Deſertio. Id ſcilicet divinavit Gregorius Nyſſenus, cùm Divinæ Voluntati eandem in Terra reverentiam & obſequium deferri juſſit, quo ea colitur, obſervatúrq; in Cælo. *Fiat voluntas tua,* SICUT *in Cælo & in Terra.* Iſthîc ſapientiſſimi Cherubini, & ardentiſſimi Seraphini nil aliud volunt, optant, requirunt, agunt, quàm ut imperanti Deo auſcultent, & Divinæ Majeſtatis Solio advoluti excepta imperia prõptiſſimis & lætiſſimis mentibus obeant. *Facientes verbum* *Pſal.* 102.
illius, AD AUDIENDAM VOCEM 20.
ſermonum ejus. Tanta illis parendi aviditas ineſt, ut dum mandata quæpiam perficiunt, alia ex alijs ſibi concupiſcant injungi. FACIENTES *verbum illius*, AD AUDIENDAM *vocem ſermonum ejus.* Perinde ac ſi dicerent, imperia ſine numero ingere, & juſſa multiplica, ſiquidem nos eſſe beatos, Numen, cupis: nec enim nobis ad plenam im̃ortalémq; felicitatem ſat eſt, te viſo perfrui, niſi jubenti quoq; morem geramus. Et profectò ut homini Societatis

hujus plena tum animi tum corporis sanctitas constet, non est aliud potentius Alexipharmacum, quàm perfectissimum hoc Obedientię genus omni studio consectari.
De Orat. To. 13. 4. *Fiat voluntas tua*, SICUT *in Cælo & in Terra.* Sed ipsum Gregorium audiam⁹. *Sanitas*, inquit, *animæ est*, *divinæ voluntatis prosper successus: quemadmodum excidisse bonâ voluntate, morbus animæ est* IN MORTEM DESINENTIS. Igitur, si nullo discrimine, clausísq; ad alia omnia oculis, exequêris, quod tu⁹ tibi Præses injunxerit, inter Christi Milites Gigas eris, & invicto robore Cacodæmones omnes ad terram dejicies. Sin ratiocinari tecum, & expendere, recténe an secùs imperatum quidpiam fuerit; vel edicta, quæ adorare debueras, odisse criminaríq; cœperis; jam tum de salute, ac vita tua conclamatum esse scito. MORBUS ANIMÆ EST, *in mortem desinentis*. Propè scilicet abes à detestabili in Seculum reditu, jámq; naribus tuis ollæ fumant Ægyptiæ, ac carnium illarum gustus turpiter deceptam mentem solicitat. Quo fit, ut, nisi quamprimùm ve-

veterem erga Rectores tuos obſervantiam inſtauraveris, è Sinai vertice ad Rameſſes Caminos gradum revoces, ac denuo paleas lutúmq; tractans, nõ Pharaoni, qui Mẽphim tibi odioſam incuſſis flagrorum ictibus reddat, ſed effrenatis cupiditatibus tuis ſervias, quæ te inanis ſpei vetitæq; voluptatis illecebris in conſilio ſacrilegi tranſfugij, & Defectionis falsâ ſpecie pictæ, velut obtentâ à Votorum Religione im̃unitate ſecurum, magis ac magis confirment. *Bonâ voluntate excidiſſe, morbus animæ eſt in mortem deſinentis.* At enim, exclamat hîc Hieronymus, mollis hæc nimiùm denunciatio eſt ejus exitij, quod contumacibus im̃inet. Non enim Refractarium illum Calcitronem lethale frigus quatit, ſed à vermibus arroſum tumulus claudit, adeóq; quatriduano Lazaro putidior procul arcet accedentes, & intuentes exanimat. Supplicia namque illa, quibus Veterum Tabularum Lex eorum corpora lacerari iubebat, qui iuſſa Pontificum ſpreviſſent, Eccleſia in animi carnificinam multò terribiliorem, inſanabiliorémque tranſtulit:

lapidibus enim, quibus illi obruebantur; securibus, quibus feriebantur, subrogata sunt turpis à Cruce Defectio, mentis à Cælo aversio; & ad Terram conversio, quæ contumacē animum longè diriore supplicio conficiunt. Cui autem animus constet, cujus art⁹ non intremiscant, qui Divini honoris studio acerrimi Senis Orationem audierit? *Et in veteri quidem Lege,* inquit, *quicumque Sacerdotibus non obtemperâsset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut, gladio cervice subjectâ,* CONTEMPTUM EXPIABAT CRUORE. *Nunc verò* INOBEDIENS SPIRITUALI MUCRONE TRUNCATUR, AUT RAPIDO DÆMONUM ORE DISCERPITUR. Sanè nemo est nostrûm, qui, si hoc loco videret, violatarum Legum Reos vel saxis obrui, vel securib⁹ plecti, non animo gravissimè consternaretur. Enimverò multò his atrociora consequuntur, cùm profusioni cruoris Pietatis interitus substituitur, & morti omnib⁹ comuni Virtutis & Apostolicæ Vitæ jactura sufficitur: quæ calamitates

Ep. 1. ad Heliod.

To. 17. 4.

tes in ſolos improbos cadunt, eóſq; qui ab Obedientiæ ſanctiſſimis rationib⁹ alieni ſunt.

161. Neq; verò credat, ſe turpiſſimi hujus ſupplicij, mortíſq; duriſſimæ gen⁹ vitaturum, qui, quod unicè cupit, è Præſidum manib⁹ accipit. Certè Deus Judæam Gẽtem Regalis Solij ambitioſam, & avidam Purpuræ voti ſui damnaverat. Petebant iſti, ut, abrogato Pontificum imperio, Reipublicæ cura penes Reges eſſet, ipſíq; Sacerdotalibus Infulis in gem̃ata Diademata com̃utatis, conterminis Gentib⁹ æquarentur. CONSTITUE *nobis Regem, ut judicet nos*, SICUT *& univerſæ habent Nationes.* Et quamvis Samuel nihil non ageret, ut impotentis populi furorem ſiſteret, palámq; poneret ob oculos, quàm Deo, cujus Sacerdotes profano Principi poſthabebãt, injurioſa ea petitio eſſet, perſtiterunt illi nihilominus, donec intentiſſimis eorum precib⁹, maximíſq; clamoribus fatigatum Numen annuit, & in Regis inaugurationem conſenſit. En tibi petitionẽ non Præſidis alicuj⁹ aſſenſu, ſed Dei Opt. 1. Reg. 8. 5.

Max. concessione firmatã. Num tu ideò, quòd supplici Tribuum Israëliticarum Libello digito suo Deus subscripserit, imũnes à supplicio eas fuisse arbitraris? Minimè verò gentium. Quippe sub impotentis illius cupiditatis umbrâ unus, & alter Jeroboami Vitulus, tótq; inanium Deorũ simulachra latebant, quæ deinceps perfidæ Gentis illi⁹ Reges in omni, quâ patebat, ditione suâ erexerunt, & subjectis sibi populis, intentato mortis metu, adoranda proposuêre. Prô vecordiã, exclamat Gregorius, infelicémq; Populi calamitatem, qui novi Principis dignitate, purpuræq; fulgore excæcatus, latentia sub Throno Monstra, pestésque Paludamento contectas minimè prævidit. *Et illi quidem contra Domini voluntatem Regem petierunt, sed à Regia dignitate postea actum est*, UT POPULUS IDOLA COLERET, ET SIMULACRA ADORARET. Porrò Gregorius è detestabilis mali principio formidabilem consecutionem deducens, Cavete, inquit, filij mihi carissimi, ne unquam ab eorũ consilio, quos Deus vobis Du-

Lib. 4. in 1. Reg.
To. 25. 59

Duces esse voluit, sententiáq; discedatis. Tam venerabilis enim sacrorum Præsulũ voluntas, & verenda nobis adeò eorum auctoritas esse debet, ut ijs se opponere tũ quoq;, cùm cupiditatib⁹ nostris obsequi Cælum videtur, perinde sit, ac vastas sibi sub pedibus novorum,& nunquã antehac cogitatorum facinorũ voragines aperire: atq; in ipsis Siloës undis naufragiũ Religionis adire, illo funestius, quod Pharaonẽ Tyrannum, Ægyptiósq; Sicarios Erythręi maris vorticibus hausit. *Ergo* (gravissimi Pontificis verba sunt) *quàm reverenda sint Majorum consilia cernimus. Si hoc solicitè consideramus: quia, qui ea despicere ausi sunt, hoc se non præviderunt agere*, UNDE TAM PROFUNDO ERRORIS PELAGO DEMERGI POSSENT. Enimverò mori mallet, siquidem iminentia sibi mala mente præciperet, quàm voti sui damnari, qui, quod non oportet, à Præsidibus suis postulat,& importunis precibus ex eorum manibus extorquet, quod ideò non negãt, quia timent te repulsæ impatientẽ è Templi Coronâ in Licentiæ vorágines præcipitem

tem iturum, vel certè in Ordine Religioſo tam averſo, mœſtóq; animo remanſurum, ut corpore quidē ob Diſceſsûs infamiā retentus inter nos, affectu verò ac voluntate in Magnatum Palatijs, atq; ædib⁹ conſanguineorum cōmoreris. *Conſtitue nobis Regem, ſicut univerſæ habent Nationes.* Avertat Deus, ut in Sacroſanctis Societatis noſtræ Adytis, in quib⁹ non alij, quàm Evangelicæ Modeſtiæ, & Apoſtolicarum ærumnarum odores fumant, Titulorum ab Ignatij Hæredibus alienorum, vel im̄unitatum Primis Patrib⁹ noſtris inviſarū Sulphur Arā Thymiamatis cōtaminet. Ne Diſciplinæ noſtræ ſolidiſſima cōpages in tenuē alicubi rimam dehiſcat, per quam ſecularis faſtûs imitamenta quæpiā, ætatis privilegia, geſtorum munerum prærogativi honores, aliæq; ejuſmodi corruptelæ à Majoribus noſtris fulminatæ, & ignotæ barbareq; Sancti Parentis filijs voces aditū aliquem ad ſanctiſſimum vivendi morem antiquandum inveniant. Neq; jam pluribus agam, contentus id cōmemoraſſe, quod teſtatur Gregorius, decreta Contuma-

maciæ ſupplicia neutiquã ab eo vitari, qui Diplomata cupiditatibus ſuis faventia manu Præſidis ſubſcripta oſtentat.

162. Pergamus. Tum etiã, cùm nihil petitur, fieri poteſt, ut Rectoris imperium vulnifico Rubo, quàm triumphali Palmæ, mortifero veneno, quàm im̃ortali Ambroſiæ ſimilius evadat, & rem præſcriptã obeunti pro vita mortẽ conſciſcat. Hîc enimverò me ſenſus ac ratio deficit, nec ſeveritatis divinæ altiſſima judicia, & læſæ Obedientiæ implacabiles iras capere poſſum. Nihil minus tum cogitabat Eſau, cùm à Patre moribundo advocaretur, ut Principatûs jura, rectéq; imperandi præcepta capeſſeret. Arcum, inquit, ac pharetrã cape, & in proximam ſylvam profect⁹ Cervum aut Capreã excipe, ut eâ prædâ fami meæ remedium, tibi verò felicitatẽ pares. SUME *arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me nôſti, & affer, ut comedam,* ET BENEDICAT TIBI *anima mea, antequam moriar.* Gen. 17. 3.
Erat profectò vago erraticóq; Juveni nova

hæc

hæc patris oratio, & inexpectata tantæ felicitatis promiſſio. Igitur haud cunctatus, mandata patris obitur⁹ rapit arma, nem⁹ curſu petit, & poſtquam aliquamdiu ferā veſtigâſſet, captā jumento imponit, & ad parentis Tentorium defert. Idem ſubinde Venator, Structor, Coquus dapes ſeligit, ac ſuâ ipſe manu condit. Nec tamen, quæ cæleſtis Providentię occultiſſima ratio fuit, Patrem aut pavit, aut ab eo Regnum in poſteros obtinuit. Ecquod autem Myſterium, quámve tam grandis Arcani rationē putabim⁹ fuiſſe, ut tam prōptam Obedientiā diverſiſſimus eventus, & pro præmio dedec⁹ conſequeretur, & irreparabili damno imperata facientis diligentia mulctaretur? Nempe Jacob fucū Patri facit, & ab eo ſceptrum recipit. Eſau nihil omittit eorum, quæ juſſus fuerat, & Principatu dejicitur. Hunc nodum, niſi fallor, ità diſſolves. Haud fugit Iſaacum, quàm abſurdum foret, Natalium Primatum, cui promiſſi Meſſiæ Ortus erat annexus, venationis & deliciarum præmium eſſe. Sed nec illud ignoravit Senex optimus, nimirum fore, ut
ſi

si filium improbum, vel Chananæas Uxores repudiare, vel amicos Idolorum Cultores à se dimittere, vel cum Matre in gratiam redire, vel traditas Leges & consvetudines servare, vel Religiosas Victimas im̃olare, vel noctẽ unam pijs vigilijs traducere, vel inediâ corpus macerare; vel deniq; rerum divinarum meditatione mẽtem occupare jussisset: futurũ inquã, ut homo nequã nullum tam pium consilium admitteret, nullã è rebus præscriptis exequeretur: quò fieret, ut ea imperia, quibus pietatem, integritatem, austeritatẽ vitæ colere juberetur, ad hoc solũ valerent, ut contumacior Virtuti, & faustis imprecationibus ineptior redderetur. Quam ob rem id illi maximè demandavit, quod illi maximè volupe sciebat esse: adeóq; ut sibi morigerum obedientémq; haberet, in eã adduci mentẽ se passus est, ut bonâ quidẽ mente, sed, ut exterior species præferebat, non optimo consilio Primatûs, qui secum Æterni Verbi è posterorum sanguine nascituri sortem trahebat, Divinitatem per actiones nec suâ naturâ sacras, & si appara-

ratum earum ſpectes, abjectas & viles, ſi fas eſt ità dicere, profanare deliberatū haberet. Jam verò, quia non id, quod oportebat, injunxit, ſed quod ſperare ab improbo Nato poterat propoſuit; hinc eſt, quod demandati operis executio dedecus illi peperit, primas partes abſtulit, & ſervitutem præparavit ac cōpedes. Cujus rei adeò mirabilis, atq; obſcuræ cognitionem Petro

Opuſcul. 12. *To.* 16. 148. Damiano referre acceptam debemus. *Eſau venatum prodiens* PATERNIS JUSSIONIBUS PARUIT: *& tamen nec Patri cibos offerre, nec optatæ Benedictionis meruit primitias obtinere:* QUIA, *ut Patri cibos ſtudio venationis acquireret, non magis paternæ juſſionis per Obedientiam paruit,* QUAM INOLITÆ CONSVETUDINI QUODAMMODO TRIBUTA PERSOLVIT. Non itaque Obedientię, prōptæq; ad obeundum imperium voluntatis illa virtus eſt, cùm ea Præſes ſubdito peragenda mandat, quæ non ad ejus emendandas, ſed explendas potiùs cupiditates valent. Quippe in hac Præſidis cum ſubdito, & illius voluntatis cum hujus cupidi-

pidi-

piditate consensu ambiguũ quoddã Monstrum existit, quod fronte Obedientiã præfert, cæteris verò suis membris omnibùs fœdæ servitutis, quã Superior Inferiorum cupiditati, atq; licentiæ obsequitur, imaginẽ abscondit. Quapropter nemo sibi Coronam Religiosę Obedientię sub mortem imponendã speret, qui quamvis nullam precum vim adhibuerit, ultrò sibi plenissimã facultatẽ fieri videt, eo loco comorañdi, quo placuerit, & eâ ratione vitã agitandi, quam maximè probaverit.

163. Atq; hæc illa fuit rationum conturbatio, quã adeò Claræ-Valli suæ metuebat Bernardus, cùm palàm Monachis suis denunciaret, multis eorum inter somniatas fucatæ Obedientię coronas contumaciæ probrum im̃inere. Quòd si enim Antistes tuus, inquit, desideria tua mente pręcipere, & consilijs tuis favere studuerit, poterit ille quidẽ Mercenarij Pastoris fortè notã vitare, nempe quia desperat, aliter te regi posse; tu verò nũquã refractarij turpẽ ignominiã ac perduellionis crimen effugies: quippe, cùm adversantia votis tuis

imperia nubilo vultu excipias, necessitatẽ imponis Pręsidi, ad tuos sese nut⁹ fingendi. Serm. 1. in Conv. S. Paul. To. 43. 161. *Profectò* MULTORUM *usque hodie perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat.* QUID VIS UT FACIAM TIBI? *Non in omnibus parati sunt obsequi. Discernunt, ac dijudicant; eligentes* IN QUIBUS OBEDIANT *imperanti*, IMO IN QUIBUS PRÆCEPTOREM SUUM IPSORUM OBEDIRE NECESSE SIT VOLUNTATI. Age jam, si in Cænobio sanctissimis moribus, & austerissimis Legibus instituto, & cùm vel maximè, utpote haud longè ab exortu suo, flagrantissima Virtutis, suíq; divexandi studia vigerent, reperire cõplures fuit, qui à veræ Obedientiæ rationib⁹ exerrârint: poteróne ego ità perfricare frontẽ, & tam putidæ adulationi vocẽ cõmodare, ut palàm edicã, nunc quoq; post exactũ seculum, omnes planè, quotquot inter nos degunt, perfectæ Apostolicæq; Obedientiæ Laureâ evinctum caput ostentare? Terrent profectò me, terrent Sanctissimi Abbatis Oratio, & Esavi ab Electorum Cœtu segregati

ti calamitas; cùm intelligã in Divinæ Majeſtatis violatæ crimen, & extremum utcunq; imperata facientis exitiũ verti rerũ injunctarum executionem, ſi quando, qui jubet, potiorẽ curã habet ſubditorum propenſionib⁹ obſecundandi, quàm Provinciæ neceſſitatibus, ſalutíq; Animorũ conſulendi. Hiſtrionũ Mimi, non Angelis ac Deo digna ſpectacula ſunt Anni illi, quos in Collegio aliquo cum magna utrinq; pace ſubditi Præſidéſq; exegerunt, ſiquidẽ Obedientia in Convenientiã degenerârit, & id potiùs Præpoſit⁹ curat, quod ſubjectis placere, quàm quod integritatẽ Vitæ, morũ ſanctitatẽ, Diſciplinæ vigorẽ, Proximorũ utilitatẽ & approbationẽ, ſoliditatẽ Doctrinæ, Gymnaſiorũ dec⁹, Diſcipulorum profectum, omnium deniq;, quibuſcum verſamur ſalutẽ promovere poſſit. Heu, quàm vereor, ne de aliquibus, qui ſacros intra parietes totum pene ſeculum commorati ſunt, atq; adeò meritis opulenti, virtutéq; à diuturnâ ſervitute, quam Chriſti Vicarijs ſervierunt, inſtructiſſimi videbantur, poſt eorũ è vita exceſſum Infero-

Psal.75.6. rum Rex illud Psaltis dictum objiciat. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt Viri divitiarum in manibus suis.* Diu, multúmq; servierunt, & parum oppidò lucri fecêre. Humeros Votorum jugo attritos, manus mercedis inanes retulerunt.

164. Sed perorem⁹ aliquando, & ratiocinatione, cui, quid opponi possit, haud equidẽ video, universam orationem concludam⁹. Si cadit, & interit is quoq;, qui Duci suo morẽ gerit, atq; ea, quæ desiderijs suis consentanea mandantur, exequitur: quâ demum ratione mortem effugiet, & felicem, æternámq; vitã obtinebit, qui expressæ voluntati Præsidis sui palàm repugnat? Hanc pertinaciam nulla materiæ, veluti scholæ loquuntur, levitas, nec erroris tenuitas absolvit, quin excellentia, dignitásq; Virtutis deperdatur. Quocirca nihil, aut parum admodum interest, gravis an exigui momenti res imperetur, quam perficere detrectas, ut non perinde Obedientiæ Virtuti te mortuũ credere debeas. Sanè in Adamum mortis sententia lata, & universi Orbis ademptũ illi fuit Imperiũ,

quòd

quòd Pomi fragmentū dente momorderit. Tonare hoc loco credes, non loqui Gregorium. INOBEDIENTES *aſpiciant, quia primus humani generis Parens à Paradiſi gaudijs nec furto, nec adulterio, nec homicidio,* SED POMI VETITI *inobedientiâ corruit.* Folium ex arbore, non factâ priùs ad id poteſtate, direptū; epiſtola invito Præſide ſcripta; Liber abſq; ejus permiſſu lectus; vocula tempore non ſuo prolata, papyracea Cælitis alicujus Icuncula citra regentium voluntatem, vel alteri donata, vel in cubiculo conſervata ſatis eſt, ut à delicijs, quas in Evangeliorum meditatione, in alienæ ſalutis procuratione, in demandatorū munerū adminiſtratione, & in ipſa deniq; ſenſuū ac membrorū noſtrorum voluntariâ afflictatione percipimus, exiliū nobis indicat. Quam ob rem, qui nullam è reb⁹ ſacris voluptatem capit, cui Religioſum jugum grave, moleſta Legū vincula, Miſſionū labores inviſi ſunt, etiam atq; etiam animadvertat, an nihil contra Præpoſitorū Edicta quacunq; in re, licet minimâ, & quodamodo viſum fugiente, peccaverit.

Lib. 2. in 1. Reg. To. 25. 35.

Pomi uniꝰ guſtus, non Gulæ vitio, ac vo-
racitate, ſed ob metũ ne thalami ſociæ diſ-
pliceret captatꝰ, Adamum è beato illo, &
im̃ortali nemore in exilium ejecit. Et ille
quidem admiſſi erroris longiſſimas pœnas
lubenti animo tulit; neq; ſecum ipſe vel
cum Conjuge queſtus eſt unquam, quòd
ob rem leviculam, præmorſum videlicet
pomi fruſtulũ, tanto Regno ſpoliatꝰ fuiſ-
ſet, quòd animantium omnium rabies cõ-
tra ſe concitata, tempeſtatũ injurijs, mor-
bis, cruciatibꝰ, morti objectꝰ eſſet. Tulit
omnia, nihil contrà repoſuit. Fateor ſanè,
me primi hominis ignaviâ, quæ ad violan-
dam Legem eũ adduxit, ex eo ſaltem ca-
pite minùs offendi, quòd duriſſimam ſen-
tentiam animo tam æquo ſubierit, pœnas
graviſſimas tantâ conſtantiâ receperit, at-
que perſolverit. Neq; verò Deus ſiverit,
ut, errores noſtros moderatiſſimis anim-
adverſionibꝰ caſtigari, grave alicui mole-
ſtúmq; accidat. Quid? niſi animus noſter
flagrũ illud lanâ goſſypióq; textũ deoſcu-
letur, quo, ne in virtutis ſtudio curſum re-
mittamꝰ, admonetur potiùs quàm vapu-

lat,

lat, ſeu Legũ, quas S. nobis Parens præſcripſit Ignatius, ſeu Canonum, quos Societatis noſtræ Generales Conventus ſanxerunt, ſeu denique Monitorum, quæ nobis illi tradidêre, quos Dei nomine Rectores accepimus, incuria neglectúſque vindicatur, pudere nos noſtri velut in manifeſto dedecore deprehenſos oportet. Quis enim ferre poſſit, Virum illum, cui Vitæ immortalis munus conceſſum erat, mortis ſententiam æquo animo ſubire, qui ſimul ac vivere cœpit, imperium Orbis terrarum nactus fuerat, eo exutum ſeſe atque in ordinem redactum videre, quin ſeveriſſimæ proſcriptioni intercederet, vel ſupplicij gravitatem deprecaretur: ex alia verò parte homines Religioſos Cruci conſecratos, quíque à ſe in rebus omnibus continuam ſui *Mortificationem Abnegationémque* quæri profitentur, cauſari, obſtrepere, reluctari, ſi quando jubentur, flexis humi genibus Pſalmum aliquem recitare, vel ex humiliori menſula cibum ſumere, vel pavimento Crucis figuram prono ore impri-

primere, vel aſſidentium pedibus oſculum pangere, & ſi quid aliud Præſides pro muneris ſui ratione, ſempérque ad exaugendam eorum, quos à communi Matre filios acceperunt, Virtutem, vel etiam ad abluendas eorum maculas aliquas profusâ unâ vel alterâ ſanguinis ſtillâ, paterno animo, moderatione prudentiáque ſummâ, ijs aliquando injungunt. Id ſanè, ſi eveniret unquam, non aliud foret, quàm nocentiorem ſe vel ipſo Adamo reum facere, cui vulgaris eſca Crucem fixit, & ſub pedibus ſepulchrum aperuit. Peccaret verò multò graviùs, qui temperatam adeò caſtigationem, vel averſaretur animo, vel ſic admitteret, ut ſubinde, contrà, quàm proborum omnium uſus ferat, querelis, clamoribúſque eum, à quo emendari debuit, inceſſeret. Et certè, qui perturbationibus ſuis hâc ratione obſequitur, non is animum dolore levat, ſed opprimit. Et Naves quidem tempeſtatibus agitatæ, quò plura onera in altum projiciuntur, tantò magis allevantur, & expeditiùs nau-
fra-

fragium fugiunt: at contrà humanis animis accidit; hi enim si dolorum suorum & injuriarum, quas factas sibi arbitrantur, impatientes jactum faciunt, quò magis se exonerant, eò profundiùs merguntur. Cujus rei ea videlicet causa est, quòd in eo exacerbatæ mentis impetu simul cum querelis suis Patientiam, Obedientiam, Pietatem, omnem denique Virtutem projiciunt, inque vicem mœrore, odio, ac desperatione se complent. En quod discrimen inter geminas jacturas intercedat: quod rudi stylo à me relatum eleganti atque aureâ Joannis Chrysostomi facundiâ descriptum est. *Nam ibi quidem post onera ejecta* NAVIS LEVIOR REDDITUR: HIC VERO GRAVATUR. *Nam pro divitijs virtutum ejectis, arenam atque aquam fœtidam sibi coacervavit, quibus* NAVICULA *cum Vectoribus atque gubernatore simul* DEMERGITUR. Cujus naufragij exitium, cùm formidaret David, si quando molestiâ aliquâ, ægritudinéque animi premeretur, os sibi cælesti freno coërcebat, im-


Hom. 58. in Matth. To. 2. 5. 284.

Psal. 76. 5. ponebátque necessitatem tacendi. *Turbatus sum*, ET NON SUM LOCUTUS. Sed & ipse tacentem Davidem imitatus verbum ultrà non addam; eâ tamen lege, ut nemo, cùm pravis animum suum motibus agitari, fremeréque cupiditates suas, & vel imperanti obstrepere, vel emendanti ob medicamenti impatientiam obmurmurare persentiscit, verbum ullum proferat. Obversetur semper oculis nostris Sanctissimorum Regum Obedientia, qui somniatæ ut ità dicam, jussioni non parêre, quàm neglectæ fidei desertíque officij erga Regem de ipsis & optimè meritum, & injuriæ omnis vindicem acerrimum Rei videri gravius duxerunt. Caveamus autem, ne, ut ab Obedientia nos subtrahamus, vel attritas corporis vires, vel rerum gestarum famam, vel dignitatis nostræ imminutionem causemur. Tantæ támque præclaræ Virtutis splendor Thebaidas Anachoretarum, & Martyrum Catenas illustravit. Ejus violatę pœnas Esavus primùm, tum Hebræi persòlverunt. Ejus servatæ præ-

præmium fuit Liæ humaniter ab Esavo exceptæ salus, & Deus à Jacobo in vertice prodigiosæ scalæ residere visus. Sed nihil istorum apud eos commemorâsse necesse fuit, qui se Beatissimi Patris Ignatij à quo ceu totum Assem, veluti certam reserando Cælo Clavem, & tanquam gentilitiam Societatis esse Tesseram Obedientiæ Virtutē acceperunt, Alumnos germanámq; sobolem esse meminerunt. Dixi.

A. M. D. G.





IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM

Numerus Paragraphum non paginam signat.

A

Agnus

Ba-

B

C

Eva

F

G

H

I

L

Et

N

O

Ne

P

A Chri-

Ne-

S

Sim-

T

Tho-

V

Z

A. M. D. G.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE